SERMONES
DE
CARCERE
PVRGATORII
FIGURATO
PER
CARCEREM HERODIS.

AUCTORE
F. LEONE à S. LAURENTIO
S. Ord. FF. Beatiſsimæ M. V. de Monte Carmelo Jubilario.

PARS TERTIA.



ANTVERPIÆ,
Ex Typographia Knobbariana Apud FRANCISCUM MULLER, 1699.
Cum Gratia & Privilegio.

INDEX CONCIONUM

Quæ in hoc tractatu de Carcere Purgatorii continentur.

SERMO I. pag.j

Petrus ſervabatur in carcere. Act.12.

PUrgatorium eſt carcer, in quo Deus poſt hanc vitam captivas detinet animas juſtas, ſponſas ſuas, quas ob contracta hìc debita ſæviſſimè cruciat, donec ea per ſatiſpaſſionem, aut fidelium ſatisfactionem, Divinæ Juſtitiæ ſolverint. Oſtenditur, quàm pœnalis ſit locus iſte Purgatorius, & quàm immiſericordes ergà has afflictas captivas ſint Chriſti-fideles, quibus data eſt poteſtas, ut ſuffragiis ſuis illas de carcere illo educant.

SERMO II. pag.xiv

Petrus ſervabatur in carcere. Act.12.

DEus duos habet carceres, criminalem, in quo damnati captivi detinentur, vincti catenis compoſitis ex annulis æternitatis: & civilem. qui eſt Purgatorium: in hoc ſervantur animæ ob pœnitentias neglectas, peccata mortalia remiſſa, & venialia Deo debitrices, ex eo non liberandæ, niſi per ſatiſpaſſionem ſolverint univerſum debitum uſque ad noviſſimum quadrantem, aut viventes ſuffragiis ſuis debita earum ſolvant.

SERMO III. pag. xxix

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. Act. 12.

ANimæ captivæ in carcere Purgatorii vinctæ ſunt catenis duabus, pœnâ ſensûs, & damni: quarum prima (de qua hodie) partim in igne conſiſtit. qui durior eſt (utpote ſpiritus ardoris) quã omnes pœnæ & tormenta, quæ hìc videri, aut cogitari, aut ſentiri poſſunt, ita ut pœnis & tormentis iſtius carceris comparata, ſolatia dici queant. Ira Dei hìc tantùm ſtillat ſuper nos, in illis verò conſummatur.

SERMO IV. pag.xlij

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. Act. 12.

ALtera catena, quâ vinctæ ſunt animæ incarceratæ, eſt pœna damni: utpote privatio Divinæ viſionis Pœna hæc eſt infinita, quia amiſſio boni infiniti; unde meliùs eis eſſet mille flammas tolerare. Porrò in manibus viventium eſt velatos earum oculos revelare, ut lux perpetua luceat eis, & videant faciem Dei.

SERMO V. pag.lv

Ipsâ nocte erat Petrus dormiens. Act. 12.

ANimæ captivæ, quamquam vinctæ catenis duabus. dormiunt in ſomno pacis. Somnus hic ſecuritas eſt, ſeu certitudo, quam habent, quòd æternùm fruentur viſione beatificâ. Oſtenditur, quòd in illa pace amaritudo earum ſit amariſſima: licèt enim de ſalute ſint certæ, incertitudo tamen quando inveſtiendæ ſint ſtolâ immortalitatis maximè illas cruciat.

SERMO VI. pag.lxix

Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo. Act. 12.

ANimæ captivæ, non niſi per ſatiſpaſſionem. aut viventium ſatisfactionem liberandæ, expectant nos. ut adjuventur per nos. Adjuvantur antè orationibus S. Eccleſiæ, eleëmoſynis. & ſacrificio ſalutari. Illas à Deo lætificari in domo orationis. pœnam alleviando & abbreviando, oſtendit hic Sermo.

SERMO VII. p.lxxxiv.

Angelus Domini aſtitit illi. Act. 12.

ANgeli deſcendentes de cœlo ad carcerem Purgatorii, incarceratas ibi animas conſolantur; nunciantes. quòd oratio fiat ad Deum ab Eccleſia pro eis; quòdque Communitas N. reſolverit, ſuffragiis ſuis debita earum ſolvere; & à Deo pro eis poſtulare requiem. & lucem: etiam ad dicta ſuffragia inſpirant, & excitant viventes.

SER-

SERMO VIII. p.xcix

Lumen refulſit in habitaculo. Act.12.

NOn ſolùm orationibus Eccleſiæ juvantur captivæ animæ, ſed & eleëmoſynis; & his magìs: quia eleëmoſyna eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. Per largitionem eleëmoſynæ lumen refulget in habitaculo Purgatorii. Dat pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat pro ea eleëmoſynas facere.

SERMO IX. p.cxiv

Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

Efficaciſſimum medium redimendi animas captivas, eſt Miſſæ ſacrificium. Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri; undè una eſt eis pœna, hâc eſcâ privari: illius virtute cadunt catenæ de manibus earum, juxta illud Pſ.145. *Dat eſcam eſurientibus, Dominus ſolvit compeditos.*

SERMO X. p.cxxviij

Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. Act. 12.

ANimæ captivæ, ſuffragiis fidelium à vinculis ſolutæ, in Sanguine Teſtamenti de carcere eductæ, juxta illud Zachariæ 9. *In ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu:* pertranſierunt portam ferream carceris; relictis tamē ibi quaſi innumeris adhuc captivis, oblivioni traditis à parentibus, conſanguineis, & amicis, qui eis portam ferream carceris non ſolùm clauſam, ſed & oppeſſulatam tenent. Oſtenditur, quòd intolerabilis dolor ſit, oblivioni tradi à parentibus, cognatis, & amicis; & ſupplicium pati ab his, à quibus ſperabatur ſubſidium, & refrigerium.

SERMO XI. p.cxlij

Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. Act. 12.

POrtam ferream carceris Purgatorii miſeris captivis animabus oppeſſulatam tenent filii, & hæredes, non adimplentes pia legata in redemptionem & refrigerium animarum ſuarum relicta, à Deo tamquàm fures, & animarum necatores puniendi: ipſis incarceratis contra ſimiles vindictam clamantibus, quam Deus ſolet inferre citò.

SERMO XII. p.clvj

Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12.

ANimæ adhuc in carcere Purgatorii detentæ, ab amicis oblivioni traditæ, & ab hæredibus ſuis deceptæ, miſerâ ſuâ ſorte monent viventes, ne fraudent animas ſuas, illas amicis & hæredibus ſuis commendantes, ſed ipſi faciant opus: ipſi ſibi in vita provideant, ne juſtè egeant tempore egeſtatis in Purgatorio, otiantes tempore ubertatis in mundo.

SERMO XIII. p.clxxj

Conſiderans que venit ad domum Mariæ, matris Ioannis, ubi erant multi congregati, & orantes. Act. 12.

ANimæ, viventium ſuffragiis de carcere Purgatorii liberatæ, redemptoribus ſuis agunt gratias; ſpondentque ſe oraturas pro eis, ut Deus faciat cum eis miſericordiam, ſicut fecerunt ipſi cum mortuis; & ut, dum in eodem fuerint carcere, iiſdem mediis ex illo eos eruat, ſicque animæ eorum citò fruantur viſione beatificâ.

SERMO XIV. p.clxxxv

Narravit, quomodò Dominus eduxiſſet eum de carcere; dixitque: Nunciate Iacobo, & fratribus, hæc. Act. 12.

ANimæ adhuc in carcere Purgatorii detentæ, de tribus commonefaciunt viventes: Primò, ut continuent ſua ſuffragia, quatenùs & ipſæ liberentur: Secundò, quòd ideò juſto Dei judicio oblivioni ſint traditæ, quia, dum viverent, erga defunctos nullâ commiſeratione ducebantur: Tertiò, ut ipſi modò animabus ſuis conſulant, redimendo tempus.

SERMO

SERMO PRIMUS

DE CARCERE PURGATORII

Petrus ſervabatur in carcere. Act. 12.

Purgatorium eſt carcer, in quo Deus poſt hanc vitam captivas detinet animas juſtas, ſponſas ſuas, quas ob contracta hîc debita ſæviſſimè cruciat, donec ea per ſatiſpaſſionem, aut fidelium ſatisfactionem, Divinæ Juſtitiæ ſolverint. Oſtenditur, quàm pœnalis ſit locus iſte Purgatorius, & quàm immiſericordes ergà has afflictas captivas ſint Chriſti-fideles, quibus data eſt poteſtas, ut ſuffragiis ſuis illas de carcere illo educant.

I. QUòd diabolus animas peccantium mortaliter tetro ſuo in carcere captivas detineat, eaſque tyrannide indicibili cruciet, vinciatque catenâ duplici, ne manus ejus evadant, deplorandum eſt; ſed quòd illi tam ſævo ſeſe tyranno, & duro carceri ſubjiciant, quem nec effringere poſſunt, nec ex illo liberari, niſi à Deo, qui ſolus habet claves carceris, quòdque miſerator Dominus illas eis offerat, ut de carcere educat, & non dignentur manum extendere, aut feræ admovere, malentes potiùs tam duræ ſervituti ſubeſſe, quàm gaudere libertate filiorum Dei, quis ad hæc non indignetur & excandeſcat? Sed cùm de iſtis per totum Adventum egerim, illos linquo. Alium carcerem, alios captivos vobis ob oculos pono NN. Carcer ille Purgatorium eſt: ſic enim, juxta ſanctos Patres, nominatur variis in locis S. Scripturæ. Quod Iſaiæ 42. 7. dicitur: *Dedi te in fœdus populi, ut educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris*; intelligit D. Ambroſius de Purgatorio. Quod Matt. 22. habetur: *Miſit eum in carcerem*; intelligitur ab Auguſtino de Purgatorio. Quod ait Pſalmiſta Pſal. 149. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*; *Hoc de mortuis dicitur*, inquit Armannus, & addit: *Nulla pœnoſior aut doloroſior captivitas, quàm miſerorum in Purgatorio*. D. Chryſologus vocat: *Carcerem ignitum*. In hoc carcere Deus captivas detinet animas ſanctas, ſponſas ſuas, quas ob contracta hîc debita cruciat ſæviſſimè, nec per ſe, nec per Angelos, aut Sanctos ſolvendas, donec ea per ſatiſpaſſionem, aut fidelium ſatisfactionem, Divinæ Juſtitiæ ſolverint. Hanc triſtem captivitatem demonſtro in captivitate Petri, viri ſancti & juſti. Dum hodiè, & diebus ſequentibus oſtendo, quàm pœnalis ſit locus Purgatorius, & quàm immiſericordes ergà illas ſint Chriſti-fideles, quibus data eſt poteſtas, ut ſuffragiis ſuis de carcere illas educant,

Iſaiæ 42. S. Ambroſ. Matt. 22. S Auguſtin. Pſal. 149. Armannus. S. Chryſolog.

dignemini me benignâ attentione. Deo auſpice, incipio.

II. Non datur pœna gravior, quàm dum anima patitur. Lucæ 22. Chriſto in horto, tertiò, oranti, Lucæ 22. *Apparuit Angelus confortans eum.* Legite totam Chriſti Paſſionem, non invenietis umquam ad eum Angelum miſſum, niſi hîc. Flagellatur, coronatur, crucifigitur, in ipſa Cruce Matt. 27. 46. clamat ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me!* non apparet Angelus. Orat in horto, & *Apparuit Angelus confortans eum.* Miramini? In horto plus anima quàm Matt. 26. 38. corpus patiebatur: *Triſtis*, inquit, *eſt anima mea uſque ad mortem.* In tota Paſſione plus corpus patiebatur per flagellationes, ſpinas, clavos, licèt etiam tunc anima pateretur, ratione communicationis, quâ habebat cum corpore; & ideò ſuper illis ſolatur Angelus Dominum, non ſuper his. Quòd Beatiſſima Virgo plus paſſa ſit, quàm omnes ſimul Martyres, non eſt qui dubitet; & ratio eſt, quia patiebatur in anima. Unde D. Bern. D. Bernard. Opuſc. de Lament. Virg. *Dicat qui poteſt, cogitet quantum poteſt, meditetur, ſi poteſt, quis doloris immenſitas tunc maternam animam cruciabat: non credo planè enarrari, vel meditari poſſe dolorem Virginis.* Et quare? quia alii in corpore, illa in anima patiebatur: *Tuam ipſius animam pertranſibit gla-* Lucæ 2. *dius.* Lucæ 2. 35. In hanc ſententiam abit D. Hieronymus Serm. de D. Hieron. Aſſump. *Sancti Martyres, etſi paſſi ſint pro Chriſto, tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. B. verò Dei Genitrix Virgo, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur, ideò, ut ita fatear, quia ſpiritualiter & atrociùs paſſa eſt gladio Paſſionis Chriſti, pluſquàm Martyr fuit.* Petite à Doctore Angelico in 4. Diſt. 21. Q. 1. A. 1. Unde proveniat dolor aut pœna? Dicet totum ab anima haberi, quòd corpus patiatur; quandò ergò anima immediatè patitur, dolor ejus & pœna eſt gravior, quia totus ſenſus corporis in illa eſt; *Ideò*, inquit, *ſi in ipſam animam pœna ali-* D. Thomas. *quod læſivum agat, de neceſſitate oportet, quòd maximè affligatur.* Dolores corporales quantumcumque acerbi, à quantumcumque crudeli inflicti, nulli ſunt, reſpectu eorum, quos anima patitur. Quis tyrannus ſatanâ crudelior, qui furore ſuo infernali aggreſſus eſt Job? Quomodò non oſtendit in innocentem rabiem ſuam? & tamen quidquid furia ejus diabolica potuit in corpus ejus, modicum & paululùm reputat: *Extende* Job 1. 11. *paululùm manum tuam.* Paululùm vocat, quidquid in ipſum, toto cooperante inferno, facere potuit, quia nihil potuit in animam: *Verum-* Job 2. 6. *tamen animam ejus ſerva.* Audiendus hîc D. Gregorius: *Paululùm manum poſtulat extendi,* S. Gregorius. *quia exteriora ſunt, quæ appetit conteri, neque enim ſatanas facere ſe aliquid multùm putat, niſi cùm in anima ſauciat.* Pœnæ enim & dolores animæ intolerabiles ſunt, & illos magìs patitur à corpore ſeparata, quàm illi conjuncta. Animæ ergò ſunt, quæ patiuntur in illo carcere. Sed ubi, obſecro, eſt locus ille? Meliùs me hoc dixerit anima patiens.

III. Pſal. 87. 3. *Repleta eſt malis* Pſal. 87. 3. *anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Ad hæc verba D. Gregorius Lib. 4. Dial. Cap. 40. *Infernus* S. Gregorius. *dicitur, quia inferiùs jacet.* Et Doctor

Sera-

S. Bonav. Seraphicus in 4. Diſt. 20. Q. 6. A. 2. *Sicut ſtatui beatitudinis debetur locus ſupremus, ita & ſtatui miſeriæ locus infimus.* Exemplificat S. Antoninus S. Antonin. 1. P. Tit. 5. Cap. 3. *Si Rex ponatur in carcere, etiamſi nullâ aliâ pœnâ ſenſibili cruciaretur, ex hac ſolùm incarceratione multùm doleret. Cùm igitur anima ſit nobiliſſima Regina, & ſibi competat locus cœli Empirei, & videt ſe detruſam ad centrum terræ, qui locus eſt infimus omnium, ex tali carcere habet magnam pœnam.* Sententiam Gen. 3. Gen. 3. in Adam fulminatam: *Terra es, & in terram ibis*: conſiderans Mellifluus, non poteſt ſatis mirari Divinam clementiam; unde Serm. de S. Martino exclamat: *Grandis ſententia, ſed* D. Bernard. *non ſine grandis miſericordiæ temperamento! Durâ admodùm, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena.* Unde, obſecro, argumentatur Bernardus, quòd pœna Adamo inflicta ſit indulgentię plena? Audite: *Siquidem non minùs juſtè peccanti diceretur: Terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis.* Carceres ſubterranei hîc in terra duriſſimi ſunt, & eò viliores & ſenſibiliores, quò perſona dignior eſt & nobilior, quæ in illis detinetur. Quælibet anima Purgatorii nobilior eſt cunctis Reginis univerſi, utpotè ſponſa Regis Regum: *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* Oſeæ 2. 19. 20 Dum ipſo nuptiarum die in teterrimum carcerem conjicitur, & vita ejus inferno appropinquat, *Videns ſe detruſam ad centrum terræ, ex tali carcere habet magnam pœnam.* Certè nulla pœnoſior aut doloroſior captivitas, quàm miſerorum in Purgatorio, detruſorum ad centrum terræ, ubi non eſt, qui clamores aut gemitus eorum audiat: ex tali carcere habent magnã pœnam. Dicat mihi aliquis: Quænam fuit maxima pœna, quam paſſa eſt Agar, de domo Abrahæ ejecta?

IV. Gen. 21. 16. Ad Saræ inſtantiam dimittit illam Abraham cum puero: *Abraham tollens panem* Gen. 21. 16. *& utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimiſit eam.* Abundabat illa in domo Abrahæ divitiis & delitiis, & ſubitò his privata, in deſerto ad tantam paupertatem redactam ſe reperit, ut ultrà non haberet quod biberet, aut manducaret. Abulenſis illi compatiens, ait: *Satis in hoc afflicta erat.* At crevit Abulenſis. afflictio, quando errabunda in ſolitudine Berſabee, dum conſumpta erat aqua in utre, filium videbat præ ſiti deficere, nec fontem inveniebat, unde aquam haurire, neque homines, à quibus mendicare poſſet: *Tunc*, inquit D. Chryſoſtomus ibi, *diſrumpebantur viſcera ejus*, & incon- D. Chryſoſt. ſolabiliter plangebat, dicens: *Non videbo morientem puerum. Tunc levavit vocem ſuam, & flevit.* Quòd animæ defunctorum ob commiſſos defectus exulare debeant à domo Dei, *ſatis in hoc afflictæ ſunt*; ſed quòd in ſuo ſubterraneo carcere non habeant, qui gemitus earum excipiat, qui illas in domum Dei perducat, *Tunc diſrumpuntur viſcera earum.* S. Pater meus Elias, qui juxta S. P. Chry- S. Chryſoſt. ſoſtomum *Hom. ad Pop. Ipſam pau-* 3. Reg. 17. *pertatem ex mentis opulentia elegit*, bis extremæ neceſſitatis miſerias expertus eſt; Primò, quando 3. Reg. in generali penuria ſiccatus eſt torrens, & corvi remanſerunt, qui ſubminiſtraverant ei panem & carnes manè, & panem & carnes veſperi. Secundò

3 Reg.19. cundò 3. Reg.19. quando fugiens
à facie Jezabel, perrexit in deſer-
Abulenſis. tum ad montem Oreb jejunus. De
illo loquitur Abulenſis Q.3. *Erat
feſſus Elias ex itinere per loca aſpera
& invia, & jejunus ibat, nam in
deſerto non reperiebat cibum*, tunc:
Petivit animæ ſuæ, ut moreretur;
& ait: *Tolle, Domine, animam
meam.* Quid eſt, quòd primâ vice
patienter ſufferat paupertatem, ſe-
cundâ autem ſit ipsâ morte intole-
rabilior? Dicam: Quando ſubtra-
hebat illi Deus aquam torrentis, &
panem, quem corvi ſubminiſtra-
bant, poterat ſibi mendicando a-
liundè providere, ut patuit in vidua
Sareptana; aſt in deſerto, ubi nul-
lus erat, cui poterat neceſſitatem ex-
ponere, ab omnibus derelictus:
Verſ.4. *Petivit animæ ſuæ, ut moreretur.
Tolle, Domine, animam meam.* In
extrema neceſſitate verſari, nec
poſſe mendicare, aut invenire ali-
quem, qui neceſſitati ſuccurrat,
pœna eſt ipsâ morte intolerabilior.
Conſiderate N. N. in quo ſtatu ſint
captivæ animæ noſtræ, quæ in
centro terræ captivæ detinentur,
ubi nullus eſt, qui audire poteſt
gemitus illarum, aut cui ſuam ex-
ponere poſſent indigentiam: &,
quod omnium triſtiſſimum, ſeip-
ſas juvare non poſſunt. Audite ab
ipſiſmet, & auſcultate.

Pſalm.87.2. V. Pſalm.87. 2. *Domine Deus
ſalutis meæ, in die clamavi, & nocte*
Verſ.3. *coram te. Intret in conſpectu tuo ora-
tio mea, inclina ad me aurem tuam:*
Verſ.4. *Quia repleta eſt malis anima mea,
& vita mea inferno appropinquavit.*
Verſ.5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus
in lacum.* Licèt ſimus de numero
electorum, & animæ ſanctæ, ta-
men vita noſtra inferno appropin-
quavit. Sumus hîc in carcere vici-
no inferno, tamquàm reprobi: *Fa-* Verſ.5.
ctus ſum ſicut homo ſine adjutorio, Verſ.6.
*inter mortuos liber; ſicut vulnerati,
dormientes in ſepulchris, quorum
non es memor ampliùs.* Licèt liberæ
ſimus à ſervitute diaboli, & gau-
deamus libertate filiorum Dei, ni-
hilominùs factæ ſumus ſine adjuto-
rio, non poſſumus nos juvare, ne-
que oſtium carceris noſtri aperire.
Traditus ſum, & non egrediebar; Verſ.10.
hinc: *Oculi mei languerunt præ In-* Verſ.11.
opia. Quin imò: *Et ipſi de manu
tua repulſi ſunt.* Hoc eſt, inquiunt S. Hieronymus ibi.
DD. Hieronymus, Dionyſ. Cart. S. Dionyſius Carth. ibi.
& Lyranus ibi: *Et ipſi adjutorio* Lyranus ibi.
tuo privati ſunt; Quia non admit-
timur ampliùs ad actus vitæ præ-
ſentis. Animæ ſanctæ, quid eſt,
quòd cœlum pulſetis precibus, quòd
Deo miſerum ſtatum veſtrum ex-
ponatis? non eſt, quòd ab illo li-
berationem veſtram ſperetis, niſi
poſt ſatiſpaſſionem; omne refri-
gerium & adjutorium veſtrum à vi-
ventibus eſt. N. N. deſcendamus
in ſpiritu ad carcerem, videntur
preces ſuas ad vos dirigere; non
auditis clamare? *Intret in conſpectu* Pſal.78.11.
tuo gemitus compeditorum! Audite
filii patrem veſtrum, matrem ve-
ſtram: *Educ de cuſtodia animam* Pſal.141.8.
meam! Uxor, Marite, Frater,
Soror: *Educ de cuſtodia animam
meam!* Quando eram in vivis, ſi
fuiſſem in carcere, dediſſetis om-
nia quæ habebatis, ut me educere-
tis; modò dego in triſtiſſimo &
pœnaliſſimo carcere: *Vita mea
inferno appropinquavit*; *Educ* er-
gò.

ergò *de cuſtodia animam meam!* Non poſſum me juvare, quia ibi *Venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Joan.9. 4. Joannis 9. 4. Jam experior, quàm verum ſit, quod mihi toties ingeminavit Lucas Evangeliſta, Lucæ 16. 3. Lucæ 16. 3. *Jam non poteris villicare.* Quantùm hæc cogitatio in tenebricoſo carcere animas noſtras affligat, teſtantur ipſæ.

Job 17. 11. VI. Job 17. 11. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* Hoc D. Dionyſius Cart. eſt, inquit Dionyſ. Cart. ibi: *Tempus, quo potui me juvare ac promereri, finitum eſt. Hinc cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor* S. Bernardin. Senenſis. *meum.* Scio cum S. Bernardino Senenſi Serm.64. de Purg. quod *Animæ, quæ ſunt in Purgatorio, licèt graviter torqueantur, tamen ſunt de juſtitia inamoratæ*; nihilominùs S. Dionyſius Cart. ſubjungit Carthuſ. *Licèt anima in Purgatorio maneat Deo habitualiter & inceſſanter unita per charitatem, quam numquam amittet, nihilominùs, impellente pœnarum acerbitate, cogitationes habet multiformiter diſcurrentes, torquentes cor ejus.* Quantumcùmque animæ à culpa ſint liberæ, & inceſſanter Deo per charitatem unitæ, attamen dura illarum incarceratio, & ultrà merendi impoſſibilitas, cogunt unamquamque illarum conſiderare & dicere: Quòd ſi Deum non offendiſſem, vel ſaltem de peccatis meis magìs doluiſſem, & pro illis ſatisfeciſſem in hac vita, modò non forem in tam miſero & doloroſo ſtatu: Si magìs paſſiones meas domuiſſem, magìs ſervitutem diaboli horruiſſem, modò non jacerem in tam pœnoſo carcere: Si ita intenta fuiſſem ſaluti animæ, ſicut corporis, nunc fruerer ſalute æternâ: Si divitias in vanitates & voluptates diſſipatas, diſpenſâſſem in refrigerium pauperum modò cœleſtium delitiarum eſſem particeps, non autem pœnarum infernalium: Si utiliùs tempus meum impendiſſem, jam tempus, quo me potui juvare & promereri, non ita deflerem. Hæ cogitationes ſunt torquentes cor meum. Incarceratæ Animæ, quoties, dum in vivis eratis, dictum eſt vobis, quod à Joſeph prædictum eſt Pharaoni, & riſiſtis?

VII. Gen.41. Somniat ſe ſtare Gen.41. ℣. 2. 3. 4. ſuper fluvium, de quo aſcendebant ſeptem boves pulchræ & craſſæ nimis, & paſcebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque macie, quæ devoraverunt eas, quarum mira ſpecies, & habitudo corporum erat. Vidit & aliud ſomnium, huic non abſimile, de ſeptem ſpicis. Evigilat Pharao timore perterritus, auditiſque omnibus conjectoribus Ægypti, cunctiſque Sapientibus, non erat qui ſomnia interpretaretur, niſi Joſeph, qui dixit Regi: Septem boves pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem anni ubertatis ſunt: ſeptem quòque boves tenues atque macilentæ, ſeptem anni venturi ſunt famis; Septem anni venient fertilitatis magnæ in univerſa terra Ægypti, quos ſequentur ſeptem anni alii tantæ ſterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retrò abundantia. Nunc ergò, inquit Interpres, provideat Rex virum ſapientem & induſtrium,

um, & præficiat eum terræ Ægypti, qui quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis congreget in horrea, & omne frumentum ſervetur in urbibus, & præparetur futuræ ſeptem annorum fami, quæ oppreſſura eſt Ægyptum. Ponite vobis ob oculos ſeptem annos ſteriles, de quibus Joſeph: *Anni reſtant, in* Gen 45. 6. *quibus nec arari poterit, nec meti.* Campi fertiles, facti ſunt ſquallidi, dolentes amiſſam fertilitatem; non ultrà arabatur terra, nec ſeminabatur; meſſis nulla; omnium vultus præ fame pallidi; non videbatur niſi falx mortis, quæ, nullo habito reſpectu, metebat nobiles, ignobiles, ſenes & juvenes, viros & mulieres. Præceſſerunt ſeptem fertilitatis anni, de quibus ſacræ Paginæ: *Fuit abundantia tritici, ut* Gen. 41. 49. *arenæ maris coæquaretur.* Divinâ providentiâ præceſſerunt anni tantæ fertilitatis, ut ſibi providerent in annos ſterilitatis. Jam peto à vobis, num dignum judicetis, ut fame pereat, qui in tanta abundantia ſeipſum negligit de futura ſterilitate factus certior? Loquatur pro me Seraphicus Doctor Bonaventura, & ad rem noſtram mentem S. Bonaventura. ſuam circa ſimiles edicat: *Dignum eſt, ut qui otiantur in tempore ubertatis mundi, egeant tempore neceſſitatis in Purgatorio.* Quæ penuria, quæ neceſſitas æquiparari poteſt egeſtati Purgatorii? Terra ſteriliſſima eſt, ubi nec ros, nec pluvia deſcendit de cœlo, arida ſemper & ſitibunda: *In terra ſitienti.* Nullum ſemen bonum ibi germinat, nec pluviâ lacrymarum irrigatur, nec operibus pœnitentiæ aratur, nec meritis metitur: *Erunt anni, in quibus nec arari poterit, nec meti.* Attendite, Animæ captivæ, ad annos fertilitatis, qui vobis fuerunt in hac vita: pluerat cœlum gratias largiſſimè, altaria abundabant frumento & vino in Euchariſtiæ Sacramento: *Frumento & vino ſtabilivi eum*; Gen 27. 37. abundabat terra noſtra aliis Sacramentis; quot occaſiones bene operandi & metendi! quaſi innumeræ; abundabant indulgentiæ in omni fermè Eccleſia; quòd de tanta abundantia non profeceritis, & modò in terra ſterili ſitis: *In terra ſterili*; cui id imputandum, niſi vobis? *Dignum eſt, ut qui otiantur in tempore ubertatis mundi, egeant tempore neceſſitatis in Purgatorio.* Sed cur ſatis afflictis addo afflictionem? Dubito, an ſub cœlo dentur captivi majori compaſſione digni. N. N. Magnus Apoſtolus vos alloquitur.

VIII. Hebr. 13. 3. *Mementote* Hebr. 13. 3. *vinctorum, tamquam ſimul vincti.* S. Bonaventura Serm. de Animabus, ad hæc verba, ait: *In verbis* S. Bonaventura. *iſtis Apoſtolus nos hortatur ad compaſſionem defunctorum, in carcere Purgatorii detentorum.* Voluit Apoſtolus clarè exprimere, quòd animæ in obſcuro iſto carcere ſint vinctæ; undè ait: *Mementote vinctorum*; &, ut ad compaſſionem nos moveat, addit: *Tamquàm ſimul vincti.* Sed quanta inter vinctos differentia! In carcere civili alii ſunt liberi, alii vincti. Iſti juvare ſe poſſunt, ſibique de neceſſariis providere, hi autem nequaquam: *Quia,* inquit Bonaventura, *Vincula car-* Idem. *ceris auferunt facultatem operandi, libertatem ambulandi, poteſtatem libere*

lerè ſolvendi, & inferunt neceſſitatem tolerandi. N. N. nos qui vivimus, in carcere ſumus, de quo
Rom. 7. idem Apoſtolus Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* At malo noſtro poſſumus occurrere, boniſque operibus in cœlo theſaurizare, Deo hîc ſolvendo debita noſtra. Quando quis in
Prov. 5. 22. terra *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, in manu ejus eſt, Dei gratiâ vincula ſolvere, Deo ad hoc
Iſaiæ 52. 2. nos exhortante Iſaiæ 52. 2. *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* At animæ purgantes ita ſunt vinctæ, *Ut ſe ſolvere nequeant*; & ideò non poſſunt ſolvere debitum. Si ergò in Purgatorio miſeria major eſt, conſequenter major cum defunctis miſericordia ſit, quàm cum vivis, neceſſe eſt. Audite caſum, qui contigit inter duo luminaria magna S. Ord. Præd. S. Ludovicum Bertrandum, & Benedictum.

IX. Contendebant illi inter ſe, & quæſtio conſiſtebat in eo, quòd illorum unus diceret, juvandos potiùs eſſe vivos, quàm defunctos, adeòque orandum potiùs pro his, quàm pro illis: hujus opinionis erat Bertrandus, ob hanc rationem, quòd animæ in Purgatorio eſſent in meliori ſtatu, utpote de ſua ſalute ſecuræ; viventes autem millenis damnationis periculis eſſent expoſiti; unde rarò pro animabus, continuò autem pro converſione peccatorum preces fundebat, & Miſſas offerebat. Contrariæ opinionis erat Benedictus, Bertrandum ſic interpellans: Dic mihi, Bertrande, cui potiùs mendico debentur ſuppetiæ, ſano, habenti omnia membra integra & ſana, quibus ſe juvare poteſt, vel mutilo, & viribus deſtituto? numquid ſuccurrendum potiùs debili & infirmo, quàm ſano? indubiè, inquiebat Bertrandus; ergò, inferebat Benedictus, miſerendum potiùs defunctis, quàm vivis, quia debiles illi ſunt, viribus deſtituti, non valentes ſe juvare, quod tamen viventes poſſunt. Quantumcùmque eum rationibus premeret Benedictus, animarum lucro inhians, Bertrandus perſiſtebat in ſua opinione, judicans orandum potiùs, & laborandum pro converſione peccatorum. Quid factum? Nocte ſequenti apparet illi anima ex Purgatorio, adeò illum totâ nocte coanguſtans, ut mori videretur; ſic ut ex illa hora ſententiam mutârit, & cœperit legere pro defunctis, illaſque vivis prætulerit. Sed quid ad hiſtorias Eccleſiaſticas recurro, ubi S. Scriptura hanc ſententiam decidit in figura & veritate? Do figuram.

X. Danielis 14. Mittitur Daniel in lacum leonum, ab eis devorandus; ſed quia leones reverentiam & reſpectum ei deferebant, mori non poterat, niſi deficiente pane, quem cùm non eſſet qui porrigeret, Divina providentia invenit modum. Habebat Habacuc meſſoribus ſuis paratum prandium, Dan. 14.
mandat Deus Angelo, ut apprehenderet eum in capillo capitis, ferretque in Babylonem ad locum, in quo erat Daniel. Meliores illo indubiè indigebant prandio, imò famelici ad præparatum illis cibum anhelabant, nihilominùs ex Dei ordinatione portat ad Prophetam, volebat-

volebatque Danieli potiùs in lacu leonum,quàm meſſoribus provideri. Cuiq; notum eſt, Danielem in lacu, ſymbolum eſſe animarum Purgantium; ita orat indies Eccleſia: *Domine Jeſu Chriſte*, &c. *libera animas de profundo lacu*; *libera eas de ore leonum*, *&c*. Jam peto, cur deferatur prandium ad Danielem, & non ad meſſores? Ad Danielem defertur, quia indigebat magìs; poterant meſſores ſibi providere de cibo, aut aliunde ipſis provideri, ſecus autem Daniel. Sic ſimiliter indigent quidem viventes in hac vita orationibus, ſuffragiis & ſacrificiis fidelium, & opus magnum eſt illos juvare, melius tamen, majuſque,& excellentius defunctos juvare, quia hi magìs indigent, quàm viventes; his enim media ſuppetunt quaſi infinita, quibus ſe juvent: animæ verò, nec operari, nec mereri, nec juvare ſe poſſunt. Si ergò ſubvenire miſero, opus ſit tantò nobilius & dignius, quantò miſeriæ & mala eorum,quibus ſubvenitur, majora ſunt, conſequenter miſericordia animabus Purgantibus præſtita major eſt,cùm earum miſeriæ quaſi infinitè majores ſint pœnis & miſeriis vivorum. Venio à figura ad veritatem. Illam dat Magdalena in duabus ſuis unctionibus.

Lucæ 7. 38. XI. Lucæ 7. 38. Ut illa cognovit, quòd accubuiſſet Jeſus in domo Phariſæi, *Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.*
Matth. 26. Matth. 26. Audiens Chriſtum accubuiſſe in domo Simonis Leproſi, *Venit habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Notate, quæſo, differentiam inter unam & alteram unctionem: in prima unctione pedes ungit, in ſecunda caput. Cur ſtylum mutat, cùm eadem ſit Magdalena, & idem ſit Chriſtus? Plus peto: Cur in prima unctione unguentum non tam dicitur *pretioſum*, quàm in ſecunda? In prima enim tantùm dicitur: *Attulit alabaſtrum unguenti*; in ſecunda: *Alabaſtrum unguenti pretioſi*? Quod plus eſt, in prima ſimpliciter dicitur, quòd unxerit pedes, in ſecunda, quòd fracto alabaſtro effuderit *Super caput recumbentis*. Ad hæc omnia reſpondet ipſe Chriſtus: ſecundâ vice *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Anticipabat illa Chriſti exequias & funeralia, & pium ejus obſequium defunctos reſpiciebat; primâ vice pedes ungit Chriſti viventis, per quos ſecundùm D. Gregorium Hom. 33. in Evang. ſignificantur pauperes Chriſti; illos ungere, pium quidem, Deoque gratum; gratiſſimum tamen mortuos ungere: & licèt utrumque unguentum fuerit pretioſum, reſpectu tamen ſecundi, primum nomen *Pretioſi* amittit. Adeò liberalis eſt Magdalena, ut fracto alabaſtro totum effundat unguentum, quod tam gratum fuit Chriſto, ut proteſtatus fuerit dicens: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Sed cùm ſermo noſter non tam agat de corporali paupertate, quàm de ſpirituali, quod dixi, dico: S. Gregorius.

dico: Non dari opus magìs ſanctum, magìs divinum, adeòque nec gratius Deo, quàm incarceratas animas de carcere ſuo liberare, & ad cœlum perducere.

S. Dionyſius Areop. XII. Scio cum Divo Dionyſio Areopagita, quòd *Divinorum omnium diviniſſimum ſit, cooperari Deo in ſalutem animarum:* Hôc poſito, ſic argumentor, & formo argumentum à minori ad majus: Si cooperari ſaluti animarum Chriſti Sanguine redemptarum, eaſque extrahere de ſtatu tenebrarum peccati, ad lucem gratiæ, ſecundùm D. Dionyſ. ſit opus *Diviniſſimum*, traho conſequentiam: Ergò à fortiori, *Superdiviniſſimum eſt*, animas de tenebroſo carcere perducere ad lucem gloriæ. Audite cum attentione: ſcio peccatum, ratione Perſonæ infinitæ, quæ offenditur, infinities majus eſſe quàcumque pœnâ, quia nulla, quantumcumque magna, dici poteſt infinita intenſivè, & ideò loquendo de termino *à quo*, ut ſcholæ loquuntur, opus indubiè majus eſt trahere animam de peccato, quod eſt infinitum, quàm de pœnis Purgatorii. Quia tamen de peccato reſurgimus ad gratiam, & de Purgatorio tranſitur ad gloriam, quæ eſt gratia conſummata & plena, &, exceptâ Unione Hypoſtaticâ, anima per gloriam unitur Deo nodo ſtrictiſſimo, qui imaginari poteſt, conſiderato termino *ad quem*, certum eſt, quòd quis faciat opus longè magìs divinum, animam de Purgatorio liberando, quàm de peccato; unde ſi diviniſſimum opus eſt, perducere animam ad ſtatum gratiæ, quæ tantùm eſt ſemen & initium gloriæ, numquid diviniſſimum eſt, animam perducere ad poſſeſſionem ipſius gloriæ? Non ſolùm *diviniſſimum eſt, ſed ſuperdiviniſſimum.* Plus dico: Qui animam trahit de peccato, illam quidem ad Dei amicitiam reducit, ſed, ut ſcitis, illa non eſt ſtabilis, quia in hac vita mortali omni momento poteſt anima illam amittere, utpotè tot periculis expoſita, tot inter paſſionum carnis & ſpiritûs conflictus conſtituta: *Habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; ubi econtrà Beati per gloriam divinæ immutabilitatis participes effecti, non poſſunt peccare, ſed per lumen gloriæ in gratia confirmati, immobiliter & inimpedibiliter amant Deum, & ibi ſunt inſtar ſolis, qui nunquam Eclypſim patitur. Si ergò cooperari ſaluti unius animæ, eamque vocare de culpa ad gratiam, quæ ſemper amitti poteſt, *Diviniſſimum eſt*; de Purgatorio liberare, & perducere ad ſtatum ſtabilem, & imperturbabilem beatitudinem, quid erit niſi *Superdiviniſſimum*? Pergo ulteriùs: animæ Purgatorii, ut dixi ſuprà, non poſſunt ſe juvare, nec ampliùs operari, quia, ſecundùm fidem noſtram, ſunt *extra ſtatum merendi*; At peccator cum gratia Dei reſurgere poteſt, & benè operari, quia habet manus liberas; *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Dicite modò, quid laudabilius, quid divinius, juvare eum, qui ſe juvare non poteſt, vel eum, qui ſe aliquo modo poteſt? Quod dixi, dico: Si redimere captivum de carcere peccati diviniſſimum eſt, animam ex carcere Purgatorii ad gloriam perducere, ſuperdiviniſſimum eſt. NN. mei, Magnus Auguſtinus vos modò alloquitur

2. Cor. 4. 7.

1. Cor. 15.

S. Auguſtin. quitur Serm. 44 ad Fratres in Eremo: *Exſpectant nos, ut adjuventur per nos.* Video captivas animas iiſdem vos verbis interpellare, quibus olim Leproſus Chriſtum.

Matt. 8. 2. XIII. Matthæi 8. *Cùm deſcendiſſet Chriſtus de monte*, in quo prædicaverat, *ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.*
℣. 3. *Et ecce Leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine ſi vis, potes me mundare.* Cui reſpondit ſtatim: *Volo, mundare.* S. Chryſ. in Cat. hæc verba pondeS Chryſoſt. rans, ait: *Non dixit: Domine munda me, ſed totum ei concedit, & Dominum eum facit, & poteſtatem univerſorum ei attribuit.* Sat erat Paralytico, Chriſto expoſuiſſe, quòd (modò vellet) mundare eum poſſet; hinc Chriſtus, cùm poſſet, & quidem modo tam
℣. 3. facili, reſpondit ſtatim: *Volo, mundare; & extendens Jeſus manum, tetigit eum, & confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Sciebat quòd in manu ſua eſſet, & ideò ſtatim illam extendit. NN. audite patrem, matrem, Chriſtianam animam patientem, & venialium, & remiſſorum mortalium maculis leproſam: *Si vis, potes me* mundare. *Si vis, potes*, ut tota mundata fruar viſione Dei. *Si vis, potes*, ut extinguatur ſitis mea, ut fruar fonte æternarum dulcedinum, ut deſiderium meum adimpleatur. *Si tantùm vis, potes.* Non peto à te (inquit pater filio, aut amicus amico) ut facias quòd Regina Reſpha, vel concubina Saulis 2. Reg. 21. quæ induens cilicium, ſub patibulo, in quo filii Saul ſuſpenſi, diu noctuque inter fœtentia ſedit cadavera, inter omnes
3. Reg. 21 10. aëris injurias, *Donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo.* Non peto, nec à te exſpecto talia. N. Non te mitto ad patibulum, ad fœtentia mortuorum cadavera, non ſum tam crudelis, faciliori modo potes efficere, ut melior aqua ſtillet ſuper eas; *Si vis*, debes ſolummodò extendere manum, ut illas de carcere extrahas. Non peto, ut idipsũ facias, quod Tobias Cap. 2. qui ut intellexit ex filio: *Unum ex filiis Iſraël jugulatum jacere in platea* Tobiæ 2. 3.
inſepultum, ſtatim exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, jejunus venit ad corpus, tollenſque illud, portavit ad domum ſuam occultè, ut, dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum. Non, non, non tam multũ peto. Non peto, ut menſam relinquas, ſed dum bonæ & lautæ aſſides menſæ, cum vitro vini in manu, hauſtum ſaltem cereviſiæ des pauperi, in refrigerium ſitientis animæ, ſitim ejus extinguas, aquam Divinæ miſericordiæ tranſmittas, ut mundata à lepra ad fontem vivum æternum ſoletur. *Si vis, potes me mundare*; tantùm extende manum, ut eleëmoſynam des, ut jubeas fieri ſacra, ſolvas legata &c. *Extende manum, & confeſtim mundabitur lepra ejus.* Si non vis, cùm poſſis, dico te ne vel ad crinẽ meliùs agere cum anima patiente, quàm Pilatus cum Chriſto.

XIV. Joannes 19. Flagellato Jeſu, & ſpinis coronato, veſteq; purpureâ circumdato, exit Pilatus foras & dicit Judæis: *Ecce adduco eum vobis foras,* Joan. 19 4.
ut cognoſcatis, quia nullam in eo invenio cauſam. Et dicit eis: Ecce homo. Cùmque illi clamarent: *Crucifige! Crucifige eum!* Ingreſſus prætorium, dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autẽ reſponsũ non dedit ei. Dicit ergò ei Pilatus: *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimit-*

dimittere te? S.Chryſ. in Cat. D.Tho. ad hæc verba excandeſcens, inſurgit S. Chryſoſt. in Pilatum, omnes inclamans: *Vide qualiter ſeipſum condemnavit; ſi enim in te totum poſitum eſt, cujus gratiâ nullam cauſam inveniens, non abſolvis?* N. Si tu potes (uti potes) animam patris tui, proximi tui, à lepra mundatam ad Dei aſpectum perducere, ſi poſſis abſolvere à pœnis, & de carcere liberare, *Si in te poſitum eſt, cujus gratiâ non abſolvis?* Quomodò reſpondebis coram Deo? *Vide qualiter teipſum condemnes:* fateris te poſſe, &c. non vis.

XV. Sed fortaſſis hæc gratia magnis tibi impenſis ſtaret? Audi & erubeſce: minori pretio ſtat è Purgatorii carcere animas liberare, quã mancipium, è barbarorũ ſervitute ereptũ, libertati reſtituere. Quis eſt, qui filiũ, aut fratrem è Turcarũ manibus, ſolutâ infami compede, poſſet eripere, & nõ libenter ter mille licèt florenos expenderet? Quòd ſi tantam ſummã in promptu non haberet, numquid ſollicitaret conſanguineos, gemmas & argentea oppignoraret, bona aliqua venderet, ut ejus libertatem acceleraret? O ſanctum Fidei lumen! nihil modò tui in Chriſtianiſmo habes, quàm obſcuritatem & tenebras! Dic, obſecro, numquid dictâ ſummâ medium quaſi Purgatorii carcerẽ evacuares? &, proh dolor! quoties tergiverſaris vel unam argenti libram, vel unum florenum dare in liberationem earũ. Quoties, dum ſalvis etiam loculis redimere poſſes, illis ſubſidium negas? dum vel unius templi viſitatione, unâ eleẽmoſynâ, unâ S. Commũnione ex illo flammarum ergaſtulo eripere poſſes, & facillimo negotio diſruptis vinculis illas in libertatem aſſerere, aut laxare ſaltẽ compedes, ut carceris calamitatẽ mitiùs ferrent; an non hoc eſt crudelitatis portentum, quod Iſaias crudeli Babyloniæ Monarchæ exprobravit, dum electo Dei populo vinculis conſtricto opitulari renuit? *Vinctis ejus non aperuit carcerem?* Iſaiæ 14.17. Certè meritò te annumerem iis, de Iſaiæ 14 17. quibus Jeremias Propheta Cap 50. *Crudeles ſunt, & immiſericordes.* Si quis crudelitatem tuam adumbret in S. Jeremiæ 50. 42. Scriptura, ipſe eſt Jeremias.

XVI. Threnorum 4. *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* Thren. 4 3. Unum ex indigniſſimis ſpectaculis, quæ oculi ſolares cum averſione unquam conſpexerunt, eſt illa pluſquã beſtialis crudelitas ſtruthionis erga propriam prolem. Omnibus volatilibus natura indidit erga partum ſuum teneritudinem affectûs, ſignanter in educando. Struthio econtrà erga ova ſua non aliud teſtatur materni officii teſtimonium, niſi quòd in loco ſolitario ova ſua tegat arenâ, & ſepeliat ſub ſabulone, ibique linquat & deſerat; ſed amoroſa providentia Dei efficit, ut ardentibus ſolis radiis percuſsâ & calefactâ arenâ, paulatim formetur pullus. N. qui tam crudeliter agis cum defunctis, crudelitatem tuam comparat Deus ſtruthioni, & hoc gemens & ingemiſcens: *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* Facis cum viſceribus, cum conſanguineis tuis, quod ſtruthio cum ovis; ſepelis, terrâ tegis & lapide grandi, ibi relinquis, & obliviſceris, tamquàm non fuiſſent tui. Similem crudelitatem non patitur Magnus Auguſtinus, quin Serm. 44. ad Fratres

S. Auguſtin. tres exclamet: *Clamant quotidie, qui jacent in tormentis; clamant, & pauci ſunt, qui reſpondeant: Ululant, & non eſt qui conſoletur eas. O quàm grandis crudelitas fratres mei!* Pergit in eodem Sermone, & dicit: *Clamat porcus, & cum eo clamare non ceſſant alii.* Idem. *Cadit aſinus, & omnes eum ſublevare feſtinant. Clamat in tormentis fidelis, & non eſt qui reſpondeat. Ecce inhumanitas veſtra, Fratres.* Numquid hoc crudele eſt? In mortuos crudelem eſſe, crudelitas eſt omnem excedens crudelitatem.

XVII. Joann. 19. Chriſto mortuo, Joſeph ab Arimathæa audacter Joannis 19. introivit ad Pilatum, *& petiit corpus Jeſu.* Non timuit ergò Judæos? nullo modo. Quomodò hoc? S. Chryſ. dat S. Chryſoſt. rationem: *Exiſtimans Joſeph extinctum eſſe Judæorum furorem, Chriſto crucifixo.* Ut meliùs me capiatis, dicite mihi: Cur inter omnia inſtrumenta Dominicæ Paſſionis ſola lancea dicitur S. M. Eccleſia. crudelis? *Dulce lignum, dulces clavos, corona inclyta.* At de lancea loquens Eccleſia, dicit: *Mucrone diro lanceæ.* Peto rationem? Cur non reſpondes? non audes (ut video) quia vides quò vergam. S. Greg. audacter S. Gregorius. dicet: *Quia poſt mortem in mortuum ſævit, ideò crudelis appellatur.* Quandò ergò te in mortuos poſt mortem ſævire video, numquid te meritò crudelem appello? Si lancea nomen crudelis gerat, quia crudelis miles illâ in mortuum uſus eſt, quidni crudelem te appellavero, qui in animas ſævis? qui non ſolùm eas ſuffragiis tuis non juvas, ſed tamquàm fur ultimam illarum voluntatem non imples, nec legata ſolvis, aut differs ad annos, cùm tamen facillimo modo juvare poſſes? Certè Abraham non ſic tractaret damnatos, ſicut tu crudelis animas Deo dilectas, animam patris tui, matris tuæ, & conſanguineorum tuorum.

XVIII. Lucæ 16. Mortuus famoſus Dives ſepelitur in inferno: *Sepultus eſt in inferno*: totus in flammis Lucæ 16. 23. ait Abrahæ: *Pater Abraham* ℣. 24. *miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* At ille: *Recordare fili, quia recepiſti bona in vi*- ℣. 25. *ta tua.* Et addit pro ſua excuſatione, quòd diſtantia inter illos eſſet tanta, ut impoſſibile ſit annuere petitioni: *In his omnibus inter nos & vos magnum* ℣. 26. *chaos firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Cur excuſat ſe Abraham, cùm condignas pœnas Dives ſubeat? Cur non ſimpliciter dicit: Juſtè & dignè pro meritis hæc pateris? Verum eſt, inquit Chryſ. non merebatur levamen aliquod; quia tamen tam parum petebat, excuſat ſe Abraham, quòd non eſſet in manu ejus: *Oſtendit poſt mortem,* S. Chryſoſt. *& ſemel apud inferos pœnali cuſtodiæ deputatos, ad Sanctorum requiem non poſſe transferri*; ne tam parva negando, nimis crudelis videretur. N. ſcis, & probè nôſti, quòd facilè poſſis captivas animas de carcere liberare, ſi non feceris, cogar tibi idipſum improperare, quod olim Sareptana SS. Patri meo Eliæ.

XIX. 3. Reg. 17. Moritur filius viduæ Sareptanæ: mater tota deſolata dixit ad Eliam: *Quid mihi &* 3. Reg. 17. 18. *tibi Vir Dei; ingreſſus es ad me, ut interficeres filium meum?* Quid mulieri venit in mentem? Quid, obſecro,

Elias

Elias puero fecit? Ubi? Quando? & Quomodò puerum interfecit? Ad hæc reſpondet Ugo Card. *Quia*
Ugo Card. Elias *potuit precibus occurrere morti pueri, & non fecit.* Ut puer reviviſceret, tantùm conſtabat ei verbo, & ideò pueri interfectorem eum vocat. Elias, audito improperio mulieris
℣. 20. ſibi facto, Deum deprecatur: *Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcùmque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus?* Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum: *Domine*
Verſ. 21. 22. *Deus meus, revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit, & tradidit matri ſuæ.* Tunc mulier ad Eliam: *Nunc in iſto cognovi, quoniam Vir Dei es.*
Ugo Card. Ugo Card. *Nunc, ſcilicet in iſto facto, cognovi perfectiùs quàm antè.* Ad ly *Menſus eſt* Elias *ſupra puerum*, ait Abulenſis: *In Purgatorio anima ejus detinebatur; hæc facit ex magno affectu ad ſuſcitationem pueri, per hoc oſtendens, quòd vellet dare partem vitæ ſuæ, ſi fieri poſſet.* S. M. Eccleſia per totum quidem annum, ſignanter tamen per Octavam animarum, non unum, ſed millenos plorat filios. Et ad quot fortè præſentium poſſet hodie dicere Mater, quod olim Sareptana ad Eliam? *Cur ingreſſus es* (hanc Eccleſiam) *ut interficeres filios meos?* Scio quidem durum fore hoc publicè audire, & ut interfectores infamari, ſi tamen S. Chryſoſtomus adhuc viveret, & meo hîc loco ſtaret, certus ſum, quòd ſimiles convitiaretur, non ut reos mortis corporalis, ſed ut *Animarum necatores*, & ad oculum comprobaret ipſos tales, cùm S. Chryſoſt.
animabus dare poſſint æternam vitam, eaſque perducere ad viſionem beatificam, & quidem modo tam facili, & non faciant. NN. mei non petit à vobis S. M. Eccleſia, ut cum Elia incumbatis ſuper defunctorum fœtentia cadavera, ut os ſupra os, manus ſuper manus, oculos ſuper oculos &c. ponatis, non eſt tam crudelis, nimius horror vos invaderet præ fœtore, tantùm petit, ut preces fundatis, eleëmoſynas detis &c. aut ad minùs ſemel in die dicatis: *Domine Deus meus, obſecro, ut anima hujus æternam habeat requiem.* Si faciatis, ut precibus veſtris liberentur animæ de carcere, & viſione gaudeant beatificâ, dico vobis, quod Sareptana Eliæ: *Nunc in iſto cognovi, quoniam Vir Dei es.* Credo quidem vos bonos Chriſtianos eſſe, multaque vos opera bona facere, ſed dum videro ſuffragiis veſtris animas liberari ex Purgatorio, *Nunc cognovi, quoniam Vir Dei es. Nunc, ex iſto facto, cognovi perfectiùs quàm antè.* Utinam, utinam Chriſtiani, hodie præſtetis incarceratis animabus, quod gentilis Rex Danieli.

XX. Daniel. 6. Daniel ob adorationem vero Deo factam, mittitur in lacum leonum; at Rex Darius *Poſuit cor, ut liberaret eum.* Daniel. 6.
Orat indies Eccleſia: *Domine Jeſu*

S. M. Eccleſ. *Jeſu Chriſte Rex gloriæ, libera animas fidelium defunctorum de profundo lacu; libera eas de ore leonis.* Auditis, & non movemini. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ne in die judicii hic gentilis Rex ſurgat contra vos: *Ponite corda, ut liberetis eas.* Ponite corda pro animabus defunctis; ponite corda pro animabus oblivioni traditis, quarum non eſt memoria in terris, *ut liberetis eas*; aut ſaltem ponite corda pro patre, matre, fratre, conſanguineis, &c. clamate ad cœlum: *Requiem æternam dona eis Domine*; aut ſaltem dicite: *Requieſcant in Pace.*

SERMO SECUNDUS

DE CARCERE PURGATORII.

Petrus ſervabatur in carcere. Act. 12.

Deus duos habet carceres, criminalem, in quo damnati captivi detinentur, vincti catenis compoſitis ex annulis æternitatis: & civilem, qui eſt Purgatorium: in hoc ſervantur animæ ob pœnitentias neglectas, peccata mortalia remiſſa, & venialia Deo debitrices, ex eo non liberandæ, niſi per ſatispaſſionem ſolverint univerſum debitum uſque ad noviſſimum quadrantem, aut viventes ſuffragiis ſuis debita earum ſolvant.

I. PEtruſne Eccleſiæ caput, cui concreditæ erant oves Chriſti, in carcere? Sic ſolet Deus ſuos probare in hac vita, ut parcat in altera, juxtà Iſaiæ vaticinium Cap.
Iſaiæ 10. 17. 10. *Erit lumen Iſraël in igne, & Sanctus in flamma.* Quis enim tam perfectus, tam ſanctus eſt, qui cùm hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui poſt hanc vitam ſervatur animabus juſtis purgandis? Clariùs hoc edicat Eccleſiæ Doctor D. Ambroſius Serm. 20. in Pſalm. 118.
S. Ambroſius. *Omnes oportet aut in hoc, aut in futuro ſeculo, tranſire per flammas, ſive ille Joannes Evangeliſta ſit, quem dilexit Dominus, ſive Petrus, qui accepit claves Regni cœlorum: omnes oportet dicant: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Habet Deus carcerem, in quo poſt hanc vitam captivas ſervat animas juſtas, ſanctas, ſponſas ſuas ob contracta hic debita, donec per ſatiſpaſſionem, ut heri vidimus, aut viventium ſatisfactionem Divinæ juſtitiæ ſatisfecerint. Claves hujus carceris reliquit Eccleſiæ, *Ut, per fideles, educat de concluſione vinctos, de domo carceris ſedentes*

ſedentes in tenebris. Ad hoc opus miſericordiæ nos excitare oporteret, quòd ſint animæ, quæ in iſto carcere patiuntur: cùm non detur pœna gravior, quàm dum anima patitur. Modicum & paululum reputo, quidquid corpus patitur, aut pati poſſet, *Neque enim ſatanas* (iterum cum D. Gregorio loquor) *facere ſe aliquid multum putat, niſi cùm in anima ſauciat.* Intolerabiles ſunt dolores earum, ſignanter dum ſe vident detruſas ad centrum terræ, ubi nullus eſt, qui gemitus earum audiat, & factæ ſunt ſine adjutorio, ſicut vulnerati, dormientes in ſepulchris, quorum Deus non eſt quaſi memor ampliùs: utpotè non ampliùs admiſſæ ad actus vitæ præſentis, ad opera meritoria; quia tempus, quo potuerunt ſe juvare, & promereri, finitum eſt. N. N. mei, *Mementote vinctorum, tamquàm ſimul vincti.* Nos dum vivimus, juvare nos poſſumus, ſecus illæ: *Mementote vinctorum*; tradidit enim Deus in manus veſtras claves carceris, ut inde educatis eas. Clamant ad vos cum Leproſo, de quo Matth. 8. *Si vis, potes me mundare*, potes me liberare. Si ergò totum in vobis poſitum eſt, cujus gratiâ non abſolvitis? Videte qualiter voſipſos condemnetis. Qualis illa crudelitas, ſævire in mortuos? Fortè movebimini, dum intellexeritis rationes, ob quas in hoc carcere detinentur; de illis non exordiar, niſi priùs ſalutatâ eâ, quæ dicitur: *Mater omnium, qui ſunt in Purgatorio.* Dicamus omnes: *Ave Maria.*

S. Gregorius. Match 8. S. Bernardin. Senenſ.

II. Sicut in omni Republica benè ordinata duo dantur carceres, criminalis & civilis; criminalis, in quo qui ad mortem, civilis, in quo qui ob debita captivi tenentur; ita Deus duos habet carceres; criminalem, qui infernus eſt, & civilem, qui eſt Purgatorium: in illo ſervantur, qui ob delicta capitalia, æternùm morituri, vincti ſunt catenis, compoſitis ex annulis æternitatis: verbo uno, captivi diaboli. Carcer Purgatorii ſimilis eſt illi, in quo innocens Joſeph detinebatur Gen. 39. *Ubi vincti Regis cuſtodiebantur.* In hoc carcere captivæ & vinctæ detinentur animæ, Regis Regum magìs intimæ, & familiares, à Monarcha cœleſti dilectæ, æquales Beatis, paris nobilitatis cum filiis Principis, triumphantibus in cœlo; adeò potentes, ut ſaltu uno, teſte Eccleſ. Cap. 4. 14. *De carcere catenîſque, egrediantur ad Regnum.* Si quis quærat à me, cur ibi captivæ detineantur? una illarum dicet vobis per os Pſalmiſtæ 87. *Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & umbra mortis.* Inordinati affectus, pœnitentiæ neglectæ, peccata venialia, & mortalia remiſſa ſepelîerunt nos in hoc carcere, in hac miſeriarum valle: detinemur hîc propter debita: &, quod plus eſt: *Traditus ſum: & non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopia.* Non eſt ſpes redemptionis, niſi ſolvamus debita per ſatiſpaſſionem, aut viventes bonis operibus debita noſtra ſolvant. Hoc hodie, nomine pauperum captivarum, vobis oſtendo, dum nomine earum attentionem requiro. Incipio.

Gen. 39. Eccle. 4. Pſalm. 87. Verſ. 10.

III. De

III. De debito ab animabus captivis in hac vita contracto, variis in locis loquuntur S. Paginæ. Matth. 5. 26. Matth. 5. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Matth. 18. Matth. 18. *Quouſque redderet univerſum debitum.* Per univerſum debitum, intelliguntur peccata mortalia remiſſa; per noviſſimum quadrantem, venialia. Ita S. S. Athanaſius. Athanaſius: *Quadrans dicitur, quod minimum eſt, & quaſi neglectum in animæ cogitationibus.* Item S. Hieronymus. D. Hieronymus Eccleſiæ Doctor: *Non egredietur de carcere, donec etiam minima peccata perſolvat.* Pro hoc debito manet obligata, & hypothecata anima infiniti valoris, cum intereſſe ad centum. Tempus ſolutionis, eſt præſens vita; poſt mortem fit executio perſonalis in carcere Purgatorii; *Quoaduſque anima reddat univerſum debitum.* Sed quomodò? Dicat pro me Mellifluus Bernardus Serm. de Obitu S. S. Bernardus. Umberti: *Illud ſcitote, Fratres, quòd poſt hanc vitam, quæ hîc neglecta ſunt, in Purgatorii pœnis centupliciter punientur.* Matth. 19. Matth. 19. Aliud centuplum nobis ob oculos ponit æterna Veritas: *Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet.* Perſcrutemini circa hoc *centuplum* mentem SS. Patrum, reſ- S. Hieronymus. Beda. Maldonatus. pondebunt D. Hieronymus, Ven. Beda & Maldonatus, quòd hîc *Numerus finitus pro infinito poſitus eſt. Centuplum*, id eſt, *infinitis partibus plura & meliora.* V. G. quòd ſi quis in hac vita dederit aliquid Deo, habiturus ſit, non tantùm centuplum in altera vita, ſed infinitis partibus plura, ditiora, pulchriora & majora. Conjungite modò hoc *Centuplum* cum centuplo Purgatorii, & eâdem proportione in eumdem ſenſum trahite, & dicite, quòd in Purgatorio non ſolvatur centum pro uno, ſed finitus numerus pro infinito poſitus ſit, infinities plus, quàm oportuiſſet ſolvere in hac vita. Poterant animæ hîc unâ mortificatione, unâ diſciplinâ, uno jejunio, unâ vigiliâ ſolvere univerſum debitum, modò in carcere illo mortificationes, vigiliæ, diſciplinæ quaſi infinitæ non ſufficiunt, hoc eſt, adeò intenſæ, adeò extremæ & incomparabiles ſunt pœnæ, quas ibi patiuntur animæ, ut abſque proportione, & infinities videantur majores, quàm quidquid in hac vita paſſi ſunt Martyres. Non auſim hoc aſſerere, niſi hoc ſuo expreſſiſſet calamo Joannes Taulerus Joannes Taulerus. Serm. de Sanctis: *Majores, pro aliqua terrena delectatione in uno peccato veniali, pœnas luemus, quàm ſint omnium illorum Martyrum, quorum hodie feſta percolimus, pœnæ, in unum conflatæ.* Idipſum experta eſt Vitalina Matrona Romana, quæ, in opinione ſanctitatis mortua, ab omnibus tamquàm ſancta habita, & ad cujus ſepulchrum Magnus Doctor Auguſtinus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, genuflexus commendans ſe interceſſioni ejus, apparuit ei, flammis circumdata, ad ſtuporem adſtantium, ſcire cupientium tanti rationem Sacramenti, quibus dicebat ſe, juſto Dei judicio, ad Purgatorium condemnatam, quia ſemel

mel aut bis nimiâ curioſitate laverat caput ſuum. Teſtetur etiam hoc S. Petri Damiani ſoror, crudeliſſimis carceris hujus vinculis condemnata, ob delectationem modicam, ex vana quadam ſaltatione habitam. In eamdem ſententiam abeat Ugo Victorinus, huic carceri inter tormenta inenarrabilia, ob omiſſam regulæ diſciplinam, incluſus. His jungat ſe S. Martyr Zepherinus, ibidem vinctus catenis, ob anticipatum aliquantulum Officium divinum. Sed quid eſt, quòd Deus ſponſas ſuas, has animas ſanctas, ob tam exiguas culpas tam tenebroſo incluſas carceri, ita cruciet, ut dicere poſſint cum Job: *Mirabiliter crucias me*? Antequàm ad hoc reſpondeam, quæro cum D. Baſilio in Reg. Interrog. 4. *Quis eſt, qui peccatum ullum, cujuſmodi illud ſit, leve audeat appellare, cùm aſſeruerit Apoſtolus, quòd per tranſgreſſionem legis Deum inhonoras? An poſſumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur?* inquit D. Hieronymus Epiſt. 14. ad Celant. Tot lacrymis deflebat Paula Romana, dicti Hieronymi filia ſpiritualis, etiam minimam culpam venialem, *Ut illam*, inquit ille, *graviſſimorum criminum ream judicares.* Teſtabatur ſanctiſſimus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Se malle inſilire in rogum ardentem, quàm peccatum ullum ſciens admittere in Deum.* Aſſerebat S. Dorotheus: *Longè meliùs eſt, & corpus, & omnia corpora perire ſimul, quàm lædi animam, in re etiam minima.* His ſuppoſitis, jam reſpondeo ad quæſtionem antè poſitam.

Job 10. 16.

S. Baſilius.

S. Hieronymus.

Idem ad Euſtochium.

S. Edmundus.

S. Dorotheus Serm. 20.

IV. Ex parte Divinæ miſericordiæ emanarat decretum cœleſte Matth. 10. 42. *Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Quod executioni mandatum eſt in perſona S. Cyrilli Martyris, D. Athanaſio, tempore martyrii ſitienti, aquæ potum afferentis, qui illicò calicem Martyrum obtinuit, &, inter aquam & ſanguinem navigando, ad æternam pervenit gloriam. Ad hoc decretum attonita ſtetit Juſtitia. Quid? Cœlum pro aquæ calice? Ob rem adeò exiguam, ob duas aut tres aquæ guttas, retribuit Miſericordia gloriam cœleſtem? Ego ergò, inquit Juſtitia, quid faciam? Quidni æmuler ſimilem inventionem? Si Miſericordia ob paucas aquæ guttas infinitam in cœlo promittat gloriam, & nihil, quantumcumque minutum, irremuneratum relinquat, ego quòque, ob qualemcumque levem culpam venialem, ob verbum otioſum, ob vanam cogitationem, ob noviſſimum quadrantem, ob minimum, quod quaſi relictum eſt in animæ cogitationibus, in carcere Purgatorii pœnas dabo acerbiſſimas, & quaſi infinitas. Quid æquius? Quid juſtius? Videte, ſi vobis oculi ſint, quomodò Deus hic, dum adhuc tempus miſericordiæ eſt, ob verbum iniquè prolatum, ob peccatum veniale, etiam ſanctiſſimos puniat. Matth. 10. 42

V. Num. 20. 10. Moyſes Iſraëlitici populi Archiſtrategus, à ſignis & portentis commendatiſſimus,

ſitienti populo de petra aquam eliciturus, non linguâ (ut Deus mandârat) ſed virgâ petram ſemel iterumque percutit, dicens populo:
Num. 20. 10. *Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Volunt Interpretes, ſignanter S. Ephrem Lib. de Vita Contempl. quòd Moyſes titubaverit parùm in fide, ideòque petram percuſſerit: *Populum incredulum*
Verſ. 12. *dicit, dum ipſe aliqualiter titubat*; unde illi Dominus: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* O duram pœnam! Commiſerit fortè grave aliquod delictum? Num ob tanta & incomparabilia portenta, quæ faciebat, in ſuper-
S. Ephrem. biam elatus eſt? Edicat S. Ephrem: *Plurimis licèt ſignis atque miraculis claruiſſet Moyſes, ubi modicè linguâ lapſus eſt, extorris terræ promiſſionis extitit.* Quid? Moyſes Vice-Deus, cui elementa obediunt, poſt tot ſigna & portenta, poſt tot ſudores & labores, exulat à terra promiſſionis? & quare? *Ubi modicè linguâ lapſus eſt*, ob levem lapſum linguæ, ob verbum leviter prolatum. *Magnum & horrendum mare*, inquit Sanctus, *viam ei præcludere non potuit, ſed verbum unicum, ab eo prolatum, velut murus aliquis obſtitit illi.* Verbum unicum, quod peccati venialis limites, ſecundùm
S. Auguſtinus. S. Anaſtaſius. SS. Baſilium, Auguſtinum & Anaſtaſium, non exceſſerat. Verbum aut vanum, aut otioſum, aut duriuſculum, aut inconſideratum, aut ambiguum, *Verbum unicum*,
S. Baſilius. tanti illi conſtitit, ut D. Baſilius præ ſtupore exclamet: *Cùm video Moyſen, illum Dei ſervum, ſervum illum, inquam, magnum, qui tali ac tanto à Deo dignatus eſt honore, propter hoc ſolum non intraturum in terram promiſſionis, cùm video eum rogantem, & non impetrantem, cùm video nullam, propter tot rectè & præclarè geſta, veniam aſſecutum, ob illud breve verbum, reverà video quidem Dei, ut dixit Apoſtolus, ſeveritatem, &c.* N. N. mei, ſi Deus in hac vita, miſericordiæ climate, tam rigoroſè puniat peccata levia, miramini animas captivas in carcere Purgatorii, ob culpas leves, à Divina juſtitia tam rigoroſo & duro exilio, tam tenebricoſo carcere caſtigari? Ob parvum mendacium tanti cruciatus? Ob riſum tot gemitus, tot lacrymæ? Ob levem aſpectum tanta excæcatio, ut Deum videre nequeant, non inimici, ſed filii? Ne miremini, quia in Deo tam juſtitia ejus eſt infinita, quàm miſericordia; ſicut ſemper pius & miſericors eſt, ita & juſtus: inter hæc duo Attributa ſemper certa lucta eſt, una vult alteri prævalere, miſericordia præponi juſtitiæ, juſtitia miſericordiæ. Sed *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Legite divinam Pſalm 84. 11.
Scripturam, hiſtorias ſacras & prophanas, invenietis Deum generoſum ſemper in miſericordia, at etiam ſemper rigoroſum in juſtitia. Si ergò præmiet minimam etiam actionem virtuoſam, amore ejus factam, quid mirum, quòd puniat minimam etiam actionem peccaminoſam, in deſpectum ejus factam? Quid mirum, quòd non ſolùm exigat *Univerſum debitum*, ortum

ortum ex remiſſis mortalibus, ſed *Uſque ad noviſſimum quadrantem*, ob commiſſa venialia, & quidem in annos multos, imò & ſecula ?

Num. 14. VI. Num. 14. Egreſſi filii Iſraël de ſervitute impii Pharaonis, poſt anni & trium menſium decurſum, venerunt in Cadesbarne, locum terræ promiſſionis confinem, uti

Abulenſis. obſervat Abulenſis in Cap. 18. Num. Q. 27. Deo ita mandante, miſit Moyſes exploratores ad conſiderandam terram; qui poſt quadraginta dies reverſi ſunt, omni regione circumluſtratâ, veneruntque ad Moyſen, & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſraël, nuntiantes illis, quòd terra eſſet fertiliſſima, & abundantiſſima, fluens lacte & melle; quòd urbes grandes, atque muratæ eſſent, & populatæ; populi autem fortiſſimi, etiam de ge-

Num. 13. nere giganteo, dicentes: *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.* Et quidquid Joſue & Caleb, duo ex exploratoribus, animabant populum, ut fiderent divino promiſſo auxilio, *Vociferans omnis turba flevit: & murmurati ſunt contra Deum, & Aaron, cuncti filii Iſraël.* Quid actum ? Tunc fulminavit Deus in

Num. 14. 34. illos hanc ſententiam: *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideráſtis terram, annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis ultionem meam*; ſic, ut niſi poſt quadraginta annos completos in deſerto, ne vel uni conceſſus ſit ingreſſus in felicem terram iſtam; & licèt pœnitentiâ duc-

Verſ. 40. cti dixerint: *Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt, quia peccavimus*, Deus quidem dimiſit illis culpam, non pœnam. Origenes Hom. 8. in Cap. 14. Num. Per populum Dei electum, & pœnam illi inflictam, intelligit animas Purgatorii, ob culpas ſuas à terra ſancta Paradiſi exules: *In eo, quòd populus ille, pro quadraginta dierum delicto, quadraginta annis crucietur in deſerto, ſimilitudo quædam futuri judicii videtur oſtendi.* Proſequitur Origenes: Origenes.
Si annus adſcribitur ad pœnam, pro unius diei peccato, vereor ne fortè nobis, qui quotidiè peccamus, ipſa fortè ſecula ſufficere poſſunt ad pœnas luendas. Notat Abulenſis, quòd peccatum, ob quod puniti ſunt filii Iſraël quadraginta annis, vix duraverit per diem unum: *Peccatum iſtud, pro quo Iſraëlitæ puniti ſunt, non duravit quadraginta diebus, imò nec unâ die*, quia non diffidebant divino auxilio, nec murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron, omnibus quadraginta diebus, quibus exploratores fuerunt in terra promiſſionis, ſed ſolùm in die reditûs, quando intellexerunt ex illis minùs placita, *Tunc murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron cuncti filii Iſraël.* Tunc dixit illis Deus: *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideráſtis terram, quadraginta annis recipietis ultionem meam*; quia juxta quadraginta dies imponebat quidem illis per quadraginta annos pœnitentiam, non autem quòd per quadraginta dies deliquerint. N. N. Si ob unum peccatum, quod vix uno die duravit, & de quo ſtatim pœnituerunt, puniti fuerint

filii Iſraël annis quadraginta, quanto, putatis, tempore patiuntur in ſuo carcere pauperes Purgantes animæ, quæ non ſolùm per dies, ſed per menſes, & annos, addiderunt peccata peccatis, quamquàm remiſſa, relictis millenis peccatis venialibus? Ponamus pro quoque peccato mortali ſolùm quadraginta dies Purgatorii (commiſerint fortè centena) computate cum illis omnia venialia, invenietis, quòd anni purgationis earum nec per decem, nec per viginti tantùm, ſed per ſecula multa ſint duraturi. Teſtimonium perhibet de his S. Mater Eccleſia, pro captivis animabus ſollicita: audite illam, pro his ſupplicantem cum Davide.

Pſalm. 73. 19. VII. Pſalm. 73. 19. *Animas pauperum tuorum, ne obliviſcaris in finem.* Obſervat Doctor Seraphicus Serm. de Mortuis, Eccleſiam lacrymis ſuperfuſam hîc Deo exponere miſerum captivarum animarum ſtatum: *His verbis Eccleſia cum multo gemitu orat pro pauperibus animabus in Purgatorio*: ſupplicans in die obitûs: *Non tradas eas in manus inimici, neque obliviſcaris in finem. Ne obliviſcaris in finem?* An in Deum cadere poteſt oblivio? *Numquid omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus?* Si, ſecundùm Angelicum in 4. Diſt. 50. Qu. 2. A. 2. ad 3. *In anima ſeparata oblivio eſſe non poteſt*, ex quacumque diuturnitate, eritne poſſibilis oblivio in Deo? Si, ipſo Davide teſtante, *Non in finem oblivio erit pauperis*, cur ipſe, & Eccleſia orant Deum, ne obliviſcatur earum in finem? *Animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem?* Reſpondet Seraphicè Seraphicus: *His verbis cum multo gemitu orat pro pauperibus animabus in Purgatorio, quarum pœnæ intolerabiles, tam durabiles ſunt, quaſi Dominus oblivioni eas tradiderit, in quem tamen oblivio non cadit: ſed certè finaliter non obliviſcetur.* Non poteſt in Deum cadere oblivio, non poteſt; at rogat Eccleſia: *Animas pauperum tuorum, ne obliviſcaris*, quia incarceratio, & pœnæ earum tam durabiles ſunt, & diuturnæ, ut non videantur finem habituræ; & Deus eas quaſi oblivioni tradiderit; vel, ut cum Angelico loquar in Cap. 38. Iſaiæ: Deus in ſacra Scriptura *Dicitur oblitus, quando non retribuit.* Et quia aliquarum captivarum animarum liberationem è carcere differt uſque in finem mundi, ideò ſupplicat: *Animas pauperum tuorum, ne obliviſcaris in finem.* Non fabulas narro: ad vitam S. Lutgardis vos mitto, à Surio deſcriptam.

VIII. Poſtquam Romæ celebratum erat Concilium Lateranenſe, obit Innocentius: parùm poſt obitum apparet Lutgardi totus in flammis: Sancta tota territa, petit: Quis ille? Reſpondet, quòd eſſet Papa recens mortuus: tunc illa profundo gemitu exclamat: Debetne Pater & communis Paſtor tam crudelia ſubire tormenta? Sed cur, inquit illa? Ob tria, reſpondet Pontifex, debuiſſem in æternum damnari, ſed per Mariæ interceſſionem, cui ſemper devotus fui, in fine vitæ obtinui veram contritionem, & peccatorum remiſſionem; nihilominùs

S. Bonaventura.
D. Thomas.
Pſalm. 9. 19.
S. Bonaventura.
D. Thomas.
Surius.

minùs adjudicatus ſum pœnis Purgatorii uſque ad diem judicii: at miſericors Dei Mater pro me impetravit favorem, ut interpellarem preces tuas, & pœnitentias. Auditis hæc NN. & non ingemiſcitis? Eccleſiæ Paſtor, Chriſti Vicarius, ob dimiſſa per contritionem & pœnitentiam mortalia, & alia venialia, damnatur ad hunc carcerem uſque ad diem judicii. Quid dimiſſa mortalia, aut certè venialia in medium produco? Audite Oſeam Prophetam loquentem Cap. 4. *Et non intelligens populus,*
Oſeæ 4. 14. ibi *vapulabit*. Quis ille populus non intelligens? Gloſſa Interlinealis ex-
Gloſſa Interlinealis. plicat: *Non intelligens Deum, vel peccatum ſuum*: populus, qui judicaverit ſe Deum non offendiſſe, aut peccatum aliquod commiſiſſe, & poſt examinatam conſcientiam defectum aliquem aut culpam non invenerit, ille adhuc vapulabit: *Populus non intelligens vapulabit.* Et vos adhuc viventes, audetis dicere: *De minimis non curat Prætor?* Experiuntur jam animæ noſtræ captivæ, an hoc axioma admittatur in tribunali juſtitiæ Divinæ. Auſim dicere, quòd nihil magìs has miſeras captivas cruciet, quàm quòd Deum, ſummum bonum, non ſolùm per peccata mortalia, licèt remiſſa offenderint, ſed etiam per venialia; hæc ipſis pœna eſt ipſo carcere durior.

IX. Quæro: An in hoc carcere civili detur remorſus conſcientiæ, ſicut in criminali? An animas Purgantes hic vermis rodat, ſicut damnatos in inferno? De his loquitur Salvator Marci 9. in quo Capite,
Marci 9. ℣. 44. 46. 48. ter dicit: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* S. Aug. de Civit. Dei Lib. 21. Cap. 9. totus conſternatus ob hæc
verba ait: *Non enim piguit uno loco* S. Auguſt.
eadem verba ter dicere. Et ſtatim ſubjungit: *Quem non terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino!* Non repetiiſſet tertiò, niſi tremenda foret, & intolerabilis pœna. S. Amb. Lib. 3. Off.
Cap. 4. *Quæ pœna gravior, quàm vulnus conſcientiæ?* Eſtne etiàm vermis ille in Purgatorio? S. Bernardus. Lib. de Conſcientia dicit, qua- S Ambroſ.
tuor dari conſcientias: *Conſcientia,* S. Bern.
alia eſt bona & tranquilla; alia nec bona nec tranquilla; alia tranquilla, ſed non bona; alia bona, ſed non tranquilla. Bona & tranquilla, eſt conſcientia Beatorum, & omnium illorum viventium, qui ſubjectâ carne ſpiritui propriâ voluntate, divinâ fruuntur pace imperturbabili, ſine ullo remorſu, quòd Deum offenderint. Talis conſcientia non eſt in Purgatorio: quia licèt per charitatis unionem cum Deo *Dormiant in ſomno pacis*, quia tamen defuerunt ſatisfa-
ctioni Divinæ juſtitiæ, *Ecce in pace* Iſaiæ 38. 17.
amaritudo mea amariſſima. Non bona, & non tranquilla, eſt conſcientia damnatorum, & omnium peccatorum, qui de ſalute deſperant; nec talis eſt conſcientia animarum in Purgatorio: quia ſunt confirmatæ in gratia, & habent certitudinem ſuæ ſalutis. Conſcientia tranquilla, etiam non bona, eſt illorum peccatorum, qui obcæcati paſſionibus
ſuis, *Lætantur cùm malè fecerint, &* Prov. 2. 3.
exultant in rebus peſſimis. Prov. 2. nec talis eſt conſcientia animarum in Purgatorio; quia perfectè contritæ, amarè deflent commiſſa peccata.

Conſcientia bona, & non tranquilla,
S. Bernardus. *Eſt eorum*, inquit Bernardus, *qui, jam converſi ad Dominum, recogitant annos ſuos in amaritudine.* Tales ſunt pœnitentes hujus vitæ, ſed præcipuè animæ captivæ in Purgatorio, recogitantes in ſuis tenebris, quòd Deum, ſummum bonum, offenderint.

X. 1. Reg. 24. Intrat David ſpeluncam, in qua latebat Saul. Abiſai, viſo Saüle, ait Davidi: *Ecce dies,*
1. Reg. 24. 5. *de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, ſicut placuerit tibi in oculis tuis.* Surrexitq; David, & præcidit oram
♰. 6. chlamydis Saul ſilenter. *Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Cur hoc? Quale peccatum commiſerat David? Erat tempore belli, & quidem ex parte Saülis injuſtiſſimi, juſtiſſimi autem ex parte ejus; ſi ipſum occidiſſet, juſtiſſimè ſe defendiſſet: Quid ergò ita cor ejus ferit? Cur ob abſciſſam oram chlamydis percuſſit cor ſuum? Ad hoc reſpondet Lyranus: *Conſcientia eum reprehendit, quia in hoc fecerat irreverentiam ipſi Saüli, qui honorandus erat, quàmdiu in regno tolerabatur à Deo; & ideò percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis.* NN. Si David ita doluerit ob modicam irreverentiam, commiſſam erga Regem inimicum, & perſecutorem ſuum, qualem putatis eſſe dolorem animarum, ob irreverentias Deo factas per tot mortalia, licèt per pœnitentiam remiſſa, tot millena venialia, & ingratitudinem Deo factam, à quo tam multa bona receperunt in vita? Quando conſcientia ſimilia improperat, poſſentne animæ ſanctæ ſe à lacrymis continere? Peſſimi quique ad ſimilia lacrymas funderent.

XI. Eodem Capite: Egreſſus David de ſpelunca, Saülem alloquitur: *Quare audis verba hominum* 1. Reg. 24. ♰. 10.
loquentium: David quærit malum adversùm te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca, & cogitavi, ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia chriſtus Domini eſt; quin potiùs, Pater mi, vide & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: animadverte, & vide, quoniam non eſt malum in manu mea. Quibus auditis, dixit Saul: *Numquid* ♰. 17.
vox tua eſt, fili mi David? Et levavit Saul vocem ſuam, & flevit, dixitque ad David: Juſtior tu es, quàm ego; tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tamen offenſor Rex erat, offenſus paſtorculus, filius Iſai. Quid ſi offenſor vilis aliquis, offenſus autem Rex fuiſſet? Cogitate modò NN. confuſionem, amaritudinem, & pœnam animarum, cùm conſcientia illis improperat, quòd in vita, licèt abjectiſſimæ creaturæ, toties offenderint, non perſonam inferiorem, non Principem, non Regem mundi, ſed Regem Regum, immenſam Majeſtatem, Omnipotentem Deum; cognoſcunt modò, ſe toties meruiſſe repentinâ morte puniri, & in infernum præcipitari, quoties mortaliter peccaverunt: quòd in vita tantâ illas benignitate exſpectârit ad pœnitentiam, condonârit offenſas, ad ſingulas quaſcumque contritiones dimiſerit delicta, adoptârit in filios, & ad æternam gloriam deſtinârit: his omni-

omnibus tamen non obſtantibus, ingratæ & rebelles rurſus graviter offenderint, & ſpreverint, & ipſe, non minùs quàm antè miſericors, denuò invitârit ad contritionem, denuò peccata remiſerit, denuò receperit in gratiam, denuò adoptârit in ſponſas, & hoc non ſemel, ſed centenis, & centenis, imò vicibus innumeris. Dum modò amant Deum, tantæ ingratitudinis, tot offenſarum, tot gratiarum receptarum memores, impoſſibile eſt, ut ab improperante conſcientia non patiantur amaritudinem extremam: ſic ut ab ipſo diabolo non poſſent ſubire majorem.

XII. Job 4. Obtentâ à Deo licentiâ, ſatan aggreditur Job, eumque percutit ulcere peſſimo, à planta pedis, uſque ad verticem ejus; uxore utitur tamquàm inſtrumento primario, quæ exprobrans ei ait: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua, benedic Deo, & morere.* Et tandē Eliphaz, qui improperat ei, quòd à Deo propter peccata flagellaretur, qui innocenti adverſa non immittit. S. Greg. Lib. 2. Moral. Cap. 8. notat ordinem, quem ſervat ſatan: *A minimis incipiens, ad ultimum graviora nuntiavit.* Primò aggreditur eum in bonis fortunæ, præcipitando de altiſſimo gradu bonorum, ad profundum miſeriarum. Secundò in bonis naturæ, occidens omnes filios. Dein plagâ horrendâ corpus inficiens. Non terminabat hîc crudelitatem: in ipſum uxorem ſuſcitat; tandem ad extremum malitiæ veniens, inducit tres amicos, ut loco ſolatii, improperarent: *Recordare, quis umquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt? quin potiùs vidi eos* (inquit unus ex tribus) *qui operantur iniquitatem. flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumptos.* Hîc terminabat crudelis ſuos aſſultus. Cur ultimò feriebat eum ſtimulo conſcientiæ? *Ad ultimum graviora nuntiavit.* Erat *Non plus ultra* omnium pœnarum, quibus poterat affligere Job. Originem audite Lib. 3. in Job. *Nequiſſimus diabolus ampliùs exulceravit cor Job, per hæc, quæ locuti ſunt, quàm per omnes dolores, quos pridem exercuit in eum. Nam quid eſſet Job crudeliùs, quam ut ab amicis de peccatis fuiſſet criminatus?* Cogitate NN. qualis afflictio, & dolor animabus ex illo improperio, quòd ob peccata, etiam levia, modò tam tetro includantur carceri, & Deo priventur, cùm ipſe ſatan, ſi permiſſum ei foret, nec pejori nec majori pœnâ affligere poſſit? Ut videatis clariùs.

Job 4. S. Gregorius. ỷ. 7. Origenes.

XIII. Omne tormentum, omnis dolor, amaritudo qualiſcumque, & quantumcumque gravis, ad Dei præſentiam conſolationes fiunt. Act. 7. Lapidatur Stephanus, at quia *Vidit cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei*, lapides torrentis illi dulces fuerunt. Dan. 3. Tres adoleſcentes in voraciſſimas flammas Babylonicæ fornacis miſſi, quia apparet illis Filius Dei, *Ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum.* Pſal. 22. David tanta paſſus, quia videbat divinâ ſe honorari præſentiâ, lætè cantabat: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Sed pœna remorsûs conſcientiæ, licèt tantùm ob venialia, cauſat tantam triſtitiam & afflictionem, ut nec

Act. 7. Danielis 3. Pſal 22.

nec per ipſam Dei viſionem tollatur, aut minuatur. Imò licèt anima juſta videre poſſet Deum, eligeret potiùs non videre, quàm cum remorſu conſcientiæ videre. Quis umquam Moyſe concupivit Deum ardentiùs? Et tamen, quando in rubo apparens illi, benignâ voce dicebat: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob,* S. Hieron. *abſcondebat Moyſes faciem ſuam; non enim audebat aſpicere contra Deum:* quia de Ægypto veniebat, ubi inſorduerant paululùm pedes ejus. Ita D. Hieronymus. Epiſt. 142. ad Damaſum. Interfecto Ægyptio conſcientia ejus aliqua ex parte ſorduerat: & illa eſt ratio, ob quam abſcondit Moyſes faciem ſuam: *Non enim audebat aſpicere contra Deum.* Quia tam gravis eſt pœna remorsûs conſcientiæ, ut anima juſta mallet viſione Dei privari, quàm ſuſtinere tormentum videndi Deum, cum tali remorſu, & improperio. 3. Reg.

3. Reg. 19. 19. SS. Pater meus ELIAS idipſum fecit. Apparet illi Deus poſt multa ſuſpiria, & gemitus; ut vidit: Richardus à S. Vict. *Operuit vultum pallio.* Richardus à S. Vict. cit. à Tilm. in Alleg. rationem allegat: *Sub Dominica præſentia imperfectum ſuum perfectius cognovit, & imperfectionem ſuam videre erubuit.* Si ille remorſus tanta pœna eſt, ut etiam cum ipſa Dei viſione non tollatur, quanta captivis animabus pœna, quanta amaritudo remorſus ille, quòd ob peccata, etiam levia, Deo priventur, tam tenebricoſo carceri incluſæ? Pœnam hanc remordentis conſcientiæ, non eſt qui explicet, niſi ipſæ captivæ animæ. Habetis unam loquentem per os Jobi Prophetæ.

XIV. Job 7. *Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum?* D. Dionyſius Cart. hîc: *Spiritus, qui in Purgatorio puniuntur, dolent de peccatis præteritis.* Job 7. D. Dionyſius Carth. Memores peccatorum præteritorum, cogitant & recogitant, quid facere poſſint ad recompenſandam injuriã, per peccata Deo illatam; *Quid faciam tibi, quid faciam pro injuria, quam tibi exhibui, cui recompenſare non poſſum,* quaſi dicerent: Rebelles fuimus, noluimus obedire mandatis tuis, conculcavimus divinã legem tuam, modò plenæ rubore & confuſione, cognoſcimus malitiam noſtram, & benignitatem tuam, noſtras iniquitates, & miſericordiam tuam grandem, vilitatem noſtram, & Majeſtatem tuam, quandò potuimus, noluimus, modò dum volumus, non poſſumus, affligunt nos, torquent nos, cruciant nos tot pœnæ, ſed ſupra omnia nos affligit, quòd te offenderimus, & debitâ pœnitentiâ recompenſare non poſſimus. *Quid faciam pro injuria, quam tibi exhibui, cui recompenſare non poſſum?* Hoc tormentum eſt, quod animas ſuper omnes pœnas Bloſius. cruciat, unâ idipſum revelante animâ S. Birgittæ, juxta Bloſium in Mon. Spir. Cap. 13. *Magis me angunt peccata, quæ contra Deum commiſi, quàm dolor, quem ſentio.* Quis non credet mecum, animas non minùs, imò millies magìs proteſtari, quàm quondam dolens Ezechias Iſaiæ 38. quòd ad condignam pœnitentiã faciendam tempus non haberet, dicens: Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ,* quaſi diceret inquit Ber. in Cant. Ezech. *Oportebat quidem, ſi fieri poſſet, revivere me, ut ita* S. Bern. *loquar,*

loquar, denuò, quod malè vixi, ſed, quia hoc non poſſum, faciam recogitando, quod reoperando non poſſum. Si hoc proteſtetur verus pœnitens, antequàm ſtetit ante tribunal ſtricti Judicis, nec ſubiit rigoroſum vitæ ſuæ examen: quid dicendum de animabus, quæ perfectè, poſt datam ſententiam, malitiam ſuam cognoſcunt, quando in ſtatera omnes à Deo acceptas gratias, & injurias Deo factas, ob oculos habent? Tunc ajunt: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine.* Magis nos angunt peccata, quæ contra Deum commiſimus, quàm dolor, quem ſentimus. Oportebat quidem, ſi fieri poſſet, revivere nos denuò, quod malè viximus, ſed, quia hoc non poſſumus, faciemus recogitando, quod reoperando non poſſumus. Placet hoc audire ex ore patientis animæ cujuſdã Regis defuncti, juxta revelationem factam S. Birgittæ, teſte Ludovico Bloſio in Mon. Blosius. Spir. Cap. 13. *Utinam mihi concederetur ſaltem una horula, in qua poſſem converti ad Dominum, & ei gratias agere pro ipſius beneficiis*; ſed cùm non detur, patiuntur libenter pœnas, quas ſciunt ſe meruiſſe, & indubiè dicunt cum Propheta Michæa Cap. Michææ 7. 7: *Iram Domini*, quæ juxta D. Tho- D. Thomas. mam in Pſal. 6. ardet in Purgatorio, *portabo.* Et quare? *Quoniam peccavi ei.* Crediderim, quòd ob remordentem conſcientiam de offenſa, & injuria facta Deo, ſi à Divina juſtitia duro iſti carceri non eſſent adjudicatæ, in illum ſeſe conjicerent.

XV. Jonæ 1. Jonas miſſus in Ninive, ut prædicet pœnitentiam, inobediens Deo, vadit in Tharſis: ortâ tempeſtate, à nautis interrogatur, quis, & unde eſſet? quibus reſpondit: *Dominum Deum cæli ego ti-* Jonæ 1. *meo.* D. Dionyſ. Carth. ibi, de illo ſcribit: *Jonas, cùm hæc dixit, timuit* D. Dionyſius Carth. *utique Deum, & de ſuo peccato pœnituit.* Sed obſervo, quòd antequàm nautæ mitterent eum in mare, illis dixerit: *Tollite me, & mittite in mare.* Exſpecta tantiſper, Jona, cur feſtinas? Nihil aliud intendunt nautæ, quàm te mittere in mare, ut quid ergò urges eos, ut mittant? *Mittite me in mare?* Reſpondet Theophilactus in Comment. & in Gloſ. Jonæ compatiendum eſſe, quia, licèt de peccato doluerit, & à Deo veniam petierit, tanto rubore ob peccatum commiſſum ſuffundebatur, ut ultrà exſpectare non poſſet, ſed ſeipſum in mare conjeciſſet. Do verba Theophilacti: *Cognito peccato ſuo, rubore* Theophil. *ſuffunditur Propheta, quòd deliquerit; ideò ſeipſum Deo inobedientem morte condemnat.* Ita animæ captivæ, cognitis peccatis ſuis contra Deum commiſſis, tanto ſuffunduntur pudore, quòd Deum offenderint, ut non ſolùm ſe illo carcere dignas cenſeant, ſed niſi Deus illas condemnâſſet, ſeipſas in carcerem mitterent. NN. mei in manibus veſtris eſt, à captivis noſtris auferre opprobrium, illis factum à remordente conſcientia: ſi audiatis illos cum Davide Pſal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ* Pſalm. 41. *meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè: Ubi eſt Deus?* Ubi eſt Deus tuus, qui te ita amavit? de nihilo creavit? qui te redemit pretio Sanguinis ſui? qui erat centrum deſideriorum tuorum? *Ubi eſt Deus tuus?* O anima ſtulta, quomodò eſt poſſibile, quòd culpâ tuâ illum perdideris?

d potuiſ-

potuiſſes frui ſubitò tanto bono; quando eras in vivis, & committebas peccata, poteras facere condignam pœnitentiam, poteras indulgentiarum theſauro, meritis Chriſti, te juvare, quibus fuiſſet tibi remiſſa tota iſta pœna, & ſtatim poſt mortem frui potuiſſes viſione Dei, ſed, defectu pœnitentiæ, debes ſubire hæc tormenta, damno tuo. *Ubi eſt Deus tuus?* Deus erat tuus, & ut tuum debebas poſſidere, ſed culpâ tuâ ad tempus perdidiſti; *Ubi eſt Deus tuus?* Quàm durum ſit hoc improperium, quod conſcientia animæ facit, non ſum qui ultrà explicem. Clamant ad vos viventes: *Auferte opprobrium noſtrum.* Suffragiis veſtris juvate, ſolvite pro illis debitum, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor.* Sic Chriſtum imitabimini, à quo Chriſtiano nomine inſigniti eſtis. Apoc, 7. 17.

XVI. Joannis 19. Chriſto mortuo, crudelis miles crudeli *Lanceâ latus ejus aperuit*: ſtatimque *exivit Sanguis & aqua.* Doctorum Aquila dicit, quòd aqua illa fuerit gratia Sacramentalis, quæ omnium fidelium vita eſt. *Ex latere Chriſti omnia Sacramenta fluxerunt.* Obſervat inſuper idem Doctor, hoc factum poſt mortem Chriſti, *Ut non ſolùm Sanguis ejus juvaret vivos ad gratiam, ſed etiam prodeſſet defunctis ad gloriam.* Poſt mortem à morte reſuſcitatus, ſtatim *deſcendit ad inferos*, ad incarceratos in lymbo, liberans ex carcere omnes animas captivas in lymbo. Ita D. Tho. in 3. Diſtinct. 22. Q. 1. Art. 2. *Ex ſpeciali gratia fuit, quòd illi, qui in Purgatorio reperti fuerunt, abſoluti ſint per Paſſionem Chriſti.* Non debeo hoc ex D. Thoma habere, S. Scriptura dat nobis probas ſufficientes. Iſaiæ 49. *Dedi te in fœdus populi, ut diceres his, qui vincti ſunt: Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini.* Per vinctos, intelligit D. Anſelmus animas captivas in Purgatorio; & per eos, qui in tenebris, Patres in lymbo; *Vinctos vocat, qui erant in pœnis; alios verò in tenebris, quos omnes abſolvit, & in gloriam duxit Rex gloriæ.* Iſaiæ 61. & Marci 4. dicit Chriſtus: *Miſit me* (Pater) *ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem.* Per contritos corde, intelligit S. Vincentius Ferrerius animas in Purgatorio: *Ut mederer*, inquit, *contritis corde* in Purgatorio. Act. 2. Prædicans Petrus Judæis reſurrectionem, ait: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis inferni doloribus.* Certum eſt, quòd Chriſtus reſurgens, damnatorum neminem ſolverit à doloribus inferni, quia ibi *nulla eſt redemptio.* Et hoc certum, quòd Patres in lymbo nullos paterentur dolores ſenſûs; quia in quantumcumque obſcuro detinerentur carcere, tamen, inquit D. Greg. Lib. 13. Moralium Cap. 16. *In ipſis inferni locis juſtorum animæ ſine tormento tenebantur.* Epheſ. 4. Deſcribens Apoſtolus Chriſti Aſcenſionem, ait: *Aſcendens Chriſtus in altum, captivam duxit captivitatem.* Cur non dicit: *Captivos duxit ſanctos Patres?* Reſpondet ad quæſtionem D. Ambroſius: quia *Expoliavit inferos.* An etiam lymbum infantium ſine Sacramentis mortuorum & inferorum damnatorum? Minimè: cùm enim illi nec fide, nec charitate ſint conjuncti, nulla eis umquam

ſpes.

Joannis 19. S. Auguſtin. D. Thomas. S. Anſelmus in elucid. Iſaiæ 61. Marci 4. S. Vincentius Ferrer. Actorum 2. S. Gregorius. Epheſ. 4. S. Ambroſ.

ſpes affulget liberationis ex carcere. Dicit: *Expoliavit inferos* in plurali, & non: *Expoliavit lymbum* ad indicandum, quòd expoliârit diverſos carceres, lymbum ſcilicet & Purgatorium. Clariùs ſe explicat verbis ſequentibus: *Expoliavit inferos, cùm* Idem. *captivos, quos ex prævaricatione Adæ: aut ex propriis captos peccatis tenebat, abſtulit: & aſcendens inde, in cælos induxit. Quos ex prævaricatione Adæ:* hi ſunt Patres in lymbo, ob Adæ culpam ibi detenti. *Aut ex propriis captos peccatis*: hi ſunt juſti, in Purgatorio ob propria peccata captivi. Quid fecit Chriſtus cum illis? *Abſtulit, & aſcendens inde, in cælos induxit.* Sicque *Chriſtus* (cum Venerabili V. Beda. Beda loquor) *calcato regno mortis, omnibus ſalutis dona tranſmiſit.* NN. ſi Chriſtiani eſtis, diſcite à Chriſto ſolvere captivas animas, numquàm clariùs Chriſtianitatis ſpecimen daturi. Si Chriſtianum eſt, de carcere materiali captivos liberare, Chriſtianiſſimum eſt, animas de Purgatorii carcere redimere.

XVII. Joannis 11. Cùm gravi ac lethifero morbo Lazarus teneretur, ſorores ad Chriſtum, ſummum Medicum, confugiunt, & quamvis certâ fide crederent, ei utpotè vero Deo, omnia eſſe aperta ac manifeſta, tamen exorantes mittunt ad eum: Joannis 11. *Ecce quem amas, infirmatur.* Nolebat Chriſtus ſanare infirmum, ut reſuſcitaret mortuum. Moritur Lazarus, Chriſtus, qui etiam abſens morientem viderat, dicit ſuis: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Quale illud gaudium, quod ſentiebat Chriſtus occaſione Diſcipulorum? *Gaudeo propter vos?* Qualem felicitatem cauſabat Apoſtolis mors Lazari? An fortè bonorum Lazari hæredes futuri? non ſanè. Notate Chriſti verba: *Gaudeo propter vos, ut credatis*: gaudeo propter veſtram utilitatem, & commodum: ſciebat Chriſtus, quòd mortuum Lazarum vellet reſuſcitare, quòdque inde roboranda eſſet fides Diſcipulorum, ut Aug. in Joannem ait: *Ut credatis; quod intelligendum eſt: ut* S. Auguſtin. *ampliùs robuſtiùſque credatis.* Magìs ad rem noſtram D. Dionyſ. Carth. *Gaudeo propter vos*; id eſt, *propter fructum, quem conſecuturi eſtis; confirmati* D. Dionyſius Carth. *enim fuerunt in fide.* Benefacere mortuis, illis miſericordes eſſe, confirmat fidem noſtram. Si Chriſtianum eſt, afflictos vivos juvare, quos videmus; Chriſtianiſſimum eſt, afflictas & patientes animas juvare, quas non videmus. Talia opera miſericordiæ fidem confirmant.

XVIII. Joan. 19. De Ioſeph ab Arimathæa loquens Evangeliſta, ait: *Erat Diſcipulus Jeſu, occultus autem* Joannis 19. *propter metum Judæorum.* Necdum audebat manifeſtare amorem, quo ferebatur in Chriſtum, propter metum Iudæorum; ſed quomodò manifeſtavit fidem ſuam? Quando oſtendit ſe verum Chriſti Diſcipulum? quando Chriſtus obîerat; quando corpus ſepeliendum erat; tunc oſtendit fidem ſuam; tunc ivit ad Pilatum, *& petiit Corpus Jeſu* ut ſepeliret; tunc oſtendit ſe Chriſti Diſcipulum; tunc manifeſtavit fidem, quæ erat occulta. Audite verba Ugonis: *Erat Diſcipulus Chriſti, ſed* Ugo Card. *occultus: ſed circa funeris extrema, manifeſtavit diſcipulatum*, Chriſtum ſepeliendo; reſurgebat fides ejus;

non ampliùs mortem timet, defuncti amicus factus. Tunc N. Chriſtianum te oſtendis, meliùs dicam, Chriſtianiſſimum, dum viſcera miſericordiæ effundis in captivas animas; ſi enim ille dicendus eſt Chriſtianus, qui corporales afflictiones ſublevat, quidni Chriſtianiſſimus, qui in animas patientes miſericors eſt, & ſubſidia præſtat, ſecundùm D. Thomam: *Tantò præſtabiliora, quantò animus eſt corpore nobilior*? Quomodò perſuadebitis mihi, vos illa credere, qui non vultis vel minimâ commoditate veſtrâ carere, ut juvetis miſeras illas animas? qui expenditis aurum & argentum, expenditis, imò effunditis, ut ſatisfaciatis veſtris appetitibus, & vanitatibus, &, ut juvetis illas afflictas animas, non habetis vel ſolidum, ut celebretur Miſſa in refrigerium illarum? Quomodò poteſtis dicere, vos credere animas illas ita cruciari & ardere, & non moveri ad compaſſionem? Quomodò poſſibile, quòd tantæ flammæ non poſſint accendere vel flammam charitatis in corde veſtro? ſi muri, ſi columnæ, ſi lapides loqui poſſent, moverent omnia viſcera veſtra: ſi Chriſtiani eſtis, viſcera miſericordiæ in has pauperes captivas effundite; nolite, nolite eas in carcere relinquere, donec ſolverint *Univerſum debitum, uſque ad noviſſimum quadrantem*. Non magna petunt, ſolummodò quadrantem exigunt, quadrans illis ſufficit, quarta ſcilicet pars horæ, ut legatis Veſperas Defunctorum. Non requirunt integrum roſarium, ſufficient quinque decades, tertia pars ſacrorum myſteriorum; ſi illis ne vel quadrantem dare velitis, ad minùs unum *Pater* & *Ave*, cùm tertiò in die pulſatur ad Salutationem Angelicam; ſi adeò immiſericordes eſtis, ut denegetis eis hos pauculos quadrantes, ſaltem dicite: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*. Aut ſaltem (Quid enim poſſetis minùs) *Requieſcant in Pace*.

D. Thomas.

SERMO TERTIUS

DE CARCERE PURGATORII.

Petrus ſervabatur in Carcere, vinctus catenis duabus. Act. 12.

Animæ captivæ in carcere Purgatorii vinctæ ſunt catenis duabus, pœnâ ſenſûs, & damni: quarum prima (de qua hodie) partim in igne conſiſtit, qui durior eſt (utpote ſpiritus ardoris) quàm omnes pœnæ & tormenta, quæ hîc videri, aut cogitari, aut ſentiri poſſunt, ita ut pœnis & tormentis, iſtius carceris comparata, ſolatia dici poſſint. Ira Dei hîc tantùm ſtillat ſuper nos, in illis conſummata eſt ira Dei.

I. UT herì oſtendimus, habet Deus poſt hanc vitam duos carceres: criminalem, in quo ob delicta capitalia vinculis æternis ſub caligine reſervantur, *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes*; & civilem, in quo vincti Regis detinentur ob debita hîc contracta, ex illo non liberandi, donec per ſatiſpaſſionem ſolvant univerſum debitum, uſque ad noviſſimum quadrantem, & quidem centupliciter. Ne quis iterum miretur, quòd Deus peccata venialia, cùm ſint levia, ibi tam ſeverè puniat, quia cogerer iterum cum D. Baſilio petere, quis audeat peccatum qualecumque, leve appellare, quo inhonoratur Deus, & quod in contemptum ejus committitur? Aliunde, ſi Dei miſericordia nullum bonum, quantumcumque minimum, irremuneratum relinquat, imò qui potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdat mercedem ſuam in cœlo, quidni juſtitia ejus, ob qualemcumque levem culpam venialem, in carcere Purgatorii pœnas exiget acerbiſſimas? Si hîc in vita Moyſen Iſraëlitici populi Ducem, à ſignis & portentis commendatiſſimum, ob unicum verbum, ob ſolum peccatum veniale à terra promiſſionis excluſerit, ſi filii Iſraël hîc, in miſericordiæ climate, pro unius diei peccato, quadraginta annis receperint ultionem Dei (de quo tamen peccato ſtatim pœnituerunt) quid mirum, quòd animæ Purgatorii, quæ non ſolùm per dies, ſed per menſes & annos addiderunt peccata peccatis, quamquàm remiſſa, præter millena peccata venialia, nec per decem, nec per viginti annos, ſed per ſecula ſuo in carcere ſint manſuræ? Niſi vera eſſent quæ dico, non foret S. M. Eccleſia adeò ſollicita pro captivis ſuis, orans Deum: *Animas pauperum tuorum, ne oblivíſcaris in finem:* ſciens pœnas aliquarum adeò durabiles eſſe, quaſi

Judæ ℣. 7.

Do-

Dominus oblivioni eas tradiderit. Quomodò diffeiunt inter ſe carceres Herodis & Dei? Servabatur quidem Petrus ab Herode in carcere, ſed in illo tantùm extitit per dies novem, vel decem; nam Herodes eum comprehendit circa Azyma: dies autem Azymorum erant tantùm octo, & poſt eos ſequenti die volebat Herodes eum populo producere: in carcere autem Dei non ad annos, ad ſecula, ſed in finem mundi reſervantur animæ. Et tamen initia tantùm dolorum ſunt hæc; alia ſunt, quæ in iſto carcere animæ noſtræ captivæ patiuntur. Antequam de illis agam, imploremus opem ejus, quæ à Chriſto S. Birgittæ dicta eſt: *Conſolatio eorum, qui ſunt in Purgatorio:* & ſalutemus eam cum Angelo: *Ave Maria.*

Revel. S. Birgittæ.

II. Non ſufficit Herodi Petrum in tetrum carcerem miſiſſe; ne captivus carcerem illum effringat, aut manus ejus evadat, & effugiat, vinxit eum catenis duabus: *Vinctus catenis duabus:* proximè eum populo producturus, & in crucem daturus. Credideram afflictas animas ob contracta debita ſatis in hoc afflictas eſſe, quòd non ad 10. 20. 50. annos, ſed in ſecula in obſcuriſſimo carcere detinerentur, ſed inſuper vincit eas Divina juſtitia catenis duabus, pœnâ ſenſûs, & pœnâ damni. Ita D. Thom. in 4. Diſt. 21. Qu. 1. Art. 1. *In Purgatorio erit duplex pœna, una damni, in quantùm ſcilicet retardantur à divina viſione, alia ſenſûs, ſecundùm quòd ab igne temporali puniuntur.* Loquor hodie de prima catena, de pœna ſenſûs; quàm gravis & dura ſit; cras, & diebus ſubſequentibus dicturus de altera. Requirunt animæ captivæ ſolitam veſtram attentionem, dum ego, auſpice Deo, incipio.

Act. 12.

D. Thomas.

III. Apoſtolicum dogma eſt datum 1. Cor. 3. *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Dum dicit: *Uniuſcujuſque opus*, indicat ſe loqui, tam de juſtis, quàm injuſtis, & de operibus generaliter: undè addit: *Ignis probabit* in ſingulari, non ignes; quia ſecundùm D. Gregorium Lib. 4. Dial. Cap. 39. *Eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus.* Item Doctor Angelicus ubi ſuprà: *Idem ignis, qui damnatos cruciat in inferno, purgat juſtos in Purgatorio.* Ita communiter omnes Theologi. Si quis quærat: Quomodò ignis Purgatorius idem ſit, qui eſt in inferno, cùm unus ſit æternus, alter temporalis? Ad hoc reſpondet idem Angelicus: *Ignis Purgatorius eſt æternus, quantùm ad ſubſtantiam; ſed temporalis, quantùm ad effectum purgationis.* Quomodò æternus quantùm ad ſubſtantiam, cùm dicat M. D. Auguſtinus Lib. 21. de Civit. Dei Cap. 16. *Purgatorias pœnas nullas futuras, poſt illud ultimum tremendum judicium?* Reſpondetur, quòd etiam tunc reſurgent damnati ſimul cum corpore, æternùm cruciandi; & juxta Iſaiæ vaticinium Cap. 5. tunc dilatabitur infernus: *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino*; & occupabit tunc omnem locum, qui modò eſt Purgatorium, ſicque, ut Angelicè dicit Angelicus:

1. Cor. 3.

S. Gregorius.

S. Thomas.

S. Auguſtinus.

Iſaiæ 5. 14.

D. Thomas. *Ignis Purgatorius eſt æternus, quantùm ad ſubſtantiam, ſed temporalis, quantùm ad effectum*: in finali enim judicio Purgatorium terminabitur, ſecùs autem ignis, qui non extinguetur, æternùm cruciaturus damnatos. Quòd autem ignis ille ſit verus, realis, & corporeus, non metaphoricus, ſatis indicant SS. Paginæ: Job 20. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* Pſalm. 10. 6. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Iſaiæ 33. 14. *Quis poterit habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Jeremiæ 17. 4. *Ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit.* Judæ Epiſt. *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Apoc. 14. 10. *Cruciabitur igne & ſulphure, & fumus eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* Matth. 3. 5. 13. 18. 25. Chriſtus ipſe, modò dicens: *Excidetur, & in ignem mittetur*: modò: *Reus erit gehennæ ignis*: modò: *Mittent eos in caminum ignis*: modò: *Mitti in ignem æternum*: modò: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Quis umquam audivit, legit, aut vidit, quòd pœnalis ſententiâ comburii, à judice lata, proferatur non in ſenſu proprio, ſed metaphorico & improprio? & ſententia Chriſti Judicis: *Ite maledicti in ignem æternum*, intelligenda erit in ſenſu metaphorico potiùs, quàm in vero & reali? An fortè quia non capis, quomodò ignis agere poſſet in ſpiritus? Ad hoc reſpondet M. P. Auguſtinus Lib. 21. de Civit. Dei Cap. 10. *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ temporalis ignis affligi? Adhærebunt ſpiritus incorporei, corporeis ignibus cruciandi.* Non indiget ignis ille fomentis, cùm ſpirituali & incorporeo modo agat, & conſervetur. Sicut aqua baptiſmalis dicitur ſancta, non quòd ad ſubſtantiam naturalem ſpiritualis ſit, utpotè aqua vera, corporea, & elementaris; ſed quia ſpiritualiter operatur animæ purgationem, quæ virtus modo ſpirituali, & divinâ ſanctificatione in ea conſervatur. Ita juxta D. Gregorium: *Ignis gehennæ non indiget fomentis, cùm ſit incorporeus*; hoc eſt: *Cùm ſpirituali & incorporeo modo agat, & conſervetur.* Juſto Dei judicio fit, quòd animæ ibi ſuſtineant pœnas corporeas, inquit Doctor Angelicus Opuſc. 2. Cap. 17. *Quia ſe per affectum rebus corporalibus ſubdiderunt, ſpiritualia & divina contemnentes.* Pœnæ alterius vitæ proportionatæ ſunt culpis, quia *Per quæ quis peccat, per hæc & punietur.* Eſt ignis hic ardentiſſimus, quia *Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Eccl. 9. 9. Ardet, & non lucet, *Quia dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Joan. 3. 19. Ardet, & non conſumit, quia animæ in hac vita non conſumpſerunt rubiginem peccatorum ſuorum: *Multo labore ſudatum eſt, & non exiit nimia rubigo ejus: mundare te volui, & non es mundata.* Ezech. 24. 12. *Ad nimium calorem tranſeunt ab aquis nivium* Job 24. 19. quia inter flammas divinarum gratiarum frigus malitiæ ſuæ conſervârunt: *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam,*

Job 20. 26. Pſalm. 10. 6. Iſaiæ 33. 14. Jerem. 17. 4. Judæ ℣. 7. Apoc. 14. 10. Matth. 3. 5. 13. 18. 25. Matth. 25. S. Auguſtinus. S. Gregorius. D. Thomas. Eccl. 9. 9. Joan. 3. 19. Ezech. 24. 12. Job 24. 19. Jeremiæ 6. 7.

ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam. Jeremiæ 6. 7.

IV. Cùm de igne materiali & corporali nobis ſermo ſit, quis explicet, quomodò ignis ille agat in animas? nullus meliùs hîc reſponderit, quàm M. P. Auguſtinus Serm. 4. de Sanctis ubi ſic loquitur:
S. Auguſtinus. *Ille Purgatorius ignis durior eſt, quàm quidquid poteſt in hoc ſeculo pœnarum videri, aut cogitari, aut ſentiri.* Idipſum confirmat S. Cyrillus noſter Alexandrinus in Epiſtola ad Auguſtinum, citata à D. Dionyſ.
S. Cyrillus Alexand. Cart. Lib. de 4. Noviſſ. Art. 39. *Si omnes*, inquit, *quæ in mundo cogitari poſſunt pœnæ & tormenta, pœnis & tormentis, quæ illic habentur, comparentur, ſolatia erunt. Mallet enim quilibet illorum omnia, quæ hic videntur, ſubire tormenta, & uſque ad finem mundi omnibus ſimul ſine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucuſque ſingulatim pertulerunt, quàm uno die in Purgatorio morari, &, quæ illic habetur, pœnâ torqueri.* Ne quis putet Purgatorii ignem noſtro elementari eſſe ſimilem, aut dolorem ex igne purgante eſſe ſimilem dolori, quem ſentimus, ex igne elementari: tantum intereſt inter ignem noſtrum naturalem, & ignem Purgatorii, quantum intereſt inter ignem pictum, & verum naturalem. Quid ad SS. Patres recurro, dum habemus Spiritum ſanctum de hoc igne loquentem?

Iſaiæ 4. 4. V. Iſaiæ 4. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus*; ſcire cupitis, quomodò Deus abluat in Purgatorio ſordes filiarum Sion? *In ſpiritu ardoris.* Noſtis Chymicorum induſtriâ ex herbis, floribus, & cæteris hujuſmodi, ſubſtantiam extrahi, ſeu quintam eſſentiam, quæ ſit veluti medulla illius rei, quæque ſit virtutis efficaciſſimæ, quæ propterea ſpiritus appellatur; hinc colligite, qualis ſit activitas ignis Purgatorii, dum à Spiritu ſancto non ardor vocatur, ſed ſpiritus ardoris: *In ſpiritu ardoris.* Colligate omnem ignem, qui ad SS. Patris Noſtri ELIÆ verbum, deſcendit de cœlo 3. Reg. 18. 38. Omnem ignem for- 3. Reg. 18. 38. 4. Reg. 1. 11. 12
nacis Babylonicæ Danielis 3. 19. Daniel. 3. 19.
Conjungite illis diluvium flammarum, quæ infames civitates Pentapolis in cineres dedêre. Gen. 19. Gen. 19. 24.
24. Apponite incendium Trojæ, omnes flammas, quæ Romam in unum carbonem redegerunt, omnia caldaria, omnes fornaces ardentes, quæ ab orbe condito, à tyrannis accenſæ ſunt Martyribus, omnes ardores fulminum; Veſuvii, Ethnæ, &c. & arte diſtillatoriâ in ſpiritum & quintam eſſentiam contrahite; quàm penetrans ille foret, & ardens! quàm foret ille crudelis! talem vobis imaginemini vehementiam ardoris in flamma purgante, & tunc needum umbram habueritis ignis, quo purgantur captivæ animæ: tantùm ſtilla erit, reſpectu pœnarum, quas patiuntur in illo carcere. Audite unam loquentem Pſalm. 87. 8. Pſalm. 87. 8.
Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. In quæ verba Innoc. tertius ait:
In Purgatorio illo igne tanta erit in- Innocentius III.
cendii vehementia, quòd quaſi furere videbitur

videbitur Deus, etiam in electos. Certum eſt apud omnes Theologos, non dari in Deo furorem, aut iram, quantùm ad affectum; bene autem quoad effectum, hoc eſt, quòd pœna ignis, quâ purgantur animæ, tanta ſit, ut Deus furere in illas videatur. Quòd pœnæ patientis Salvatoris noſtri longè excellerint pœnas omnium Martyrum, non eſt qui dubitet: *Amaritudo mea amariſſima*, dicebat ipſe Iſaiæ 38. 17. quod confirmat D. Laurentius Juſtinianus: *Modo quodam indicibili omnia perferebat pœnarum genera, juſtorumque ſuſtinebat tormenta.* Ita ut omnia tormenta Martyrum, tantùm fuerint ſtillæ, reſpectu Paſſionis Dominicæ. Et tamen pœnæ Chriſti nihil ſunt, reſpectu pœnarum Purgatorii. Paſſionem ſuam vocat Salvator calicem: *Pater, ſi poſſibile ſit, tranſeat à me calix iſte*; amariſſima Chriſti Paſſio in exiguo continetur calice. De pœnis ſuis loquuntur animæ: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Pœnæ Purgatorii mari comparantur; Paſſio Chriſti calix eſt, paſſio animarum mare eſt. Omnis ignis, qui ab orbe condito fuit, eſt, & erit, ſtilla eſt, reſpectu pœnarum, quas ibi animæ patiuntur.

Iſaiæ 38. 17.

S. Laurentius Juſtin.

Matth. 26. 39.

Pſalm 87.

VI. Secundi Paral. 34. 21. Conquerebantur filii Iſraël, quòd punirentur à Deo in furore: *Magnus furor Domini ſtillavit ſuper nos.* Cur non dicunt: *Magna ira Domini?* Rationem dat Auguſtinus in Pſal. 6. *Furor plus videtur, quàm ira.* Ut ante dixi, Deus nec iræ, nec furoris eſt capax, ſed iratus & furibundus dicitur, ſecundùm quòd magìs aut minùs flagellat. Conquerebantur illi, quòd flagellâſſet eos in furore, ut indicarent ſe ſummè à Deo punitos. Si ita ſe res habeat, quomodò ergò dicunt: *Stillavit ſuper nos*, & non potiùs: *Inundavit*, vel *Effudit*, quæ verba magìs expreſſiva ſunt divinæ indignationis? Quando Daniel Cap. 7. videbat Deum fulminantem præ furore, dicit: *Fluvius igneus egrediebatur à facie ejus.* Non dicebat: *Furor Domini ſtillabat à facie ejus*; quia Danieli iram ſuam oſtendit inſtar fluvii, qui fluit magno impetu, & populo Iſraël tamquam diſtillatio, quæ ſtillat guttatim. Illis exhibebat ſe Deus punientem corpora in hac vita, ideò dicebant: *Magnus furor Domini ſtillavit ſuper nos*; quia ſeveriſſima & doloroſiſſima Dei ſupplicia, vix ſtillæ ſunt furoris ejus. At Danieli in fluvio iſto igneo, ut loquitur S. Auguſtinus, exprimebat Purgatorium, ubi non corpora, ſed animæ puniuntur, ideòque non dicit: *Furor Domini ſtillabat*, ſed *fluvius igneus egrediebatur à facie ejus*, quia quantò magìs excedit fluvius currens in plenitudine, diſtillationem fluentem guttatim, tantò magìs pœnæ animarum in Purgatorio excedunt pœnas eorum, qui in hac vita puniuntur in corpore: *Per fluvium igneum, per vada ferventibus glebis horrenda pertranſibunt animæ*, inquit magnus Auguſtinus Lib. 50. Hom. 16. & ſubjungit: *Nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit & tranſeundi mora*: quia Deus in hac vita flagellans corpora, non oſtendit vel minimam particulam

2. Paral. 34. 21

S. Auguſtinus.

Danielis 7. 10

S. Auguſtinus.

iræ ſuæ; in Purgatorio autem puniens animas, totam iram ſuam effundit. Per fluvium igneum, per vada ferventibus glebis horrenda, pertranſibunt animæ, quia Apoc.15.1. *In illis conſummata eſt ira Dei.* Idipſum indicat Pſalmiſta Pſal.79.6. Pſalm.79.6. de Deo loquens: *Potum dabis nobis in lacrymis in menſura.* Dum in hac vita ſumus, bonus eſt Dominus, quantumcumque puniat, adhuc miſericors eſt; quia licèt nos caſtiget, *Potum dat nobis in lacrymis in menſura.* Quid eſt in menſura? S. Auguſtinus. petit D. Auguſtinus: Apoſtolum audi: *Fidelis eſt Deus, qui non permittet vos temtari, ſupra id quod poteſtis ferre: ipſa eſt menſura pro viribus tuis, ipſa eſt menſura, ut erudiaris, non ut ſupprimaris.* In Purgatorio nulla menſura, ſed Pſalm.87. inundans diluvium: *Induxiſti omnes fluctus tuos ſuper me*, omnia tormenta ſimul.

VII. Job 1. 14. Satan, obtentâ à Deo licentiâ excruciandi & affligendi ſervum ſuum Job, in omni ruina, quam ei inflixerat, ſemper unum reliquit ſuperſtitem. Immiſerat Sabæos in boves, aſinos, & jumenta, & occiderat cuſtodes eorum, Job 1.14. uno in vivis relicto: *Boves arabant, & aſinæ paſcebantur, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus.* Ignem miſerat in oves, & armenta, qui & pueros Verſ.16. conſumpſit, uno vivo relicto: *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus.* Inſtigat Chaldæos, ut camelos ejus invadant, nec non & pueros percutiant, ſed uno excepto: *Chaldæi invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus.* Verſ.17. Excitat ventum vehementem, qui à quatuor angulis domum concuſſit, quæ corruens liberos ejus oppreſſit, & mortui ſunt, ſervans unum è ſervis: *Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus.* Verſ.19. Unde tanta miſericordia in crudeliſſima inimici infernalis impietate? Cur uno dempto omnibus vitam abſtulit? Non pietas, ſed crudelitas fuit, ut vel ſic magis opprimeret afflictum, dum, nullâ interpoſitâ morâ, ſimul irruerent in eum. Hoc ſacer Textus innuit, quòd, dum adhuc loqueretur primus, venerit ſecundus: *Cùmque ille loqueretur, venit alter, & dixit.* Dum ſecundus loquebatur, venit tertius: *Adhuc illo loquente, venit alius, & dixit.* Hic necdum finierat ſermonem, ſupervenit quartus: *Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit.* Ut à tot infauſtis nuntiis, quaſi tot lanceis, eodem tempore transfigeretur cor ejus. Hic modò audiendus D. Joannes Chryſoſtomus in Cat. Græca in Cap. 1. Job. *Quod communem vicit æſtimationem, illud fuit,* S. Chryſoſtomus. *quòd mala omnia, quæcumque in vita hominum immittuatur, hic unus exorbuit. Erat & alterum, quòd ſine induciis, nullâque interpoſitâ morâ, cuncta ſuſtinuit.* Quot pœnis transfiguntur animæ Purgantes! Tenentur in ſtrictiſſimo carcere, præcipitatæ in abyſſum, horrendis tenebris

nebris correptæ: habent debita, & non ſunt ſolvendo; contritæ ſunt corde, & non merentur; ſeminant in lacrymis, & non metunt fructus; volunt operari, & non poſſunt; ſitiunt, & jacent in igne; vident flammas, ſed ſine luce; ardent in igne, in gelu congelatæ; ſciunt ſe ſponſas, ſed ſine ſponſo; divites, & tamen mendicas; ſunt Reginæ, & pejores mancipiis; cognoſcunt Deum, & non vident; amant, & non fruuntur. Hæ ſunt pœnæ animarum Purgantium, quæ, quaſi fluctus maris, ita irruunt in illas, ut una non exſpectet alteram:
Pſalm. 87. *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Omnes ſimul irruunt in eas, & affligunt. Si D. Chryſ. dicat, quòd ſuperet humanam æſtimationem paſſio Job, quia nullâ interpoſitâ morâ omnia ſuſtinuit, quantò magìs id dicendum de captivis animabus? Auſim dicere, quòd certo modo in igne ſuo magìs crucientur, quàm damnati in inferno: non *Extenſivè*, ſed *intenſivè*. Non mea,
S. Auguſtinus. ſed M. Auguſtini verba ſunt: *Eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus, miro tamen modo gravior eſt animabus Purgantibus.* Notate: *Miro tamen modo gravior.* Quibus? *Animabus Purgantibus.* Audite probam ex parte pœnæ ſensûs.

VIII. Quærunt ſacri Interpretes, an dæmones torqueant animas Purgantes? Reſolvunt unanimiter
Abulenſis. negativè; illis ſubſcribit Abulenſis Qu. 48. in Exam. *Ignis ille Purgatorius, nullo Angelo bono vel malo accedente, ardet, ſed Divinâ juſtitiâ nutriente, & affligente.* Nec Angelus bonus, nec malus torquet has animas, ſed ipſa manus Divinæ juſtitiæ per ſe flagellat captivas ſuas: *Sed Divinâ juſtitiâ puniente, & affligente per illum unumquemque, nullo Angelo ſive bono, ſive malo accedente.* Si quæratis rationem, quare Deus, puniendo has animas, non utatur ſuis miniſtris, ut ſolet mundum caſtigando hominibus, & damnatos uti dæmonibus? Reſpondet Doctor Angelicus in 4. Sent. Diſt. 21. Qu. 1. Art. 1. Non eſſe conveniens, D. Thomas.
quòd illæ animæ ſanctæ, gloriæ æternæ deſtinatæ, & adeò vicinæ requiei, ſubjicerentur rabiei & flagellis eorum, quos toties adeò glorioſè devicerant. Revereor opinionem Angelicam; ſed magìs ad propoſitum noſtrum loquitur D. Gregorius. Quærit ille, cur Chriſtus Joannis 2. manu propriâ de Joan. 2.
templo ejecerit vendentes & ementes? *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Cur illam provinciam Angelis non commiſit, aut uni ex Diſcipulis? Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet Greg. *Quia ſubditorum* S. Gregorius.
culpas per paſtores percutit; ſed paſtorum vitia per ſemetipſum ferit. Erant illi Sacerdotes, aliis prælati, hos ſolet Deus manu propriâ punire. Quia, ut Sapient. 6. Sapient. 6.
℣. 6. *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet; exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur:* & ideò ſibi reſervat hanc percuſſionem. N. N. jam ad rem noſtram: ſinit Deus animas æterno carceri adjudicatas, criminales ſuos, à dæmoniis puniri; at animas Purgantes

manu propriâ, *Divinâ juſtitiâ ignem nutriente, & affligente per illum unumquemque, nullo Angelo, ſive bono, ſive malo accedente*; ut oſtenderet acerbiores eſſe pœnas Purgatorii, quàm inferni, eò quòd manus Dei puniat illas. *Manum Chriſti duriſſimam patiuntur*: inquit Philippus Abbas. Philippus Abbas.

IX. Conſtrepat N. N. aures ex caverna ſubterranea vox flebilis, dolens, vox afflictæ animæ, vox à viventibus, amicis & conſanguineis miſericordiam depoſcentis: Job 19. 21. *Miſeremini mei, Miſeremini mei, ſaltem vos, amici mei*! compatimini mihi, quia crucior in his flammis! *Miſeremini mei, Miſeremini mei!* Dic mihi, obſecro, dilecta Deo anima, electa ad gloriam, de quo conquereris? Scio quòd ardeas in medio flammarum, ſcio quòd in illo carcere tenebricoſo mira ſuſtineas tormenta, ſed de quo potiſſimùm ita doles, ut gemens miſericordiam ingemines: *Miſeremini mei*, ab amicis auxilium rogans: *Saltem vos, amici mei*? Audio reſpondentem: O Deus! qualia hîc patimur! *Quia manus Domini tetigit me*. Ergòne à manu Dei tangi, ita vos cruciat & angit? Propheta Regius de manu Dei loquens, conſolatione plenus dicit Pſalm. 30. 16. Pſalm. 30. 16. *In manibus tuis ſortes meæ*. Manus Dei liberaliſſimas vocat, & largas cœleſtium favorum diſpenſatrices: Pſal. 144. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Manus Dei ſunt auro plenæ & hyacinthis, ad ditandas animas: Cant. 5. 14. *Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*. De manibus ſuis Deus ipſe loquitur Iſaiæ 49. 16. Iſaiæ 49. 16. *In manibus meis deſcripſi te, ne obliviſcar tui*. In manibus Dei, tamquàm in ſecuro portu, ſunt animæ juſtorum uſque ad mortem, ab omni periculo ſecuræ: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Sapient. 3. 1. Ab his manibus habetis, quod eſtis: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmaverunt me*: Job 10. 8. his, juxta D. Petrum: *Divinæ effectæ conſortes naturæ*. 2. Petri 1. 4. Et vos, animæ captivæ, de his manibus conquerimini? Fatemur, tales illas novimus, & expertæ ſumus, dum eramus in vivis; at modò illas ſentimus miniſtras pœnarum, & ſeveritatis, quæ fuerunt pietatis; quæ fuerunt inſtrumenta benignitatis, modò ſentimus inſtrumenta furoris, & indignationis: *Manus Domini tetigit me*; ideò rogo vos: *Miſeremini mei*.

X. Job 13. 21. Orat Deum Propheta: Job 13. 21. *Manum tuam, Domine, longè fac à me, & formido tua non me terreat*. Quî ſic loqueris Propheta patiens? unde tibi manus Domini infeſtæ factæ ſunt, & moleſtæ? Fateris ipſe: *Manus tuæ fecerunt me*. Verſ. 8. Cur ergò repellis à te manus illas benedictas? Quis appendit moſem terræ, niſi tres digiti manûs Dei? Quis te ſtantem ſuſtinet, ne præcipiteris in profundum, niſi manus Dei? Si tanta tibi bona de manu Dei emanant, cur rogas: *Manum tuam longè fac à me*? Muta mentem tuam Propheta, & dic Deo cum Propheta Regio Pſalm. 143. 7. Pſal. 143. 7. *Mitte manum tuam de alto*: & certò ſcias, quòd ex illis non niſi benedictiones hauries.

Quid

Quid ergò N.N. videt Job in manu Dei, quod adeò ipſum exterreat? In manu Dei virtutem quandam, & potentiam puniendi cognoſcit, inquit Ambroſius Eccleſiæ Doctor: *Manum Dei, virtutem intelligimus puniendi.* Loquitur Job in perſona patientis animæ in Purgatorio, quæ ſentiens ab illa manu ignem ſuccendi, in quo ardet, ſentiens potentiam ejus, & virtutem puniendi, ſupplicat nos: *Manum tuam longè fac à me*, ut vindicatricem Dei manum longè faciamus ab ea. Solet Deus, ut ſuprà dixi, in hac vita punire, aut manu Angelicâ, aut humanâ, aut dæmoniacâ: at animas dilectas Purgatorii, manu propriâ. *Ignis ille Purgatorius* (iterum cum Abulenſe loquor) *nullo Angelo bono vel malo accedente, ardet, ſed Divinâ juſtitiâ nutriente, & affligente.* Nôſtis, quòd non ſit res parva, incidere in manus potentium: *Indignatio Regis, nuntii mortis* Prov. 16. 14. ſignanter Dei, cujus manus ſubterfugere, impoſſibile eſt. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Aſcendam in cœlum, deſcendam in abyſſum, non ſubterfugio manus ejus, cùm ſit nemo, qui *De manu tua poſſit eruere.* Carceres Divinæ juſtitiæ ſunt tam ſtrictè cuſtoditi, ut non prævaleat homo adversùs eos: *Non effugiet in rapina peccator.* Eccl. 16. 14. *Peribit fuga à veloce, & robuſtus non ſalvabitur: & aſcenſor equi non ſalvabit animam ſuam.* Amos 2. 14. unde modò ſentiunt Purgantes animæ, quid ſit poſt hanc vitam incidere in manus Dei, jam expertæ, quod Apoſt. dicit ad Hebr. 10. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei.* D. Thomas in hæc verba ſic loquitur: *Uſque ad judicium, non eſt horrendum in manus Dei incidere, quia judicat miſericorditer, quamdiu eſt Pater miſericordiarum; ſed poſt judicium, horrendum incidere in manus Dei; nam, ſicut Deus ultionum, juſtitias judicabit.* Vultis dicam, quàm ſit horrendum ſignum, poſt hanc vitam incidere in manus illas? Dico: Formidabilius & horribilius eſt, cadere in manus Dei vindicis, quàm in manus diaboli. Habetis diabolum, quamquàm ſit pater mendacii, hanc veritatem confirmantem.

[Margin: S. Ambroſius. — Abul. — Prov. 16. 14. — Pſal. 138. 8. — Job 10. 7. — Eccl. 16. 14. — Amos 2. 14. — Hebræor. 1 31 — D. Thomas.]

XI. Job 1. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job, ſimplex, & rectus, ac timens Deum.* Cùm quâdam die aſſiſterent coram Deo filii Dei, affuit inter eos etiam ſatan, cui Deus: *Numquid conſiderâſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra?* Quid ad hæc ſatan? *Numquid*, inquit, *Job fruſtra timet Deum? Nonne tu vallâſti eum, ac domum ejus, & univerſam ſubſtantiam per circuitum?* Quid mirum, quòd Job tibi fideliter ſerviat, & te amet, cùm in eum tantam gratiarum & benedictionum copiam effundas? tange eum tantiſper manu, & experieris, an verè ſit talis, qualem habes: *Extende paululùm manum tuam, niſi in faciem benedixerit tibi.* O ſtupide diabole, ubi aſtutiæ tuæ? vis, ut manu ſuâ eum Deus tangat, &

[Margin: Job 1. 1. — Verſ. 8. — Verſ. 9. — Verſ. 11.]

probet? An neſcis, manum Dei, manum eſſe Patris amantiſſimi, à qua non niſi bona proveniunt? Manus tuæ, manus ſunt crudeliſſimi tyranni, impiæ & feræ. Cur non petis, ut Deus tradat eum in manus tuas, ut quidquid rabida tua invidia, & diabolica crudelitas ſuggeſſerit, in eum effundas? Noverat diabolus, in ſe expertus, virtutem & potentiam vindicis manûs Dei; ſciebat vires ſuas, in caſtigando, viribus Dei multò inferiores, ideò non petebat agere carnificem ejus, ſed ut cadere poſſet in manus Dei. Audite Didimum in Cat. Græca in Job: *Vide, quàm diſſimulatoriè non dicit: Mihi permitte, ſed tu fac: imbecillitatis enim ſuæ ſibi probè conſcius eſt.* Et ideò ad minorem afflictionem tradidit eum in manus ſatanæ; Ecce in manu tua eſt, *Verumtamen animam illius ſerva.* Fac ei quidquid poteris, quidquid enim feceris, non tantùm feceris, quantùm ego unico tactu manûs meæ. *Quid eſt in manu tua?* inquit Chryſoſt. *in manu tua puſilla.* N.N. ſtate hîc. Qualia ergò tormenta ſuſtinere debent miſeræ captivæ in igneo ſuo carcere, cùm ibi torqueantur à manu Dei? Matth. 8. 29. Duo dæmoniaci, videntes Chriſtum, clamabant: *Quid nobis & tibi Fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos?* Si ubique conferant ſuum infernum, omnium pœnarum & tormentorum compendium, quid eſt, quòd conquerantur de Chriſto, quòd torqueat illos? Quid pejus poterat eis accidere, quàm pati actualiter pœnas inferni? Philippus Abbas de Silentio Cleric. Cap. 105. aſſerit, quòd ſuper omnes dolores non ſentirent majorem, quàm manûs Dei: *Dolore irremediabili manum Chriſti duriſſimam patiuntur.* Summus ergò animarum Purgantium dolor & pœna eſt, quòd à Dei manu patiantur, quòd ab illa manu ignis accendatur, & ardeat. Ne ergò miremini N.N. quòd clament ad vos: *Miſeremini mei, Miſeremini mei, quia manus Domini tetigit me.*

Didimus. S Chryſoſtomus. Matth. 8. 29. Philippus Abbas.

XII. Danielis 5. 5. Baltazar Rex impius, totus ſenſualitatibus ſuis immerſus, fecerat convivium grande; præceperat temulentus, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem. Cùm biberet vinum cum Optimatibus ſuis, & laudaret deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque: *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manûs hominis, ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ.* Videns Rex non manum, ſed ſolummodò digitos, quaſi manûs hominis: *Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Theodoretus Regem alloquitur: *Cùm tuum redarguere vellet faſtum, ſolis te digitis perculſit, ac tanto metu complevit.* Daniel. 7. 10. *Fluvius igneus egrediebatur à facie Domini*; per fluvium hunc igneum intelligit M. P. Auguſtinus Purgatorium, Lib. 5. Hom. 16. ita de illo loquitur: *Per fluvium igneum, per vada ferventibus glebis horrenda pertranſibunt animæ, & quanta fuerit peccati materia, tanta erit & tranſeundi mora.* Quid

Daniel. 5. 5. Verſ. 6. Theodoret. Daniel. 7. 10. S Auguſtinus.

Danieli

Danieli ex illa viſione? *Horruit ſpiritus meus*, inquit; *Ego Daniel territus ſum.* Et tamen nec verum, nec realem ignem vidit Purgatorii, ſed effigiem & imaginem ejus, in fluvio adumbratam. Quid ergò, ſubmergi in illo, & per menſes, annos, & ſecula, adeò exceſſivos ardores ſubire? Si figura iſtius ignis adeò perterreat, ut ad aſpectum ejus homo contremiſcat, quid erit, non ſolùm videre, ſed in vero & reali igne ardere irreparabililiter? Si Daniel juſtus & ſanctus, mortificationibus & pœnitentiis aſſuetus, & aſſiduè paratus pro Deo mortem ſubire, ad minimum ſignum iſtius ignis adeò horruerit, & territus fuerit: *Quis poterit habitare cum igne devorante?* Quomodò captivæ animæ in igneo ſuo carcere habitare poſſunt cum igne devorante? cum igne, qui non tantùm deforìs urit ſuperficiem, ſed intùs penetrat, agens in ſubſtantiam tenerrimam, delicatiſſimam, non in corpus, aut carnem, ſed in animam, purum ſpiritum? Seraphico Franciſco, ſanctitatis oraculo, gravi infirmitate oppreſſo, ut mortis periculo obviarent, ordinabant Medici cauterium inuri; Franciſcus, viſo ferro candente, tanto horrore & pavore correptus eſt, ut ignito ferro mandârit, ne ſolito rigore, ſed mitiori cum ipſo ageret; & tamen erat Franciſcus carnis ſuæ inimicus capitalis, illam catenis & diſciplinis diſcerpens, & ferrum candens in ſolam ſuperficiẽ agere oportebat; quid ſi egiſſet in nervos, quid ſi in cor ipsũ, quid ſi in animam? Et tamen erat hic ignis apparens potiùs, ſeu pictus, reſpectu illius, quo animæ cruciantur. Miramini NN. quòd à candente igne patientes animæ miſericordiam veſtram implorent?

Iſaiæ 33. 14.

XIII. Matt. 17. Acceſſit ad Jeſum homo, genibus provolutus ante eum, dicens: *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur, & ſæpè cadit in ignem: & obtuli eum Diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Quid eſt, quòd hic pater dicat filium ſæpè in ignem cadere? Reſpondet Abulenſis Q. 199. *Ponitur ad movendum Chriſtum ad miſerendum: erat enim magna miſeria.* NN. Pater tuus, Mater tua, Filius tuus, Maritus tuus, Uxor tua, *Malè patiuntur*, & ceciderunt *in ignem*: ex parte Dei dico vobis, quòd in igne ſint, *ad movendum* vos *ad miſerendum*, ut adjuvetis eos. Non poteſtis mihi dicere, quòd non poſſitis juvare eos; in manu veſtra eſt, ignem eorum, alioquin pro tempore inextinguibilem, extinguere, & de igneo illos carcere liberare. Si beſtia in ignem cadat, compatimini, imò auxiliatrices manus præbetis, ut de igne eripiatis; felis tua, canis tuus in angulo camini comburunt ſe, & doletis; pater veſter, amicus veſter, totus in igne poſitus eſt, & miſericordiam veſtram implorat, & ad flebiles eorum, multiſque ſingultibus interpolatas voces, quibus opem veſtram expoſcunt, lapide duriores, non movemini ſuper contritione eorum, ſed opis inopes relinquitis ardere, & abſque ullo condolentis animi ſigno, omni ſolatio deſtitutis, opem flammæ illi extinguendæ, aut ſaltem refrigerandæ, & mitigandæ, brutaliter denegatis. O animæ afflictæ, quid prodeſt lamentabili illos voce incla-

Matt 17. 15.

Abulenſis.

inclamare: *Miſeremini mei?* Nimiùm paucis dolor veſter perſpectus eſt. Exclamem ergò iterum ut antè: O ſanctum fidei lumen! nihil tui habent non pauci Chriſtiani, quàm obſcuritatem & tenebras! O igitur barbaros vos, ac inhumanos Chriſtianos! vel ſi Chriſtiani dici velitis, permittite ſaltem, ut crudeles Chriſtianos vos dicam.

XIV. Dicite mihi: Unde Nero Imperator, per excellentiam *Crudelis* appelletur? An quia matrem occidit? aut ob alia non abſimilia crudelitatis ſpecimina? Erat hic tyrannus, Româ. orbis oculo, conflagrante, in palatio ſuo montis Quirinalis; comburebantur domus, redigebantur in cineres palatia, pretioſiſſima ædificia ruebant funditùs, inter civium clamores, & ejulatus, vivi cremabantur innumeri, verbo dictum, Urbs fermè tota, in carbonem candentem converſa. Nero ad has flammas, ad hos clamores, & ejulatus, jacebat in feneſtra palatii ſui, cantans, jubilans, ſaltans, ridens, ludens, pulſanſque inſtrumenta muſica, non curans, quòd orbis Metropolis daretur in cineres. Quid agis Imperator? Cur non provides tantæ ruinæ? Cur non mandas, ut omni modo poſſibili ignis extinguatur? Iſtene tibi animus eſt, propriis intueri oculis ſpectaculum adeò miſerum? O verè crudelem Neronem! Illa eſt ratio, & non alia, cur Neronis crudelitas inter omnes, quorum meminit antiquitas, palmam referat. NN. chari, Chriſtiani, Catholica pectora, non domus, non palatia, non parietes urbis cujuſdam, ſed animæ juſtæ, ſanctæ, palatia Regis cœlorum, thalami Altiſſimi, animæ patris, matris, filiorum, mariti, uxoris, amicorum ardent in igne, cruciantur in Purgatorio, & vos non curatis? Imo cantatis, ſaltatis, gaudetis, triumphatis? in manu veſtra eſt, ignem iſtum extinguere, de igneo illas carcere liberare, & non facitis? Audeo vos ipſo Nerone crudeliores dicere. Scitis animas ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatas, animas Chriſti redemptas Sanguine, in igneo detineri carcere, in flammis eſſe, & habitare cum igne devorante, & non movemini, nec tanto malo occurritis, dum poteſtis? Ipſi fateamini, an Neronis crudelitas ſit comparanda veſtræ? Quomodò non excandeſcunt ſancti Patres in fratres Joſeph, qui fratrem, cibum eis afferentem, in ciſternam miſerunt, & ſedentes juxta puteum jucundabantur, ut Amos Cap. 6. deſcribit: *Bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph?* Amos 6. 6. Licèt puteus Joſeph profundus fuerit, non tamen igneus; unde crudeliores vos dico, qui, dùm animæ parentum, amicorum, aut quorumcumque fidelium jacent in puteo inenarrabilium flammarum, ſedentes ad ſpondam Purgatorii, læti & jucundi tranſigitis dies veſtros, nihil patientes ſuper contritione eorum. Majori veritate poſſent ſimilibus exprobrare ardentes animæ, quod Job Cap. 30. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manûs tuæ adverſaris mihi.* Job 30. 21.

XV. Si Deo volente & permittente, hâc horâ, vobis omnibus præſentibus, in hanc Eccleſiam inferretur

tur anima, & poneretur ante oculos veſtros aſpectu horribili, in lecto igneo, tecta lodice, & ſtragulis igneis, ab utroque ejus latere igne ſcintillante, ex ore, oculis flammam ignis ejiciens, quid ageretis ad tale ſpectaculum, ad objectum adeò horribile? In tali ſtatu eſt amicus veſter, quocum tanto tempore egiſtis familiariter: hic eſt ſtatus mariti veſtri, quem adeò dilexiſtis in vita, adeò planxiſtis in morte: matris veſtræ, quæ tot vos doloribus peperit, & tanto affectu nutrivit. Dic mihi, obſecro, quid faceretis in tali caſu? quid reſolveretis? Perſuadeo mihi, quòd diſcinderetur præ compaſſione cor veſtrum. Et tamen ſunt in vobis non pauci, qui marmore duriores, & ipsâ feritate crudeliores, non moventur ad compaſſionem. Non nugas vendo, non fabulas narro, Catholicam veritatem vos doceo, & puncta fidei. Non ſolùm detinentur animæ in carcere igneo, ſed infirmæ jacent in lecto igneo, coopertæ ſtra-
Lucæ 4. 38. gulis igneis, *Tenentur magnis febribus*, non in mollibus plumis, nec in carbaſo, ſed *ſuper lectum doloris*, in continua ſunt purgatione, quę medicina eſt eis amariſſima: *Amara potio bibentibus illam*. In ſua infirmitate ab omnibus derelictæ, & queruloſæ
Iſaiæ 24. 9. verè dicere poſſunt: *Conſolantem me quæſivi, & non inveni*: & quidem in loco, in quo, juxta Auguſtinum, *Non ſunt medicamenta, ſed tormenta.* Audite unam febricitantem.

Eccli. 51.9. XVI. Eccli. 51. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* Jacui hîc in lecto igneo, circa infernum, eaſdem pœnas ſuſtinens; & amici mei, qui promiſerant mihi montes aureos, poſſent me juvare, & brevi curare, & dum reſpicio ad adjutorium eorum, non erat, qui adjuvaret. In animas crudelis, quæro à te: Quid diceres, ſi ſcires Medicum oportunum habere remedium, ad curandam infirmitatem tuam corporalem, & eum nolle tibi illud applicare? Numquid diceres inhumanum, iniquum, & crudelem? *Vides feſtucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides?* Matt. 7. 3. Si inhumanitas, crudelitas, & iniquitas eſt, infirmitatem corporalem levare poſſe, & non facere, numquid inhumanior, iniquior, & crudelior es, dum potes ardentem animarum febrem tollere, & quidem modo facillimo, & non dignaris idipſum præſtare, ipſis etiam propinquis, quibus dum adhuc vivebant, omne adjutorium & refrigerium promiſiſti? Si, decumbente te ex febre ardente, filii tui, aut alii conſanguinei non dignarentur vel pedem ponere ad lectum tuum, aut verbum loqui, econtrà eodem in loco jucundarentur, opiparæ accumbentes menſæ, quid diceres de illis? quale tibi indè cordolium? Cur ergò idipſum, imò pejus agis cum defunctis tuis, quas ſcis ex febre ardente in lecto igneo detineri, indulgens recreationibus, & inordinatis oblectamentis? Oſtende te Catholicum, oſtende te credere, quòd Euchariſtia non tantùm ſit Sacramentum vivorum, ſed & mortuorum, quòd ſecundùm D. Ambroſium Eccleſiæ Doctorem & Medicum in Cat. D. Thom. *Corpus Chriſti ſpiritualis Medicina eſt. Medicamentum omnia expellens*

S. Ambroſ. S. Ignatius Mart. S. Paſchaſius. *pellens mala*, ut vocat S. Ignatius Martyr. *Pharmacum immortalitatis*, *pharmacum vitæ*, ut inquit D. Paſchaſius: ut de lecto igneo, in quo nullam habent requiem, tranſeant ad *Requiem æternam*, *& lux perpetua luceat eis*, ut *æterna Requieſcant in pace*.

SERMO QUARTUS

DE CARCERE PURGATORII.

Petrus ſervabatur in carcere, vinctus catenis duabus. Act. 12.

Altera catena, quâ vinctæ ſunt animæ incarceratæ, eſt pœna damni: utpote privatio Divinæ viſionis. Pœna hæc eſt infinita, quia amiſſio boni infiniti; unde meliùs eis eſſet mille flammas tolerare. Porrò in manibus viventium eſt velatos earum oculos revelare, ut lux perpetua luceat eis, & videant faciem Dei.

I. Videbar hodie in ſpiritu ad ſpondam Purgatorii ſedere. Audiebam Purgantes animas, gementes & flentes ad Deum ingeminare: *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Omnes fluctus tuos? Cogitabam intra me (fiebat enim totum in ſpiritu) ſiccinè ergò cruciat Deus electas & ſanctas animas, ſponſas ſuas, ut quaſi furere in eas videatur, cùm tamen, quoad affectum, in Deum furor non cadat? Intelligebam ſtatim ex verbis illis, quòd pœna ignis, quo illæ purgantur, tanta ſit, ut Deus furere in illas videatur: ſic ut omnes, quæ in mundo cogitari poſſunt, pœnæ & tormenta, pœnis & tormentis illarum comparata, ſolatia dici poſſint, & quælibet illarum mallet omnia, quæ hîc videntur, ſubire tormenta, & uſq; in finem mundi omnibus ſimul cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huculque pertulerunt, quàm unâ die in illo carcere detineri, &, quæ illic habetur, pœnâ torqueri. Videbatur mihi muneris mei eſſe, de veritate eorum, quæ heri dixi, certiores vos reddere, & ex parte earum teſtari, quòd Deus ibi ſordes illarum abluat *In ſpiritu ardoris*: ſeu quintâ eſſentiâ omnis ardoris, omnium flammarum, omnis ignis, qui ab orbe condito accenſus eſt, & uſque ad finem ejus accendetur. Licèt omnia tormenta Martyrum tantùm fuerint ſtillæ, reſpectu Paſſionis Salvatoris noſtri, tamen omnes pœnæ ejus inferiores ſunt pœnis illarum. Amariſſima Chriſti Paſſio in exiguo continetur calice, reſpectu maris, cujus omnes fluctus induxit Deus ſuper illas. Credite mihi NN. magnus furor Domini hîc tantùm ſtillat ſuper nos;

Pſalm. 87. 8. — Iſaiæ 4. 4.

Apoc. 15. *In illis, conſummata eſt ira Dei.* Hîc Deus potum dat nobis in lacrymis *In menſura*; in illo carcere nulla menſura, ſed inundans diluvium: *Omnes*
Pſalm. 87. *fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Quod omnes pœnas illarum ſuperat, eſt, quòd manum Chriſti duriſſimam patiantur, quòdque manus illa, quæ ſolebat eſſe liberaliſſima, & largiſſima cœleſtium favorum diſpenſatrix, modò ignem illum, quo cruciantur, ſuccendat; & ideò ob hanc pœnam, & quaſi non ob alias, inclamant nos viventes: *Miſeremini*
Job 19. *mei, Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Videbantur à me exigere, ut indicarem vobis, quòd in iſto igne jaceant, & moverem vos *Ad miſerendum*; & unà vobis exponerem, quàm durum ſit illis, habitare cum igne devorante; & quòd interim viventes nullâ miſeratione ducti, dum illi cruciantur in Purgatorio, cantent, ſaltent, gaudeant, lætos & jucundos tranſigant dies, Nerone ſummo tyranno crudeliores, qui, Româ conflagrante, cantabat & jucundabatur. Scio, deberem vobis ad miſerendum diutiùs catenam illam igneam, quâ vinctæ ſunt Purgantes animæ, ob oculos ponere, ſed altera catena, multò durior, cogit me mutare medium. De illa non loquar, niſi ſalutatâ priùs Matre Purgatorii, quæ *ſolvit vincla reis. Ave Maria.*

II. Altera catena, quâ vinctæ ſunt animæ, eſt pœna damni: *In*
D. Thomas. *quantum*, ſcilicet animæ, *retardantur à divina viſione.* Ita D. Thomas in 4. Diſt. 21. Q. 1. A. 1. Pœna illa tantò eſt gravior, quantò majus eſt bonum, quo privantur; & ideò, juxta Angelicum, eſt pœna infinita, quia eſt privatio boni infiniti. Pœna ſensûs tantùm privat animas bono accidentali; pœna autem damni, eſſentiali, quod eſt videre Deum, fontem ſcilicet unde ſcaturit animæ omnis conſolatio. Pœna ſensûs poteſt ſtare cum beatitudine, ut patet in Chriſto, qui, licèt tempore Paſſionis ſentiret omnes dolores, nihilominùs gaudebat viſione Dei, & cœli delitiis; at pœna damni, excludit beatitudinem: & hinc ſecundùm M. P. Auguſtinum: *Abſentia Chriſti* S. Auguſtin.
quoad viſionem, omnibus pœnis intolerabilior. Longiùs abit D. Joannes Chryſoſtomus Hom. 24. in Matt. *Alienum effici ab his, quæ præparavit* S. Chryſoſt.
Deus diligentibus ſe, tam gravem generat cruciatum, ut, quamvis exteriùs nulla flamma torqueret, hoc ſolum ſufficeret, & meliùs eſſet mille flammas tolerare. Et iterum: *Pone hic unam ſolam pœnã damni, major eſt hæc ſola, quàm centum ignium inferni.* De hac catena damni loquar hodiè, & dico cum M. P. Auguſtino: *Dicam quod poſſum, ſed* S. Auguſtin.
non dicam quod debeo; attentos vos volo, Deo auſpice, incipio.

III. Quòd animæ captivæ Purgatorii vinciantur catenis duabus, pœnâ ſensûs, & pœnâ damni, docet Doctor Angelicus 1. 2. Q. 87. A. 4. provenire ex duobus malis, quæ eſſentialiter in ſe continet peccatum, quorum unum eſt averſio à Deo, bono incommutabili, divino & increato; aliud inordinata converſio ad bonum commutabile & creatum. Peccatum, in quantùm injurioſa averſio à Deo, eſt malum infinitum, utpotè offenſa Majeſtatis infinitæ: & ideò illi correſpondet

F 2 pœna

pœna damni, quæ ſimiliter eſt infinita, utpotè prævaricatrix boni infiniti; in quantùm inordinata converſio ad creaturas, eſt malum finitum, quia bonum creatum eſt finitum, ob quod peccatum committitur, & ſimiliter affectus, quo deſideratur, eſt finitus; ideòque illi correſpondet pœna ſensûs, quæ ſimiliter eſt finita. Do verba Angelica: *Ex parte averſionis, reſpondet peccato pœna damni, quæ eſt infinita; eſt enim amiſſio infiniti boni, ſcilicet Dei. Ex parte verò inordinatæ converſionis, reſpondet ei pœna ſenſûs, quæ etiam eſt finita.* Ergò, juxta omnes Theologos, in carcere Purgatorii maximè afflictiva & doloroſa pœna, propriè conſiſtit in privatione viſionis beatificæ, quæ animabus à juſto judice juſtiſſimè infligitur. Exemplifico: 2. Reg. 14. Abſalom, ob Ammonis incæſtum cum Thamar ſorore ejus, callidè jubet occidi fratrem; fugit ille à facie patris ſui, ne, ob commiſſum fratricidium, juſtum Davidis furorem in ſe concitet. Joab, qui tenerè amabat Abſalom, mediante muliere Thecuite, niſus eſt emollire cor Davidis, ut commiſſum ſcelus ei dimitteret; quod & impetravit. Sed quâ conditione? *Revertatur in domum ſuam, verumtamen faciem meam non videat.* Dimitto, inquit, illi delictum, verumtamen ſpatio duorum annorum faciem meam non videat. Sic agit Deus cum captivis ſuis. Dum viverent, peccârunt in Deum graviter, ſed ita doluerunt, ut contriti, & confeſſi, obtinuerint delicti veniam. *Revertatur in domum ſuam*; ſed: Nolo, inquit Deus, ut videant faciem meam intra tempus

D. Thomas.

2. Reg. 14. 24

tot & tot annorum, ſed, privati facie meâ, in tenebricoſo Purgatorii carcere vincti detineantur: *Verumtamen faciem meam non videant.* Hæc ſola privatio major eſt pœna, quàm centum ignes infernales. Ut hanc pœnam noſcatis, & illis compatiamini, argumentemur à facie Christi, hâc carne noſtrâ mortali veſtiti: Numquid hæc facies adeò à Prophetis & Patribus deſiderata? *Oſtende faciem tuam. Fac nos te videre. Faciem tuam, Domine, requiram.* Numquid in hac facie Propheta Regius omnem ſalutem humanam repoſuit? *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.* Numquid hic vultus, *In quem deſiderant Angeli proſpicere*? Numquid hæc facies, de qua D. Hieronymus: *Certè fulgor ipſe, & Majeſtas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu*? Ad hanc faciem *Totus mundus poſt eum abiit.* Si præſentia corporalis Filii Dei (qui eſt ſplendor Patris, figura, & imago bonitatis & ſubſtantiæ ejus) adeò corda rapiat, quid erit videre Deum, ſicuti eſt? Si velatus, & cortinâ candidiſſimæ carnis ſuæ coopertus, adeò delectet, quid faciet revelatus, quando facie ad faciē videbitur, cùm tota gloria, tota beatitudo, tota felicitas, quâ gaudent Sancti in cœlo in hoc conſiſtat? *Viſio eſt tota merces.* Ad hanc faciem omnibus votis anhelabat Pſalmiſta, ſignanter

Pſal. 79. 4. Pſal. 26. 8.

Pſal. 79. 8. 20.

1. Pet. 1.

S. Hieron.

Joan 12. 19.

IV. Pſal. 16. *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. Ne avertas faciem tuam à me. Ne declines in ira à ſervo tuo.* Nihil dici diviniùs poteſt, inquit M. P. Auguſt. ibi. Non ſolâ linguâ

Pſal. 26. 8. 9.

orabat

orabat Propheta , ſed ex intimo cordis , ut exaudiri poſſet : non unicâ , aut vice alterâ , ſed frequenter ingeminabat magno fervore & diligentiâ , ut indicat verbum *Exquiſivit* : ſicut Angelicè
D. Thomas. declarat Angelicus : *Frequenter & diligenter quæſivit. Exquiſivit te facies mea ; id eſt , anima mea.* Non requirebat longitudinem dierum , bonam ſanitatem , abundantiam deliciarum , aut mundanam proſperitatem , ſed : *Faciem tuam , Domine , requiram.* Cùm enim ſe ſciret mortalem , ſolummodò deſiderabat poſt mortem divini vultûs gaudio perfundi , & infinitæ eſſentiæ perfrui viſione. Hinc obſervat Doctor Angelicus , quòd , præ ardente deſiderio , idipſum tertiò
Idem. replicaverit : *Exquiſivit te facies mea ; Faciem tuam , Domine , requiram ;* & : *Ne avertas faciem tuam :* vel , ut D. Hieronym. legit : *Non abſcondas faciem tuam :*
S. Hieronymus. quia *Hoc eſt proprium diligentis , quærere ſæpè rem dilectam.* Sed quod maximè ad rem noſtram , eſt, quòd ſubjungat Propheta : *Ne declines in ira à ſervo tuo.* Id eſt , inquit Angelicus : *Ne iraſcaris mihi*
D. Thomas. *in hoc , quòd declines faciem tuam à me. Hæc enim averſio eſt maxima pœnarum.* Timebat David , ne pœnitentiæ ejus ſufficerent ad debitæ purificatiónis ſufficientiam ; timebat , ne Deus obinde condemnaret eum ad carcerem Purgatorii , in quo non tantùm terrebatur ab incomparabili ignis ardore , ſed & à pœna damni , ob elongationem à viſione beata ; quia in iſto
S. Antoninus. carcere non illa, ſed hæc *Eſt maxima pœnarum. Pœna damni in Purgatorio eſt graviſſima , ſuper pœnam ignis , & omnem aliam , quæ cogitari poſſet ; ita ut aptè dicere valeat anima : Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum , quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Ita D. Antoninus 3. P. Tit. 32. Cap.1. §. 2. Habemus ſuper hoc Dei teſtimonium.

V. Deut.32. 23. De divinæ legis ſuæ prævaricatoribus ait : *Congregabo ſuper eos mala, ſagittas meas complebo in eis.* Deut.32. 23. Quæ mala congregabis ſuper eos, Domine ? Mala maxima, tormenta atrociſſima. Congregabo ſagittas, craticulas , gladios, patibula , cruces : congregabo flammas, ignem , incendium, ardorem, ut Purgantes animas crucient: *Congregabo ſuper eos mala.* Quod , obſecro , horum omnium compendium, aut ſummarium tormentorum omnium maximum ? Audite. *Abſcondam faciem meam ab eis.* Privabo eos aſpectu vultûs mei. Hìc eſt terminus, & exceſſus omnium pœnarum. Hìc meta omnium tormentorum , quæ Divina juſtitia habet in poteſtate ſua. Quando agitur de pœna damni , quam patiuntur miſeræ animæ captivæ in Purgatorio , illa eſt ultima omnium tormentorum meta. Congregabo ſuper eos mala : *Abſcondam faciem meam ab eis.* Placet audire ex ore unius ardentis animæ ? Dic mihi , anima benedicta : Quænam te pœna in hoc igneo carcere maximè cruciat & affligit ? Reſpondet per os Prophetæ Job Job 17.2. Cap.17. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Ad hæc verba ſtu-

Tertullianus. pet Tertullianus: *De oculo queritur, qui totus in tormentis eſt?* Ardentiſſimus ignis, ſpiritus ardoris, horribiliſſimæ tenebræ, continuò corrodens conſcientiæ vermis, locus tormentorum non te replent amaritudine? Origenes. *Totus in tormento poſitus es, & de ſolo oculo conquereris?* quærit Origines. Sic eſt, inquit D. D. Dionyſius Cart. Dionyſius Cart. quia *Loquitur de oculo animæ in Purgatorio*; quaſi diceret, inquit D. Chryſoſtomus: D. Chryſoſtomus. *Tantum mihi malum videtur, de gloria decidiſſe, ut gehennam pro nihilo habeam pro hoc damno.* De ſola cæcitate conqueritur, quia cæteræ omnes pœnæ, quantumcumque graviſſimæ & intolerabiles, umbræ videntur, reſpectu pœnæ damni, quâ privatur viſione beatificâ.

4. Reg. 2. 11. VI. 4. Reg. 2. 11. S. P. N. ELIAS juxta Jordanem ambulabat cum diſcipulo ſuo Eliſeo: *Cùmque pergerent, & ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei, diviſerunt utrumque, & aſcendit* ELIAS *per turbinem in cœlum.* Currus, rotæ, equi toti ignei ſunt, quis non exhorreat & expaveſcat? Non ELIAS; econtra, animosè currum aſcendit. Stupet D. Baſilius Lib. de Baptiſmo: Unde tantus ELIÆ animus, ut flammas non timeat? S. Baſilius. ELIAS, inquit, *currus, equoſque igneos minimè expavit, verùm itineris ſuperni deſiderii contra formidoloſa eſt auſus.* Non curat ELIAS currum igneum, nec flammas timet, modò aſcendere poſſit in cœlum. Verum eſt, horret animus ſolo cogitatu ignis Purgatorii, ſed, inquit Chryſoſtomus, quid ignis ille ad privationem viſionis beatificæ? *Quamvis exteriùs nulla flamma torqueret, hoc ſolùm ſufficeret, & meliùs eſſet mille flammas tolerare.* S. Chryſoſtomus. Audite unum ex primis Martyribus de hoc teſtimonium perhibentem. S. Ignatius Martyr in ipſo Martyrio tyrannum Trajanum Imperatorem alloquitur: *Ignis, crux, beſtiæ, oſſium confractio, membrorum diſciſſio, totius corporis contritio, etiam tormenta diaboli in me veniant: tantùm Chriſto fruar.* S. Ignatius Mart. Præpara tyranne ignem, cruces, &c. *Modò Chriſto fruar, meliùs eſſet mille flammas tolerare.* Quid hîc unum aut alterum in medium produco? Teſtentur hoc milleni, quamquàm umbraticè.

VII. Pſalm. 136. Filii Iſraël in captivitate Babylonica ad ripas fluminum, præ inopia, præter continua verbera, ſecundùm Cajetanum, panem *A prætereuntibus emendicabant.* Cajetanus. Quî miſeri & infelices in iſto ſtatu? Dicat hoc Pſalmiſta: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus.* Pſalm 136. 1. Certè compatior vobis, filii Sion, quia citra vires veſtras patimini: eſt enim fames gladius acutus. At, inquiunt Hebræi, nec ob famem, nec ob tormenta, nec ob ea, quæ in carcere noſtro patimur, flemus, ſed quia elongati à patria: *Illic ſedimus, & flevimus, cùm recordaremur tui, Sion*, incerti quando illam viſuri; illa, & non alia eſt ratio fletûs noſtri: lacrymæ noſtræ unica conſolatio noſtra. Mellifluus Bernardus per flumina Babylonis intelligit Purgatorium; nec eſt, qui negare audeat, quin per Sion intelligatur patria cœleſtis: animæ autem Purgantes, captivæ ſunt, de quibus

Pſalm.149.8.

Pſalm.149. 8. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus*; vinctæ catenis duabus, pœnâ ſensûs, & pœnâ damni. Sed de qua maximè dolent? Quòd excluſas ſe videant à patria: *Cùm recordaremur tui, Sion.* D. Bernardus Serm. 33. in Cant. perſonam induens patientis animæ,

S Bernardus Serm.33. in Cant.

ſic loquitur: *En ipſa ejus recordatio patriæ cæleſtis ad lacrymas provocat me miſerum, heu longè agentem, & de longè ſalutantem: Juxta afflictionem & vocem dicentium: Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus, cùm recordaremur tui, Sion.* Sic eſt, ſic eſt N.N. inquit

S.Auguſtinus.

M.P. Auguſtinus in Enchirid. *Alienari à regno Dei, carere multitudine dulcedinis Dei, tam grandis pœna, ut nulla ei poſſit per tormenta, quæ novimus, comparari.* Qui ſciunt, quid ſit vel ad momentum privari corporali Chriſti præſentiâ, intelligunt, & credunt quæ dico. Apoſtolos hìc teſtes volo. Dixerat illis Salvator Joannis 16. 16.

Joan.16. 16.

Modicùm, & videbitis me, & iterum modicùm, & non videbitis me, quia vado ad Patrem. Ad hæc verba, nomine Apoſtolorum, dat ſua mellea melleus Bernardus Serm.74.

S. Bernardus.

in Cant. *O modicum longum, pie Domine! Modicum dicis, quòd non videmus te? ò longum modicum, longum eſt, & multum valde nimis!* Si paucorum dierum corporalis Chriſti præſentiæ privatio tam longa & infelix putetur, quid dicendum de privatione claræ viſionis Divinæ eſſentiæ, non ad dies, menſes, annos, ſed ad ſecula? *Meliùs eſſet mille flammas tolerare.*

VIII. Joan.19. 25. Magdalena individua Chriſti ſocia, pendente Jeſu in Cruce, *Stabat juxta Crucem Jeſu.* Joan.19. 25.

Stantem lego, flentem non lego. At parùm poſt, ſepulto & reſuſcitato Jeſu, venit ad monumentum, quærit, & non invenit; & dicit Textus: *Maria ſtabat foris plorans.* Joan 20 11.

Quid hoc eſt? juxta Crucem ſtat, & flere non legitur; ad ſepulchrum venit, & in lacrymis effuſa tota? Quòd hoc ſuo careret myſterio, quis mortalium id mihi perſuadeat? Date veniam N.N. ut ego verbulum habeam ad Magdalenam: Ubi ardens amor tuus Magdalena? Vidiſti divinum Magiſtrum tuum, dilectum tuum, tot inter tormenta Cruci affigi, in Cruce pendere, felle amariſſimo potari, in Cruce mori; vidiſti à Longino latus ejus lanceâ perforari, & non lego te vel lacrymulam fudiſſe; & dum ſublatum vides de ſepulchro, inconſolabiliter ploras, & à lacrymis non ceſſas; dic, obſecro te, quid eſt, quòd ad ſepulchrum ploras, juxtà Crucem autem non? S. Auguſt. Tract. 121. in Joannem ad hoc reſpondet nomine ejus: *Oculi, qui Dominum quæſierant, &* S.Auguſtinus

non invenerant, lacrymis non vacabant, ampliùs dolentes, quod fuerat de ſepulchro ſublatus, quàm quod fuerat in ligno occiſus, quoniam Magiſtri tanti, cujus & vita ſuſtinenda fuerat, nec memoria remanebat, cur non fleat Deum abiiſſe ab oculis? Quaſi diceret Magdalena: Quando eram in monte Calvariæ juxtà Crucem, licèt Magiſtrum meum crucifixum viderem, equidem præſentem habebam, & præſentia ejus dabat afflictæ animæ meæ aliquod refrigerium;

gerium ; at quando de ſepulchro ſublatum vidi, non potui ceſſare à lacrymis, divinâ illâ facie privata. Sed quid Magdalenam in medium produco, cùm & ipſa inanimata teſtentur, quid ſit divinâ facie privari? Maneamus tantiſper in monte Calvariæ.

IX. Matth. 27. 51. Poſtquàm Chriſtus in Cruce emiſerat ſpiritum,
Matth. 27. 51. *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Obſcuratur ſol, luna Eclypſim patitur, videbantur omnes creaturæ
Pſalm. 29. 8. clamare: *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Ita mundus univerſus conturbabatur, ut S. Dionyſ. Areop. Gentilis, nullam habens horum notitiam, ex-
D. Dionyſius Areop. clamârit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* Ne quis hoc miretur, inquit D. Cyrillus noſter Alex. Lib. 52. in Joan. Cap. 37. quia volebat Deus, ut etiam creaturæ inſenſatæ teſtarentur, quòd
S. Cyrillus Alex. *Mundi machina lugebat proprium Dominum.* Et tamen pauco ſolummodò tempore privabantur corporali Domini præſentiâ, non glorioſâ, ſed humili, & mortali. Cogitate modò N. N. ſtatum animarum, privatarum non humili, & mortali Chriſti præſentiâ, ſed glorioſâ, beatâ, & clarâ viſione Divinæ eſſentiæ: bonum infinitum abſconditur ab eis, undè pœna illarum eſt infinita. Ita D. Thomas in 4. Diſt. 15. Qu. 1. Art. 2. ad 1. & 1. 2. Qu. 87. Art. 4.
D. Thomas. *Pœna damni eſt infinita, eſt enim amiſſio boni infiniti.* Undè puto, quòd, niſi Deus continuò mitteret Angelos, qui confortarent eas, quòd non eſſent iſtam pœnam ferendo. Dicet fortè aliquis: Nos non ita ſentimus iſtam privationem, nec ipſæ, dum vivebant, animæ ita ſentiebant, quomodò ergò illa privatio modò illis eſt ita ſenſibilis, ut *Meliùs eſſet mille flammas tolerare?* Statim ad hoc reſpondebo. Siſtite tantiſper.

X. 2. Reg. 14. 24. Abſalom, ob Ammonis fratricidium exul à regno, poſt tres annos patris gratiæ reſtitutus, & denuò Jeroſolymam redux, mediantibus Joab & Thecuite, ait Rex: *Revertatur in do-* 2. Reg. 14. 24.
mum ſuam, verumtamen faciem meam non videat. Reverſus eſt itaque Abſalom in domum ſuam, & faciem Regis non vidit, manſitque in Jeruſalem faciem Regis non videns, ſed in tanta amaritudine animæ, ut queruloſus diceret Joab: *Quare veni de Geſſur? Meliùs mihi* Verſ. 32.
erat ibi eſſe; obſecro, ut videam faciem patris mei: &, ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me. Cur, quæſo, Abſalom in regno Geſſur toto triennio non doluit privationem faciei patris, ſecùs autem in Jeruſalem, in aula Regia, inter procerum obſequia ab omnibus honoratus? Lyranus aſſignat rationem: *Quia tunc non erat ei* Lyranus.
confuſibile, faciem patris non videre: ſed ex quo erat in eadem civitate cum eo, erat illi valde confuſibile. In Geſſur non patiebatur, faciem patris non videns, quia erat impoſſibile ob patris abſentiam; at quando erat in eadem civitate, adeò vicinus patri, tunc patris facie privari, erat ei confuſibile: unde palàm

ſum teſtatur, ſe malle mori, quàm vivere. Jam reſpondeo, cur animabus in Purgatorio privatio viſionis beatificæ ſit ita ſenſibilis, ſecùs autem cùm adhuc viverent: *Quia tunc* (nempè quando vivebant) *non erat eis confuſibile faciem patris non videre; ſed ex quo ſunt in eadem civitate, in alia ſcilicet vita, eſt eis valde confuſibile.* Quia cùm ſit impoſſibile hìc Deum videre (*Deus* enim *lucem inhabitat inaccesſibilem*) nemini cenſetur confuſio, privari facie Dei: ſed in Purgatorio omnes animæ ſentiunt dolorem ſuum, quia ſciunt ſe eſſe in gratia Dei, vicinas Paradiſo, ac in ſtatu quo Deo perfrui poſſunt. At quòd modò ob aliquas adhuc maculas non poſſunt videre faciem Patris, *Meliùs eſt mille flammas tolerare.* Hinc continuò viventes inclamant: *Obſecro, ut videam faciem Patris mei.* Quando, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei,* Patris mei?

1. Timot. 6. 16

Pſalm. 41. 2.

XI. Ut meliùs capiatis, quantùm patiantur animæ ex catena damni, ex privatione viſionis beatificæ. Certum eſt apud Theologos, quòd in beata patria (à quâ exulant animæ) & beatifica viſione, non videatur Divina eſſentia ſine tribus Divinis Perſonis, nec una Perſona ſine alia; quia Divina eſſentia *Identicè* dicit Perſonas; ita ut, ſi Beatus videret eſſentiam ſine Perſonis, & unam Perſonam ſine alia, Patrem V. G. ſine Filio, & Spiritu ſancto, quantùm viſio unius Perſonæ recrearet, tantùm privatio alterius contriſtaret, ſicque ſimul eſſet beatus & miſer: quia in gloria, ex eo quod non videretur aliqua Perſona, tormentum potiùs eſſet, quàm gloria. State hìc N. N. Si privatio unius tantùm Divinæ Perſonæ ſufficiat, ut amara reddatur illa gloria: qualem putatis pœnam ſubire animas privatas viſione Divinæ eſſentiæ, & omnium Perſonarum, atque illius æternæ & incomprehenſibilis pulchritudinis, communis omnibus tribus? Dicat ergò, imò centies dicat D. Chryſ. *Meliùs eſt mille flammas tolerare.* Undè certum, quòd, in comparatione hujus pœnæ, omnium aliarum pœnarum & fornacis ardentis, & carceris ignei quaſi obliviſcantur, ac ſi hanc ſolam ſentirent; & ſicut Beati radicaliter ponunt ſolam gloriam in viſione Dei, ita illæ ſolum tormentum cenſent privationem ejus. Ne formidetis: duæ animæ in hac cathedra probabunt, quod aſſero.

XII. Evoco è cœlo animam illam glorioſam, quæ olim apparuit D. Thomæ Aquinati, ut teſtetur iterum, quæ teſtata eſt de cœleſti gloria Angelico Doctori. Apparet illi tota glorioſa, cœleſti luce circumdata, & in imaginem Dei transformata. Thomas agnoſcebat illam, &, ab illo abſorptus lumine, ſpiritum reſumens, animam alloquitur; Dic mihi, Amice chariſſime, quantæ ſunt voluptates & delitiæ cœleſtis patriæ? Cui illa: *Videmus Deum.* Sed: Dic mihi particulariter de illo lumine gloriæ, quomodò effundit ſe, quomodò illuminat, elevat, & confortat intellectum? Quis, & qualis eſt nodus, quo æternaliter unitur Deus cum anima? Thoma, inquit, *Vi-*

demus Deum. Sed, cur non narras illas inundationes gloriæ, & pacem omnium Beatorum? Non dico plus, Thoma, *Videmus Deum.* Evoco modò ex Purgatorio affli-ctiſſimam animam. Sta hîc, Anima, & narra tormenta, quæ pateris tuo in carcere: Ubi, & qualis eſt locus, in quo eſtis vos omnes? Videor audire loquentem: *Non Videmus Deum.* Quid de tenebris, de profunditate illius vallis lacrymarum? Quid de illo igne devorante? Quis illum accendit? Quis ſolles movet? *Non Videmus Deum.* Non eſt, quòd ultrà interrogem, quia ſum certus, licet adhuc unâ horâ interrogarem, non dabit aliud reſponſum, quam: *Non Videmus Deum.* Illa eſt medulla, & quinta eſſentia omnium noſtrarum pœnarum, & omnium poſſibilium amaritudinum: *Non Videmus Deum.* Addam ego N. N. unum aut alterum verbum: adeò ſenſibilis eſt illis hæc pœna damni, quam patiuntur in ſuo carcere, ut eam majorem, & ſenſibiliorem putem illâ, quam patiuntur damnati in inferno. Probat hoc pro me Abulenſis Qu. 185.
Abulenſis. in Matth. hoc argumento: *Quantò quis magis amat, tantò magis dolet de abſentia rei amatæ.* Animæ Purgatorii amant Deum affectu tenerrimo, animæ in inferno non amant, ſed odiunt, ideò non tantùm dolent de Dei abſentia. *Ideò non triſtantur ita de abſentia, ſicut exiſtentes in Purgatorio,* quia hæ, videntes ſe privatas Deo, ſummo bono, ab illis ſummè dilecto, non poſſunt non ſentire dolorem inenarrabilem: unde pœna damni, eſt illis ſuprà omnes pœnas, & *Melius illis eſſet mille flammas tolerare.* Auditis hæc, viventes? Auditis hæc, qui me jam auditis, in quorum manu eſt, illas ad patriam, & Dei faciem perducere? Auditis, & non erubeſcitis? Dum animæ rationem habent conquerendi de vobis, recordemini & nos omnes exules eſſe, & peregrinos, (*Peregrinamur enim à Domino* 2. Cor. 5. 7.
2. Cor. 5. 7.) nos exules, nos peregrini poſſumus juvare exules & peregrinas animas: diverſas vias tenemus, nos per vias amœnas & planas ambulamus, habemus lumen illuminans vias noſtras, habemus diverſoria ad confortandam laſſitudinem, habemus umbracula, ſpirituales ſcilicet conſolationes, habemus Sacramenta, SS. Evangelia, S. Scripturam, Doctores, Divina auxilia. Econtrà viæ iſtarum viatricum (tales eas vocat D. Thomas in D. Thomas.
4. Diſt. 45. *Viatrices ſecundùm quid*; quia, licèt ſint in termino gratiæ, non ſunt in termino patriæ, ſive gloriæ) viæ illarum aſperrimæ, duræ, horrore plenæ ſunt, ſine diverſoriis, ſine umbraculis; ſed, licèt diverſas vias teneamus, ad eandem equidem patriam tendimus: &, licèt longè ſimus ab invicem, poſſumus tamen comites earum eſſe, & ſublevare moleſtias itineris: *Comes facundus vehiculum eſt in via.* Poteſt unuſquiſque noſtrûm ipſis *Facundus* eſſe, piis orationibus, *Facundus* officiis defunctorum, roſariis, &c. ſancta illa facundia poteſt longiſſimum iter illarum abbreviare, eaſque ad patriam perducere: illæ orationes erunt vehiculum, quo portentur ad patriam.

patriam. Cur non reſolvimus? Cur nondum dicimus cum Melliſluo Bernardo: *Surgam in adjutorium illis, interpellabo gemitibus.* N. N. in manibus veſtris eſt præſtare animabus, quod Joab præſtitit Abſaloni; poteſtis illas ad faciem Dei perducere, ſicut ille Abſalonem ad faciem patris. Sed, proh dolor! ipſi viventes ſunt, qui illas in carcere detinent, & facie Divinâ privant.

Lucæ 15. XIII. Lucæ 15. Paſtor quidam centum habens oves, neſcio quo infortunio unam ex 100. perdidit in deſerto. Quid non facit, ut perditam ovem inveniat? Primò: dimittit 99. alias; deindè ſolitarias, & invias ſemitas obambulans, conjicit undequaque oculos, num de longinquo adventantem videret, nec ſpinas curans, nec tribulos. Quoties aſcendebat montem! quoties pedes offendebat! quantùm ſudoris, quot lacrymas fudit ob deperditam & errantem oviculam! & poſteà inventam quantâ lætitiâ poſuit in humeros ſuos! Quotquot animæ ſunt in Purgatorio, oves ſunt, quæ ab hac noſtra Eccleſia viſibili aberrant per deſertum Purgatorii; inter illas eſt anima Patris, Matris, Fratris, Amici veſtri, eſt anima Mariti, qui in flore ætatis abreptus eſt. Quis poteſt dicere, quid intereà illæ perditæ oves in triſti illo deſerto, in flammeo iſto carcere paſſæ ſint? Et interim: Quis vel pedem movet, ut ovem inveniat, & reducat? Quis conjicit undequaque oculos, ut videat, num alicubi lucrandæ ſint indulgentiæ, aut pium aliquod opus faciendum in ſubſidium illius? Quis intrat aliquam Eccleſiam, ut tempore ſacrificii Miſſæ in altari, aut in ſcamno Communionis pro ea deprecetur? Quis ponit ſe inter ſpinas & tribulos, opera pœnalia ſuſcipiens in ſatisfactionem debiti ejus? Quis aſcendit montem, montem dico pietatis, ut pauperi eleëmoſynam det, ſacrumve legi jubeat, in illius perditæ ovis ſuffragium? Verbo dictum: Quis recordatur ejus? Quis fundit vel guttam ſudoris? ubi tamen etiam parentes, ut animam filii ſui, aut filiæ errantem per deſertum Purgatorii, invenirent, alias proles quaſi relinquere oporteret, donec inveniſſent illam oviculam, utpotè non ignorantes, in quàm miſero ſtatu ſit. Sed econtrà, proh dolor! ut viventes adhuc filii ornentur, & eleventur, oblivioni traduntur mortui. Non ſic N. N. non ſic; ſatagite, ut pietate veſtrâ, *Pingueſcant ſpecioſa deſerti*; Pſalm. 64. facite, ut oves errantes redeant ad paſtorem ſuum, licèt conſtaret vobis ſanguine, ut ita loquar. Ita vos docuit Salvator veſter.

XIV. Matth. 27. Poſtquàm iniquus proditor Judas retulerat argenteos, quibus vendiderat ſanguinem innoxium, Judæi *Conſilio* Matth. 27. *inito, emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum.* Origenes in Cap. 27. Matth. dat ſtatim rationem: *Quoniam circà mortuos ma-* Origenes *gis eam pecuniam conveniebat expendi, quia pretium ſanguinis eſt.* Quia pretium ſanguinis erat, voluit Chriſtus illud potiùs in peregrinos mortuos, quàm in vivos ex-

D. Maximus. pendi. D. Maximus in eamdem abit ſententiam: *Ut pretium Sanguinis ejus prodeſſet mortuis*. Magnus Auguſt. longiùs abit, & premit magìs: Serm. 159. de Tempore: *Providentiâ Dei factum puto, ut pretium Salvatoris non ſacrilegis ſit ad luxum, ſed defunctis ſit ad ſepulchrum*. Nolite credere, inquit, id caſu factum, quòd pretium Sanguinis ejus non in luxum ſit datum, ſed ad ſepulturam mortuorum: hoc fieri voluit, in primis ut ſcirent Eccleſiaſtici, & hanc veritatem caperent, quòd ſacrilegi ſint illi, qui patrimonio Chriſti non benè utuntur, non impertiendo ex parte in bonum animarum, largas dando eleëmoſynas, & illis peregrinas animas in patriam cœleſtem perducendo. Hoc linquo Auguſtino; ſufficit mihi, quòd oſtendam Chriſtum voluiſſe pretium Sanguinis ſui expendi in mortuos, peregrinos à cœlo. Hoc Chriſtus volebat teſtari in paſſione, & poſt illam Sanguine ſuo, qui in vita tot dederat teſtimonia, quantùm afficeretur mortuis.

S. Auguſtinus.

XV. Joannis 11. Lazarus, frater Magdalenæ & Marthæ, amicus ejus (ita eum nominat: *Amicus noſter*) infirmatur ad mortem. *Miſerunt ſorores ejus ad eum, ut veniret, & ſanaret eum. Domine, ecce, quem amas, infirmatur*. Ipſe ne quidem pedem movet, nec ut ſanet, nec ut eas præſentiâ ſuâ conſoletur, ſed manſit in eodem loco: mortuum autem, & ſepultum viſitat, &, ſpreto fœtore, reſuſcitat: quin imò lacrymatus eſt, tantaque amoris indicia ergà defunctum oſtendit, tantamque compaſſionem; ut aſtantes dicerent; *Ecce quomodò amabat eum*. Bone Jeſu, ſi adeò diligebas eum; cur vivum non viſitâſti, & infirmum non curâſti? Dicat hoc pro me M. P. Auguſtinus Tract. 49. in Joannem: *Diſtulit ſanare, ut poſſet reſuſcitare*; ut oſtenderet ſe compati magìs mortuis, quàm vivis. Non ſunt primæ vices, quibus hoc oſtendit.

Joan 11.

S. Auguſtinus.

XVI. Matth. 8. Infirmante ſervo Centurionis: Acceſſit ad Chriſtum Centurio, rogans eum, & dicens: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur*. N. N. exſpectate tantiſper, antequàm reſponſum Chriſti audiatis. Lucæ 7. efferebatur defunctus Naïm, filius unicus matris ſuæ: *Ibat Jeſus in Civitatem, quæ vocatur Naim*. S. Cyrillus noſter in Cat. D. Thom. *Mira Dominus miris anneſtit; ſuprà non niſi accerſitus occurrit; hic verò non vocatus accedit*. Omnibus conſideratis, erat Centurio dignior aliunde, magiſq; virtuoſus quàm vidua, quia tantâ fide, tantâ humilitate accedebat, ut ipſe Chriſtus miraretur & diceret: *Non inveni tantam fidem in Iſraël*: ubi de vidua nihil horum. Cur ergò non niſi rogatus voluit ire ad Centurionem, & ad viduam non rogatus ivit? Item de Lazaro, quando rogatur, non vadit: non rogatus, vadit? S. Fulgentius: *Ibi venire rogatur, hic ad defunctum ſuâ ſponte venire dignatur*. Ubi agitur de infirmo, & de Lazaro, licèt amiciſſimo, exſpectat, invitari & rogari debet, ſed pro defuncto;

Matth. 8.

Lucæ 7.

S. Cyrillus.

S. Fulgentius.

defuncto: *Suâ ſponte venire dignatur*, & non rogatus. Jam ad Lazari ſepulchrum redeamus, quem ut Chriſtus mortuum ſcivit, ſtatim eò ſe contulit, ut reſuſcitaret eum. Vos N. N. manete tantiſper ad ſepulchrum, licet Martha dicat quòd fœteat, manete audacter, non nocebit ſanitati; ego interim audebo interrogare eum, cur fleat à morte illum reſuſcitans? *Infremuit ſpiritu, turbatus eſt, & lacrymatus eſt Jeſus.* Bone Jeſu, Cur turbaris? Cur gemis? Cur lacrymas fundis? Forte ob mortem Lazari? Econtrà ideò gaudet: dicit ipſemet diſcipulis: *Lazarus mortuus eſt, gaudeo propter vos.* Tot dantur rationes, quot fermè ſunt Patres: adhæreo D. Chryſol. Serm. 64 *Fremuit ſpiritu, & totâ ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non jam omnes mortuos ſuſcitabat.* Ut tu, mi homo, diſcas à Chriſto dolere, quòd non omnes animas Purgatorii ad cœlum, & ad vitam perducas; quòd tantùm unam, & non plures animas de carcere illo liberes. N, quando hoc à me audis, non turbaris? Non movetur tibi ſanguis? Non mutatur color præ pudore? Bonum eſt, quòd tenebræ ſiut, ut vix videaris. Dic mihi, ut te candidè interrogem: Anne ideò doles, quòd unam tantùm animam, & non omnes ad cœlum perducere valeas? Dic ſemel inter te & Deum (nolo ego ſcire, nec eſt neceſſe, ut præſentes ſciant) Ex omnibus, quæ facis, ſi quid facis (quantumcumque exiguum ſit) pro illis captivis, numquid adhuc extortum eſt totum? Quid ergò à te opera charitatis exigam? Veniamus ad debitum juſtitiæ. Peto, an ea adimpleas, ad quæ in conſcientia teneris? An pia legata animarum adimpleas? De hac materia tecum latiùs acturus poſteà. Et ſi hoc non ſit illas in carcere detinere, tunc ego non capio. Te ipſum judicem volo.

S. Chryſologus.

XVII. Job 17. 13. *Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum.* Quomodò dicis, Propheta, quòd infernus domus tua ſit? diſtinguitur infernus à Purgatorio: quomodò dicis infernum, dum dicis: *In tenebris ſtravi lectulum meum*, cùm per lectulum intelligas beatitudinem ſperatam? Reſpondet ad hoc Lyranus: *Infernus domus mea, quia nondum venit, qui me educat.* Scio hæc verba intelligi de Patribus in lymbo exiſtentibus: ſed quomodò lymbus infernus dici poterat, cùm Angeli deſcendentes, illos continuò confortarent, per hoc quòd venturus eſſet Meſſias? Hoc ipſum erat infernus: *Quia nondum venit, qui me educat.* Si hæc de lymbo, quantò magis de animabus in Purgatorio? *Infernus domus mea eſt: Quia nondum venit, qui me educat.* Exſpectant non ad dies, aut menſes, ſed ad annos, *& nondum venit, qui me educat*, & ad faciem Dei perducat: cùm tamen, ſicut teſtatur D. Joannes Chryſoſtomus: *Tantùm mihi videtur malum de gloria decidiſſe, ut gehennam pro nihilo habeam pro hoc damno.* Interim quod in manu veſtra ſit, velatos earum oculos revelare, oſtendit vobis manifeſtè Salvator.

Job 17. 13.

Lyranus.

D. Chryſoſtomus.

Ioann. 11. XVIII. Joannis 11. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ.* Infirmæ & languentes ſunt animæ purgantes, verè à *Bethania, quæ Domus afflictionis* interpretatur: *de caſtello* doloris & lacrymarum, quamquàm non multum diſtante à Jeruſalem cœleſti, domo conſolationis. Languentes ob pœnam, afflictæ ob privationem gloriæ, dormientes, quia ad vitam æternam excitandæ, & cum Deo victuræ ſemper. Verè Lazari, qui interpretatur Hebraicè *Adjutus*, ſeu *Adjutorium*, & germanæ Mariæ & Marthæ, quia partim ſpectant ad Eccleſiam triumphantem, ſecundùm Auguſtinum, in Maria adumbratam, & partim ad Eccleſiam militantem, figuratâ in Martha, quia adhuc patiuntur: amicæ Dei, dilectæ Redemptoris, de quibus verè dici poteſt: *Ecce quomodò amabat* eas. Lazarum, ad inſtantiam ſororum, reſuſcitaturus Jeſus, venit ad ſepulchrum, circumſtantibus dicens: *Tollite lapidem*, qui illicò, *tulerunt lapidem.* Cur circumſtantibus mandat Salvator, ut lapidem tollant? Numquid poterat ipſe facillimè lapidem tollere? Poterat: ſed ad inſtructionem noſtram voluit à circumſtantibus tolli. Intelligetis ſtatim, quò vergam. Clamans voce magnâ: *Lazare veni foras*, Lazarus obedit inſtanter, & ad Chriſti vocem prodiit foras; at modo ſtupendo Prodiit qui erat mortuus, ligatas habens manus & pedes. Et, quod ſtupendum magis, *Facies ejus ſudario erat ligata.* Quid aliud ligati oculi indicant, quàm catenam damni, quâ vinctæ ſunt animæ captivæ, privatæ luce illâ divinâ, ad quam anhelæ clamant: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Psalm 41. Iiſdem circumſtantibus ait Salvator: *Solvite eum, & ſinite abire.* Quod Chriſtus illis, ego vobis NN. *Solvite eas, & ſinite abire in patriam.* Tollite Sudarium, quo facies earum eſt ligata. Non auditis ingemiſcentes: *Quando veniam & apparebo?* Sinite abire, nolite in carcere detinere, ne alioquin conquerantur de vobis, & dicant: *Virgo Iſraël projecta eſt, & non eſt, qui ſuſcitet eam.* Amos 5. Amos 5. Solvite eas, ſolvite, quia in manu veſtra eſt illas ſolvere; ſi non foret in manu veſtra ſolvere, Spiritus S. non adhortaretur vos.

XIX. Eccli. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Eccli. 22.10. Belluacenſis in Spec. Mor. Lib. 2. P. 1. D. 11. *Plora ſuper mortuum in Purgatorio*, Belluacenſis. *quia deficit lux beatificans.* Jacent in tenebris, privatæ viſione beatificâ, clariſſimâ luce Divinæ eſſentiæ; fundite pro illis lacrymas, aut ſaltem preces &c. quia per illam privationẽ patiuntur tormentum, mille ſuperans Purgatoria. Inter omnes pœnas, quas libenter patiuntur ob offenſam Dei (& quæ juxtà Aug. & Thomam majores ſunt omnibus pœnis, quas paſſus eſt Chriſtus) tantùm petunt à vobis, quod ille Cæcus à Chriſto, de quo.

XX. Lucæ 18. Cæcus quidam mendicans propè Jericho, audiens prætereuntem turbam, interrogabat, Quid hoc eſſet? ut audit, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret, exclamat: *Jeſu fili David miſerere mei!* Lucæ 18. Jeſus, miſericordiâ motus, interrogat Cæcum: *Quid vis ut faciam tibi?* Non dicit:

dicit: Peto eleëmoſynam ad ſublevandam paupertatem meam; petit ſolummodò: *Domine, ut videam.* NN. quando pertranſitis cæmeteria, imò ipſum ſarcophagum, ſub quo Pater veſter, Mater, Sorores, Fratres ſepulti ſunt, imò fortè & vos ſepeliemini, non auditis clamantes animas: *Miſeremini mei*? Interrogate ſemel: *Quid vis, ut faciam tibi*? Non dicent aliud, quàm *Ut videam* faciem Dei. Si fortè à me petatis modum illis dandi hoc deſideratum lumen.

XXI. Joannis 19. Longinus,
Joannis 19 mortuo Chriſto, *Lanceâ latus ejus apéruit, & continuò exivit Sanguis &*
S. Auguſt. in Manuali c. 23. *aqua.* S. Auguſtinus, Doctorũ Aquila dicit, Sanguinem illum & aquam, gratiam eſſe Sacramentalem, vitam animarum omnium fidelium: *Ex latere Chriſti omnia Sacramenta fluxe-*
S. Iſidorus. Salmeron To 10. Tract. 47. *runt.* S. Iſidorus, Salm. Petrus Comeſtor, Petrus de Natalibus, Mantuanus noſter, Nazianzenus dicunt, Pet. de Natal. Mantuanus. Greg. Naz. in Tragœdia.
quòd Longinus, cùm eſſet altero oculo privatus, guttà Sanguinis Chriſti exterius fuerit illuminatus, interius verò lumine fidei, & per Apoſtolos baptizatus, poſteà Martyrii coronam conſecutus. Quidquid ſit de illis, obſervat Auguſtinus, hoc factum eſſe poſt mortem Chriſti; &, ne quis putaret hoc myſterio carere, ait: *Emiſit Sanguinem, ut non ſolùm prodeſſet vivis ad gratiam, ſed etiam defunctis ad gloriam.* Effundite calicem Sanguinis Chriſti RR. Sacerdotes, mittite ad fideles defunctos aliquot guttas, ut aperiantur oculi eorum, ut videant faciem Dei; aut ſaltem orate per Sanguinem Ieſu Chriſti, *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis*: aut dicite ad minùs omnes mecum: *Requieſcam in pace.*

SERMO QUINTUS

DE CARCERE PURGATORII.

Ipſâ nocte erat Petrus dormiens. Act. 12.

Animæ captivæ, quamquam vinctæ catenis duabus, dormiunt in ſomno pacis. Somnus hic ſecuritas eſt, ſeu certitudo, quam habent, quod æternùm fruentur viſione beatificâ. Oſtenditur, quòd, in illa pace, amaritudo earum ſit amariſſima: licet enim de ſalute ſint certæ, incertitudo tamen quando inveſtiendæ ſint ſtolâ immortalitatis maximè illas cruciat.

I. Putabam Purgantes animas ſatis in hoc afflictas, quòd vinctæ eſſent catenâ igneâ, & in ſuo
Iſaiæ 4. 4. carcere purgarentur *In ſpiritu ardoris*: Sed, ut herì audivimus, vincit illas Deus catenâ alterâ, priore multò duriore; ſic ut meliùs illis eſſet mille flammas tolerare, quàm pœnam damni. Hæc ſola complementum eſt omnium pœnarum, Deo

atte-

Deut. 32 23 atteſtante: *Congregabo ſuper eas mala, ſagittas meas complebo in eis*. Et tandem: *Avertam faciem meam ab eis.* Si hoc meo in loco una ex illis captivis ſtaret, idipſum fateretur, quod herì Job; quòd, licèt tota ſit in tormentis, maxima tamen amaritudo
Iob 17. 2. ſit in oculo: *In amaritudinibus moratur oculus meus*; non in amaritudine, ſed *in amaritudinibus*, quia hæc ſola major eſt, quàm centum ignes inferni. S.P.N. ELIAS currus equoſque igneos minimè expavit, ſed intrepidè, itineris ſuperni deſiderio, contra formidoloſa eſt auſus. Meliùs eſſet illis mille flammas tolerare, quàm vinciri catenâ damni, quàm privari Divinâ facie: quia eſt pœna infinita, utpotè amiſſio boni infiniti. Fateor, dum in vivis erant, non erat illis privatio ita ſenſibilis & pœnalis, ſicut Abſaloni in Geſſur exulanti, quia non erat eis tunc adeò confuſibile, faciem Dei non videre: ſed, ex quo adeò vicinæ factæ ſunt cœlo, hæc pœna major eſt, quàm centum ignes infernales. Si Beatus in cœlo videret Eſſentiam ſine Perſonis, aut unam Perſonam ſine alia, non cenſeretur beatus, eò quòd tormentum potiùs eſſet, quàm gloria. Si anima glorioſa à D. Thoma Aquinate denuò interrogaretur circa cœleſtem gloriam, ſum certus, quòd aliud reſponſum non eſſet datura, quàm: *Videmus Deum.* Econtrà, ſi evocaretur anima ex Purgatorio, & interrogaretur circa pœnas & tormenta, quæ ibidem patitur, aliis omnibus relictis, ſolùm diceret: *Non videmus Deum.* Ita ut putem hanc pœnam damni illis reſpectivè majorè eſſe pœnis criminalibus in inferno, eò quòd, quàtò quis magis amat, tantò plus dolet de abſentia rei amatæ. Curioſus eram ſcire, in quo ſtatu modò eſſent captivæ noſtræ: inquiſivi, & quantùm aſſequi potui, dormiunt. Dormiunt in igneo carcere, & in igneo jacentes lecto? Rem miram dico. Ut hanc capiam, ſuperna gratia eſt mihi neceſſaria: imploremus illam per interceſſionem ejus, quæ eſt *Mater Dei, & Mater omnium, qui ſunt in Purgatorio*, dicamuſque: *Ave gratiâ plena.* D. Bernar.

II. Quòd Petrus ſuo in carcere, licèt vinctus catenis duabus, & proximè in crucem dandus, ſecurè dormiat, non miror: Quidni enim in Domino confiſus, & pro Deo patiens dormiat ſecurè? Sed quòd animæ captivæ in carcere igneo Purgatorii, vinctæ catenis duabus, & quidem *ipsâ nocte*, lumine viſionis beatificæ privatæ, ſecurè dormiant, hoc non capio. Audite in altari Sacerdotem poſt Conſecrationem Deo animas commendantem: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Hic non agitur de Beatis, quia pro illis non oratur; ergò de animabus, quæ ardent in Purgatorio. Quomodò hæ dici poſſunt in lecto igneo & acerbiſſimis pœnis dormire & quieſcere? Infirmus, febre ardente oppreſſus, nullam habet requiem, nec claudere poteſt oculos; computat noctis horas, continuò vertit ſe, ut ſomnum inveniat, at fruſtrà. Quomodò ergò inter flammas ardentes dormiunt tam dulciter & quietè *in ſomno pacis*? Mirabaris Petrum in carcere Herodis dormientem videre, vinctum

vinctum catenis duabus: mirare
S. Chryſoſt. nunc animas Purgatorii *cum igne devorante* dormire, & ſecurè dormire *in ſomno pacis*. Ne putetis NN. Eccleſiam hîc loqui de ſomno materiali, agitur hîc de mentali, de ſecuritate & certitudine, quam habent, quòd æternùm fruentur viſione beatificâ. Solemus dicere de re aliqua ſecuri: modò poſſum in pace dormire; illæ ergò animæ benedictæ, ob ſecuritatem, quam habent, æter-
Sap. 3. 4. nam gloriam poſſidendi, *Dormiunt in ſomno pacis*: *Dormiunt*, quia *Spes illarum immortalitate plena eſt*: *Dormiunt*, quia infirmitas non eſt ad mortem,
Ioan. 10. 28. ita ut Deus de illis dicere poſſit: *Non*
Matt. 26. 45. *rapiet eas quiſquam de manu mea*. Dormite felices Animæ, *Dormite jam, & requieſcite*. Sed NN. licèt dormiant
Iſaiæ 38. 17. in ſomno pacis, *In pace amaritudo earum amariſſima*. Licèt certiſſimæ ſint de ſua ſalute, quòd Deum æternùm videbunt, incertitudo, quando venturæ ſint ante faciem Dei, & veſtiendæ ſtolâ immortalitatis, il-
Prov. 13. 12. las maximè cruciat. *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Quantùm ſpes illa animas, hâc ſtolâ gloriæ indui cupientes, affligat, hodiè oſtendo. Dignemini me ſolitâ attentione.

III. Evangelicus Propheta Iſaias Cap. 16. plorans deplorat miſeram ſortem civitatis Heſebon, & Eleale, ſuper deprædata & calcata à Chal-
Iſaiæ 16. 9. dæis vindemia: *Inebriabo te lacrymâ meâ Heſebon, & Eleale, quoniam ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit*. Quaſi diceret: Miſeret me tui Heſebon, & non poſſum non plangere infortunium tuum, dum cives tuos video omnibus fructibus jam maturis ſpoliatos, & quidem tempore meſſis colligendæ. Cap. ſequenti de iiſdem loquens, ait: *Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebis graviter*. Iſaiæ 17. 11. Quaſi diceret: Quomodò non doleat aliquis, quando jamjam capturus poſſeſſionem hæreditatis ſuæ, ipsâ privatur? fieri non poteſt: *Dolebit graviter, dolebit graviter*. Habetis hîc expreſſum triſtem ſtatum animarum Purgantium, quæ ſperantes laborum ſuorum fructus colligere, vitam ſcilicet æternam, juxta illud
Prov. 17. *Sperat autem juſtus in morte* Prov. 17. 32.
ſua: ipſo die, quo credebant ſe ingreſſuras in hæreditatem ſuam, non ſolùm ſe illâ privatas, ſed & in carcerem Purgatorii miſſas reperiunt. Scio quidem, Animæ ſanctæ, quòd veſtrum ſit regnum cœlorum, & quidem ex debito; ſcio, quòd hæredes ſitis, quia filii: *Quòd ſi filii, & hæ-* Gal. 4. 7.
redes: ſed, quod vobis hæreditas veſtra denegetur, compatior vobis, & præ animi ſenſu: *Inebriabo vos la-* Iſaiæ 16. 9.
crymâ meâ, quoniam ſuper vindemiam veſtram, & ſuper meſſem veſtram vox calcantium irruit. Quantus vobis inde dolor! Quantum tormentum! *Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebit graviter*. Si ſpes illa, quæ differtur, affligat animam, ut Spiritus ſanctus teſtatur Prov. 13. *Spes, quæ* Prov. 13.
differtur, affligit animam: conſideret unuſquiſque veſtrûm, quantum indè animabus captivis tormentum ſit; videor eas audire dicentes cum
Job 30. *Expectabam bona, & venit* Job 30. 26.
mihi turbatio: præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Hoc eſt, inquit
Gloſſa interlin. *Expectabam bona* Gloſſa interlinealis.
quantocyùs habere. Quando defungebamur ſeculo, ſperabamus illicò

bonorum æternorum poſſeſſionem capere, & invenimus nos oppreſſas tormentis inenarrabilibus: expectabamus gaudere luce cœleſti, & frui viſione beatificâ, & reperimus nos illâ privatas: *Præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ.* Spes, quæ differtur, eſt afflictio animæ, & quidem una ex præcipuis, quas poſſent ſubire. Habent animæ noſtræ captivæ ſpem certam ſuæ liberationis: expectant hodie, expectant cras, exſpectant omni horâ, & omne momentum ipſis ſeculum eſt; ſunt certæ, quòd veniet dies, quâ viſuræ ſunt faciem Dei, ſed cùm ortum ejus non videant, ideò ſuſpirantes dicunt: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quando rumpentur vincula noſtra, quando veniet tamdiu expetita dies, quâ liberemur ex hoc carcere? *Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebit graviter.* Quidni graviter doleant, cùm *ſpes, quæ differtur, affligat animam?* Textus Hebraicus legit: *Spes protracta eſt morbus, aut ægritudo cordis.* Nôrunt Medici, quòd inter omnes infirmitates corporales non detur major & ſenſibilior dolore cordis; eſt enim ſedes omnium ſpirituum vitalium, & ab illo vitam & mortem habent omnia membra; undè Oleaſter: *Eſt dolor cordis inter cæteros acutior.* Si ergò ſpes protracta morbus ſit cordis, conſequenter dilatio illa liberationis eſt ipſis ſæviſſimus tortor. Audiendus hîc Doctor Angelicus in 4. Diſt. 21. Q. 1. A. 1. ad 3. *Quantò aliquid magis deſideratur, tantò ejus abſentia eſt moleſtior.* Deſiderium, quo animæ feruntur in æternam beatitudinem, eſt immenſum, ergò immenſus eſt earum dolor, dum, quòd ſperant, non obtinent. Hinc lacrymæ earum die ac nocte. Audite unam ex his.

Pſal. 41. Job 13. Hebraicus. Oleaſter. D. Thomas.

IV. Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus?* Quando peregrinus aliquis per deſertum aridum proficiſcitur, &, præter itineris moleſtias, fatigationes, latronum & ferarum pericula, ardenti ſiti corripitur, quis pœnam ejus explicet, & animæ afflictionem? Gen. 21. Errabat Agar cum filio in ſolitudine, cùmque conſumpta eſſet aqua in utre, & puer præ ſiti moreretur, dicebat illa, dolorem non ſuſtinens: *Non videbo morientem puerum*: ita ut Deus ipſe miſertus ejus, miſerit de cœlo Angelum, qui Agar puteum aquæ oſtenderet pro ſe & filio ſuo. Exodi 17. Filii Iſraël in deſerto venerant in Raphidim: *Ubi non erat aqua ad bibendum populo*: at illi Moyſi: *Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros, & jumenta ſiti?* Eò deduxit populum tormentum ſitis, ut diceret: *Eſtne Dominus in nobis, an non?* 3. Reg 19. S. P. N. ELIAS multa paſſus in deſerto, ſitim ferre non ſuſtinens: *Petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* Judicum 15. Sampſon virorum fortiſſimus, integros exercitus delens, dejicitur à ſiti: *En ſiti morior.* Iſaias ab impio Manaſſe medius ſerratur; in crudeli iſto tormentorum genere nihil eum magìs cruciabat, quàm ſitis; non audiebatur ab illo, niſi triſte *Sitio*; ſecun-

Pſal. 41. 1. Gen. 21. 16. Exod. 17. 1. ℣. 3. ℣. 7. 3. Reg. 19. 4. Iudic. 15. 18.

ſecundùm D. Hieronymum : & ſt.tim ſurrexit aqua de terra, fluens ad os ſitibundi Prophetæ. Sed quid hos adduco, dum habemus præ ſiti morientem Dei Filium? Joannis 19. in Cruce pendens, circa horam no-
Ioan.19.28. nam clamans voce magnâ: *Eli Eli lamma ſabacthani*; ut quid dereliquiſti me? dicebat: *Sitio.* De tota Paſſione, nec de Flagellatione, nec Coronatione, nec de ipſa Crucifixione conqueritur; de ſola ſiti conqueritur; plus cruciat eum ſitis, quàm Crux; de Cruce ſilet, & de ſiti clamat: à capite ad calcem ſacratiſſimum Corpus ejus unum ſolummodò vulnus erat, & de ſola ſiti conqueritur.
Cajetanus. Cajetanus ad litteram: *Ex tormentis ſitiebat.* Dolores innatum calorem exagitant, humidum conſumunt, & igneis ardoribus dolentis viſcera urunt. Sicut ergò ſitis Chriſto pœnaliſſima fuit, ita ſitis ardentium animarum tormentum eſt tormentorum. Patientes animæ, peregrinæ à cœlo, in itinere ſunt ad cœlum, pertranſeuntes deſertum aridum, & abſque aqua: *In terra deſerta, & in-*
Pſal. 62. 2. *via, & inaquoſa.* Pſal. 62. tranſeunt, *Per terram ſitis, & imaginem mortis.*
Ieremiæ 2. 6. Jeremiæ 2. *Eſurientes & ſitientes,*
Pſal 106. 5. *anima eorum in ipſis defecit.* Pſal. 106.
Iſaiæ 21. 14. Clamant quotidiè: *Ferte aquam ſitienti, qui habitatis terram Auſtri.* In ardente febre ſua, clamant quotidiè:
Pſalm.38. 14. *Remitte mihi, ut refrigerer.* Pſ. 38. Si quæratis à me: Quid ſit hæc ſitis animarum? ad hoc reſpondent duo primi Theologi, quos Eccleſia agnoſcit, DD. Auguſtinus & Thomas:
S. Auguſtin. D. Thomas. ille in Pſal. 62. *Ipſum deſiderium, ſitis eſt animæ*: hic in Pſ. 41. *Sitis deſignat deſiderium cum anxietate*: hic ſiti laborantibus omne momentum mors eſt.

V. Joannis 5. Erat Jeroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exſpectantium aquæ motum: Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua; & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacumque infirmitate detinebatur. *Erat autem* Ioan. 5. 5.
quidam homo ibi, 38. *annos habens in infirmitate ſua.* Obſervat S. Chryſ. hîc verbum verè conſideratione dignum: *Erat autem quidam homo ibi &c.* S. Chryſoſt.
Ubi? *ibi*, propè piſcinam, propè aquam, quæ erat medicina adæquata infirmitatis illius, qui deſiderio inſatiabili, & ſiti inextinguibili, ad has aquas 38. annis ingemuerat, & inclamaverat: Num ergò dabitur aliquis, qui me portet in hanc piſcinam? Num quis tantillæ ergà me erit miſericordiæ, qui me immergat in has aquas? Deſiderio deſideravi liberari ab hoc malo, & ecce remedium oportunum; non eſt quærendum procul, non conſtat magno labore, ecce hîc; *erat ibi.* Compatitur S. Chryſ. Ut verum fatear, inquit, 38. annorum ſpatio tam ardenti deſiderio anhelâſſe ad aquas adeò vicinas, nec eas poſſe conſequi, quid poterat miſero accidere triſtiùs? Verum eſt, captivæ noſtræ ſunt omnes animæ ſanctæ, & certæ, quòd Deum videbunt, ſed, cùm omnes ſint animæ amantes Deum, fit, quòd Chryſologus dicit de amore:

S. Chryſol. *Amor, niſi ad deſiderata perveniat, necat amantem.* A Lapide in Cap. 4. Eccl. oſtendit in ſimilitudine: *Sicut* Cornelius à Lapide. *corpus cruciatur, dum extenditur ultra naturalem modum, & ſitum eſt in equuleo; ſic pariter cruciatur animus, dum extenditur extenſione ſpei, & longâ exſpectatione rei deſideratæ; quod ergò eſt corpori equuleus, hoc eſt animæ dilatio rei ſperatæ.* Si anima, adhuc juncta corpori, torturam patiatur ob dilationem rei ſperatæ, quàm patiuntur animæ, à corpore ſolutæ, expectantes & anhelantes ad faciem Dei? Unus, dum adhuc in vivis erat, hoc vobis perſuadeat.

VI. Gen. 43. Fratres Joſeph, causâ proviſionis granorum faciendæ, mittuntur à Jacob in Ægyptum: Judas, unus ex iis, reſpondit patri: Gen. 43. 3. 4. 5 *Denuntiavit nobis vir ille ſub atteſtatione juriſjurandi dicens: Non videbitis faciem meam, niſi adduxeritis vobiſcum fratrem veſtrum minimum.* Si ergò eum vis mittere nobiſcum, pergemus; ſi autem non vis, non ibimus. Poſt multos ſermones, tandem Jacob, invitus licèt, conſenſit. Abeunt, veniunt ad aulam: ut Joſeph vidit Benjamin fratrem ſuum uterinum, ✝ 30. *Commota ſunt viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ.* 70ta. legunt: *Torquebantur viſcera ejus.* Unde proceſſerit illud tormentum, illa tortura, quam patiebatur anima ejus, rectè tangit D. Amb. S. Ambroſ. *Torquebantur viſcera, quia complectendi ejus collum, quod deſiderabat, libertas, differebatur.* Volebat amplecti fratrem ſuum Joſeph, at ob materiam ſtatûs, non conveniebat; multitudo adſtantium non permittebat ſimiles demonſtrationes fieri, quia debebat ſervare decorem ſtatûs ſui. Intenſus amor, quo ferebatur in illum, ſtimulabat ad oſculum, retrahebat celebritas nominis & perſonæ. Qualis pœna! *Torquebantur viſcera ejus:* adeò vicinum habere fratrem ſuum, & non dari, ut ruat in amplexũ ejus! Quòd aliquis deſideret objectum aliquod, & non poſſit conſequi, eò quòd non facilè adipiſcibile, vel quia longè abeſt, non adeò pœnale eſt; ſed vicinum habere, nec conſequi poſſe, tormentum eſt. Quàm ardens deſiderium, quàm intolerabilem ſitim habent Purgantes animæ videndi, poſſidendi, & fruendi Deo! Deſiderant gloriam, & habent vicinam, quia ſunt in gratia, & à gratia ad gloriam eſt breviſſimus tranſitus, unico tantùm diſtat paſſu; quia, teſte Auguſtino, gloria aliud non eſt, quàm gratia conſummata; gratia, gloria initiata; quâ, cùm potiri non poſſint: *Torquentur viſcera earum*, continuum Martyrium ſubeunt, donec impleatur deſiderium earum.

VII. Lucæ 2. *Simeon juſtus &* Lucæ 2. 25. *timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Notate: *Spiritus ſanctus erat in eo*, & : *Expectans conſolationem.* Si Spiritus S. conſolator eſt: *Conſolator optime,* Eccleſia. *dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium;* quomodò Spiritum ſanctum dicitur expectare? Triſtitia poſt Chriſti Aſcenſionem Apoſtolorum corda impleverat, undè ſtante incomparabili hac triſtitiâ, *Aſcendente Domino,* inquit M. P. Auguſtinus, *neceſſarius* S. Auguſt. *fuit adventus Paracliti, hoc eſt, conſolatoris.* Scilicet tam ſuave nectar & manna eſt hujus Spiritûs conſolatoris, ut, ſi vel una ſtilla in quantumcumque

cumque afflictam animam cadat, illam plus inebriet, quàm totus mundus poſſet, juxta Ugonem Vict. *Audacter affirmo, quòd ſola una ſtilla mellis poteſt, quod totus mundus non poteſt. Una enim hujus dulcedinis gutta cor plenè inebriat.* Audite me modò N. N. *Spiritus ſanctus erat in eo*: poſſidebat cor Simeonis Spiritus ſanctus, ipſe ſcilicet conſolator: ſed quomodò ergò *Expectabat conſolationem*? Si ſecum fontem nectaris habeat, quo inundabat cor ejus, cur conſolationem expectare dicitur? *Expectabat conſolationem.* Unica ſtilla hujus Paracliti animam præ dulcedine & conſolatione inebriat, & mare totum non ſufficit tibi Simeon? Quæ iſta triſtitia, quæ ita te cruciat & affligit, ut ipſa viva, plena, & ſumma conſolatio non tantùm te non ſoletur, ſed ut præ triſtitia, teſte Euſebio Emiſſeno, mori deſideres? *Mori cupiens, mori non poterat.* Quaſi diceret: Moriar; mors ſola mitigare poterit torturam, quam patior. Siſtite hîc N. N. *Reſponſum acceperat Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.* Sperabat, anhelabat amplecti Chriſtum Domini, & ſpes illa protendebatur, & expectans expectabat, ab expectatione canus factus. O ſpes duriſſima & acerbiſſima! Tu, tu carnifex es animarum noſtrarum, deſiderantium venire, & apparere ante faciem Dei: tu ægritudo cordis: tu crucias in ſubſtantia cordis. Anna Tobiæ uxor, teſtare etiam, quanta paſſa ſis in intimo cordis, ob filii abſentiam.

Ugo Vict.

Euſebius Emiſſ.

VIII. Tobiæ 10. 7. Expectans expectabat reducem dilectum filium ſuum, ob celebratas cum Sara nuptias ultra determinatum tempus, ab Angelo detentum: *Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.* Languebat, gemebat, ſuſpirabat nec bibens nec manducans, noctes ducebat inſomnes. Sed quid Annæ ad animam Purgantem inter flammas captivam? Quid Tobiæ ad Chriſtum Redemptorem, & Sponſum animarum? Si illa tantùm crucietur ob filii abſentiam, quantus, putatis, cruciatus eſt animarum anhelantium videre faciem Dei, ſummi & infiniti boni? Crediderim ego, quòd, niſi Deus mitteret continuò Angelos, qui ſitibundas animas in ſua ſiti confortarent, illam non eſſent ferendo. Do umbram immenſi hujus corporis.

Tobiæ 10. 7.

IX. Act. 1. 4. Chriſtus aſcenſurus ad Patrem, *Conveſcens præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum, quia Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Quibus dictis: *Elevatis manibus benedixit eis.* Aliqui Patres inquirunt: quale myſterium lateat in hac benedictione? & quem finem habuerit Chriſtus illam impertiendo? Theophil. in Cap. 24. Lucæ pandit myſterium: *Benedixit Diſcipulos ſuos, fortaſſis infundens eis vim, quæ cuſtodiret uſque ad Adventum Spiritûs.* Dixerat eis Chri-

Act. 1. 4.

Theophil.

ſtus, ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris; ut ergò cuſtodiret illos iſto intervallo temporis inter promiſſionem, & adventum Spiritûs, dat confortantem benedictionem ſuam; quia, ut verum dicam, expectatio illa ad conſolatoris adventum tam ſævus tyrannus animæ eſt, ut divina eis confortatio fuerit neceſſaria. Animabus adeò anhelantibus, & continuò ingemiſcentibus: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* toto illo tempore, quo purgari debent, illâ præſentiâ privari, illis tormentum tantum eſt, ut deficerēt, niſi Divina Majeſtas compaſſione mota, ut jam dixi, ſæpè Angelos mitteret, qui conſolarentur illas, &
Iſaiæ 18, 2. confortarent: *Ite Angeli veloces ad Gentem convulſam & dilaceratam.* Quid triſtiùs, quid infeliciùs, quàm inter divitias pauperes eſſe? in omni abundantia indigere? ſtare in aquis, & ſitire? Hoc contingit animabus Purgantibus: ardent ſiti gloriæ, vicinum habent divinarum fontem dulcedinum, & tamen contingere nequeunt. Vultis rationem? à Purgatorio ad infernum deſcendamus.

X. Lucæ 16. 24. Infelix Epulo, totus in tormentis, clamat ad
Lucæ 16. 24. Abraham: *Pater Abraham! mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.* Sitis intolerabilis cruciat me! Miratur S. P. Chryſol. hanc ſupplicam, & quærit Serm. 122. *Cur dixit: Ut intingat, & non: Ut deferat?* unde ipſum ſupplicantem alloquitur: Dicis ut mittat Lazarum, qui intingat digitum: *Ergò juxta te eſt aqua? Si juxta te eſt de proximo, cur non ſumis?* Non expectat ab illo reſponſum, ſed dat ipſe: Erat juxta eum aqua, ſed in majus tormentum, quia habebat manus vinctas, quia *Vinctæ ſunt manus tuæ*, pœnam Tantali patiens, quæ erat graviſſima; quia habebat juxta ſe aquas, & intrà ſe ardentiſſimam ſitim, & aquam contingere non poterat, multò minùs conſequi. Infernum linquo, ad captivas meas redeo. O miſeram veſtram ſortem, Purgantes animæ! vicinæ eſtis fruitioni divinæ, & frui vobis prohibetur; vicinæ eſtis aquis delitiarū cœleſtium, & ardentiſſimam ſitim veſtram extinguere non licet. Ipſis oculis bonum deſideratum videre, & quaſi manu attingere, & non poſſe conſequi, quis tormentum illud explicet? Dicat, qui poteſt, quàm durum fuerit Moyſi, ad terram promiſſionis ardentiſſimè anhelanti, poſt tot labores, tot itinerum moleſtias, dum tanta à populo paſſus; aſcendit ſuper montem Nebo, oſtenditque ei Dominus omnem terram, dicens: *Hæc eſt terra, pro qua juravi Abraham, Iſaac, & Jacob, &c. Vidiſti eam oculis tuis, & non intrabis ad eam.* Deut. 34. 4.
His auditis: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini.* Quis hoc ſatis miretur? Sed quò abeo? Quid terra promiſſionis ad cœleſtem patriam? Quid umbra ad immenſum corpus? Quid tenebræ ad lucem? Quid bonum infinitum ad nihilum? Animæ Purgantes, hâc vitâ mortali defunctæ, erant certæ de hæreditate cœleſtis gloriæ, &, jamjam poſſeſſio- Verſ. 5.

S. Chryſologus.

poſſeſſionem capturæ, audiunt à Divina Juſtitia: *Videbitis eam oculis veſtris, & non intrabitis in eam*, donec per ſatiſpaſſionem ſatisfeceritis mihi. Videre, & non poſſe intrare, ſignanter ſtante veritate, quòd ipſarum ſit regnum cœlorum? Videor eas iterum ingeminantes & ſuſpirantes audire: *Quando? Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quando! Quando! *Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebit graviter.* Ita ut, omne momentum expectationis, ſit illis mors nova.

XI. Dicet fortè iterum aliquis: Privari viſione beatificâ, non adeò ſenſibile eſt nobis; quomodò ergò animabus Purgantibus inde tantus cruciatus, ut meliùs eis eſſet mille flammas tolerare? In præcedenti ſermone dedi rationem unam, & differentia, quæ eſt hominem mortalem inter & vitâ functũ mox dabit alterã? De mortalibus loquitur Propheta
Pſalm.16. 12. Regius Pſal.16. 12. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Vanis & fugacibus mũdi delitiis allecti, ſpernunt æterna, & bona cœleſtia: *Ani-*
1. Cor.2.14. *malis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 2. 14. in quæ verba Doctor
D. Thomas. Angelicus: *Homo carnalibus affectus, non intelligit eſſe bonum, niſi quod eſt delectabile ſecundùm carnem. Animalis homo*, inquit D. Anſelmus
S. Anſelmus. ibi, *ſola præſentis vitæ bona carnalia cogitat & appetit; ſpiritualia verò & æterna, non intelligit; ſtultitia enim illi, quidquid de talibus audit.* At qui cum Davide ſtabiliter
Pſal.24.15. proponit Pſalm. 24. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*, & in Deum oculos ſuos adeò conſtanter figit, Pſalm.31. 8.
ut dicere poſſet cum eodem Pſalm. 31. 8. *Firmabo ſuper te oculos meos*: ſi Deus poſteà ob aliquem defectum parùm ſe abſcondat, quis explicet tunc gemitus & cordis ſuſpiria? Quis oculorum flumina? Quis cordis vulnera? Job Cap. 13. à capite ad calcem percuſſus, & ad extrema redactus, ſolùm conqueri- Job 13.24.
tur: *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?*
Iſaiæ 38. 14. Rex Ezechias lamen- Iſaiæ 38. 14.
tatur: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Jeremias Threnorum 1. 16. incon- Thren.1.16.
ſolabiliter plangit: *Ego plorans, & oculus meus deducens aquas; quia longè factus eſt à me conſolator, convertens animam meam.* Cant. 5. 8. Sponſa amore languens exclamat: Cant.5 8.
Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Qui etiam in hac vita verè cognoſcunt Deum, bonum infinitum, cujus oculi ſemper ad Dominum, qui anhelat ad cœlum, Deumque ex toto corde amat, ſentit pœnam graviſſimam, & afflictionem intolerabilem, ſi abſcondat ſe, etiam ad modicum tempus. Cogitate ergò N. N. quantò majus tormentum ſit animabus captivis, privari viſione Dei, quæ meliùs illam cognoſcunt, amant perfectiùs, ad Deum ſemper aſpirant, expectantes expectant, in quem ſolum ſperant, & oculos figunt. Iterum dico, & dicam millies: S.Chryſoſtomus.
Meliùs illis eſſet mille flammas tolerare. Adhuc unum dico, & dum hoc dixero, totum dixero.

XII. Matth.

XII. Matth. 27. 46. Pendebat Chriſtus in Cruce, morte ſuâ nobis vitam daturus: ad Patrem converſus clamat voce magnâ: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Mi chare Salvator, quomodò te dicis à Patre derelictum, ſi anima tua videns claram Divinam Eſſentiam, fruatur cœlo continuò? Numquid eras viator ſimul & comprehenſor? ſic, ut licèt quoad partem ſenſibilem, & inferiorem animæ portionem extrema patereris tormenta, ſuperior tamen gauderet & frueretur pelago delitiarum & dulcedinum? Verum eſt N. N. Salvator noſter, in Cruce pendens, quoad partem ſuperiorem non desiit eſſe beatus in ſe, attamen illa beatitudo & gloria militavit ipſi ad pœnam, & auxit in ipſo tormentum indicibile; quia vicinam habere gloriam, & viſionem beatificam, inter tot pœnas, tantas ignominias & irriſiones, circumſtantia eſt, quæ pœnam reddat graviorem. Hanc veritatem affirmat & confirmat S. Laurentius Juſtinianus de Triumphali Chriſti Agone Cap. 10. *Altiſſimo Divinitatis conſilio actum eſt, dum pendens clamaret Dominus: Deus meus, ut quid dereliquiſti me? ut tota fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Divini amoris adinventio erat, quòd tanta pro homine pati voluerit, ut ipſa etiam Divinitas, ipſa gloria adeò vicina, ipſi eſſet ad pœnam: *Ut tota fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Hoc ipſum tormentum cruciat animas noſtras captivas: vicina ipſis gloria non ſervit illis, niſi ad augmentum pœnarum & tormentorum, utpotè tormentum omnium tormentorum maximum. Sitiunt pluſquàm Tantalus; bibere deſiderant ex fonte, de quo Joan. 4. 14. *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; vident fontem, & bibere non poſſunt. Et, quòd magis auget tormentum, eſt, quòd nudæ pendeant in cruce candente, ſuperindui cupientes, & non ſit, qui eas induat ſtolâ immortalitatis.

Matth. 27. 46.

S. Laurentius Juſtin.

Joan. 4. 14

XIII. Tres dantur nuditates, & tria reſpectivè veſtimenta. Primum veſtimentum, eſt materiale, in pœnam peccati: *Fecit illis tunicas pelliceas.* Secundum veſtimentum, gratiæ, & habituum infuſorum, quo ſolo amici Dei veſtiuntur: juxta illud Ezech. 16. *Cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus.* Tertium veſtimentum, eſt gloriæ nobiliſſimum & candidiſſimum pallium, adumbratum in nive Thaboris: *Veſtimenta autem facta ſunt alba, ſicut nix.* Tribus his veſtimentis correſpondent tres nuditates. Prima corporis, ſecunda animæ, gratiâ privatæ, tertia, quâ privantur animæ in Purgatorio, nudatæ veſtimento gloriæ. Quid ſit, illâ veſte privari, animabus, quæ in ſtatu ſunt, ut illâ ſuperinduantur, ſcire non poſſumus, niſi cognitis priùs duabus primis nuditatibus. De prima nuditate loquatur protoparens noſter in peccatum lapſus: *Timui, eò quòd nudus eſſem.* De hac nuditate Rupertus in Gen. Lib. 3. Cap. 14. Dum aliarum omnium miſeriarum, & inflictæ mortis ſententiæ non meminit: *Nudum ſe eſſe queſtus eſt; non enim dixit: Timui, eò quod præ-*

Gen. 3. 21.

Ezech. 16.

Matth. 17.

Gen. 3. 11.

Rupertus.

præceptum prævaricatus eſſem, ſed:
Eò quòd nudus eſſem. Job 24. 8.
Job 24. 8. Quidam, ne nudi inveniantur, *Non*
habentes velamen, amplexantur lapides. Fortiſſimi Martyres (ſignanter Virgines) rotas, gladios, ignes ſpernunt, imò lætanter in mortem ruunt; at nudæ populo expoſitæ, tanto rubore tectæ ſunt, ut mille mortes prætulerint. Teſtimonium ferant Barbaræ, Agnetes, &c. quarum nuditatem Deus miraculis texit, permittens potiùs mortem illarum, quàm nuditatem. Matth. 27. 45. pendente in Cruce Chri-
Matth. 27. 45. ſto, ad horam ſextam *Tenebræ factæ ſunt, ſuper univerſam terram.* Ad hanc Eclypſim doctiſſimi & expertiſſimi Aſtrologi obſtupuère: unus pro mille loquitur Dionyſius
D. Dionyſius Areop. Areopagita: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* Hæ tenebræ lumine indigent; illud ſubminiſtrat Paulus ad Hebr.
Hebræor. 5. 7. 5. 7. dum ait: *Preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Sed & hoc obſcurum eſt; quid rogabat Jeſus? pro quo orabat in Cruce? fortè pro genere humano, & pro redemptione ejus? Certè non obligabatur: quia, pro nobis ſuſtinens mortem, merebatur de condigno redemptionem, & per infinitam Theandricam actionem patiendi & moriendi, *De toto rigore juſtitiæ*, hæc ei debebatur. Quam ergò gratiam petivit à Patre? Immediatè antè clamaverat ſe à Patre derelictum, quomodò ergò *Exauditus eſt pro ſua reverentia?* Pendebat Chriſtus nudus totus, inter cœlum & terram, toto ſpectante populo, tanta ei indè confuſio, ut de illa David Propheticè dixerit Pſalm. 43. 16. *Verecundia mea contra me eſt, confuſio faciei meæ cooperuit me.* Pſalm. 43. 16.
Converſus ad Patrem, rogabat pro illa confuſibili nuditate, & *Exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quomodò exauditus? *Factæ ſunt* Matth. 27.
tenebræ ſuper univerſam terram. Nigrum pallium tenebrarum texit ſanctiſſima nuda Chriſti membra. Illa confuſio compendium fuit omnium pœnarum Chriſti, ita ut D. Hieronymus de illa dicat: quòd *Nunquam perfectè cognoſcetur, niſi in* S. Hieronymus.
die judicii.

XIV. Ex externa corporis nuditate, quæ tam opprobrioſa & pudenda eſt, colligite N. N. quid ſit animæ nuditas. Infinita & inæſtimabilia damna ſunt, quæ animæ cauſat peccatum, ſed ſuper omnia, ſpoliatio omnium habituum, gratiarum, & charitatis: *Deſpoliaverunt eum, ſemivivo relicto.* Lucæ 10. 30.
Si ſpoliari his materialibus & corruptibilibus veſtimentis, & in publico loco nudè exponi, tanta ſit confuſio & erubeſcentia, ut Adam inter omnes calamitates illam habuerit primam; ſi Chriſtus Salvator noſter nullum tormentorum adeò ſenſerit, quàm nuditatem, ita ut debuerit rogare Patrem; quid faciet nuditas animæ? Illam nobis ob oculos ponit D. Paulus 2. Cor. 5. 3. *Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur.* 2. Cor. 5. 3.
Apoc. 3. 17. *Neſcis, quia nudus es;* nudum ſe neſciebat. Apoc. 16. 15. Apoc. 3. 17. Apoc. 16. 15.
Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. O ſi ſub oculum noſtrum cadere

dere poſſet anima nuda, veſte gra-
tiæ ſpoliata, qualem confuſionem,
& horrorem conciperemus! Quo
rubore tegeretur vultus noſter?
Omnia tormenta, omnes calamita-
tes tantum viderentur umbræ. Aſ-
cendat hanc cathedram Prodigus il-
le, qui animam nudam, veſte gra-
tiæ ſpoliatam, & concomitantem
confuſionem, adumbrat. Conſump-
ſerat ille totam ſubſtantiam ſuam,
dilaceratis veſtibus menſæ porco-
Lucæ 15.17. rum aſſidebat tamquam porcus;
tandem *In ſe reverſus*, præ eru-
Verſ.18. beſcentia ſuæ nuditatis: *Ibo*, in-
quit, *ad patrem meum*: venit bo-
Verſ.20. nus ſenex, *Cecidit ſuper collum e-
jus*, & miſericordia motus ſuper
nuditate ejus, omnium aliorum im-
Verſ.22. memor, ait: *Citò proferte ſtolam
primam.* Certum eſt, quòd illum
preſſerint fames & ſitis: dicit ipſe:
Verſ.17. *Ego hic fame pereo*; non minus ſiti
ex longo itinere, &c. & tamen pa-
S. Chryſologus. ter non curat ſuccurrere, niſi nudi-
tati. Audite Chryſol. Serm.3. *Su-
ſtulit filii crimina, qui non ſuſtulit
nuditatem.* Illa eſt maxima cala-
mitas, in quam incidere poteſt
anima, dum ſpoliatur veſte gratiæ,
dum Deus verificat, quod habetur
Ezech.16.37. Ezech. 16. 37. *Nudabo ignominiam
tuam coram eis.* Et Joëlis 1. 7.
Joel.1.7. *Nudans ſpoliavit eum, & projecit.*
Ad vos modò venio, Animæ pati-
entes, & ad veſtram nuditatem; nu-
das vos video, & ſuperindui cu-
pientes; audio lamentationes ve-
2. Cor.5.4. ſtras: *Ingemiſcimus gravati, eò
quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuper-
veſtiri.* Illa eſt extrema, pœnaliſſi-
ma, & moleſtiſſima nuditas; gra-
ve eſt ſpoliari veſte gratiæ, ſed in-

comparabiliter gravius; nudari
pallio immortalitatis & gloriæ. Ve-
rum eſt, ſunt duæ veſtes ab una ea-
demque Dei manu confectæ: *Gra-* Pſalm.83.12.
tiam, & gloriam dabit Dominus: ſed
quanta differentia inter veſtem &
veſtem! gratia eſt unio accidentalis
animæ cum Deo; gloria, quaſi ſub-
ſtantialis, quia cum eadem divina
ſubſiſtentia intellectualiter unitur:
gratia in gradibus ſuis eſt finita;
gloria *Objectivè* eſt infinita: gratia
eſt gloria inchoata; gloria eſt gra-
tia conſummata: gratia eſt diſpoſi-
tio; gloria eſt forma: gratia facit
filios & hæredes; gloria reddit poſ-
ſeſſores hæreditatis Dei: gratia eſt
ſemen; gloria eſt fructus: gratia
eſt radius; gloria eſt ſol: gratia eſt
rivulus; gloria eſt fons: gratiâ la-
boratur in via; gloriâ quieſcitur in
patria. A nuditate gratiæ dimetia-
mini, quid ſit nuditas & privatio
gloriæ. Hâc veſte nudatæ ſunt cap-
tivæ animæ, illâ *Superindui cupien-
tes.* Sed quàm ſenſibile eſt illis, dum
ſciunt viventes, imò & conſangui-
neos, qui tot veſtes ab illis hæredi-
tàrunt, nòn dignari (cùm tamen in
manu illorum ſit) ſuffragiis ſuis ipſis
illam procurare! Audite querelas
earum deſuper Deo factas.

XV. Joannis 18. 11. Chriſtus à
militibus feritate inhumanâ cap-
tus, non petit à Patre defenſorem,
ut ab illa crudeli turba liberetur; e-
contrà, Petrum volentem ipſum
defendere, cohibuit: *Mitte gladium* Joan.18.11.
tuum in vaginam. Videt, & audit ſe
injuſtè calumniari, & à miniſtris
juſtitiæ coram judice opprobrioſè
infamari, nec petit defendi: duris fla-
gellis dilaniatus, acutiſſimis ſpinis
trans-

transfoſſus, deluſus, conſputus, & morti injuſtæ adjudicatus non ſupplicavit ſibi de Advocato provideri: at quando crucifixores ſuos vidit inter ſe veſtes ſuas dividere, non ſubminiſtrando vel minimam partem ad tegendam nuditatem, exclamabat illicò ad Patrem per os Davidis
Pſalm.21.19. Pſalm. 21. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice:* quaſi ſine ſpeciali auxilio divino tantam inhumanitatem ferre non poteſt. Non minorem pœnam patiuntur animæ in Purgatorio, dum viventes crudeli aviditate relictam ab eis hæreditatem dividunt, veſtes geſtant, & animas earum nudas relinquunt, quibus tam facilè providere poſſent de veſte immortalitatis, lucrando Indulgentias, &c. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea;* ſcilicet hæreditatem, *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem;* & ideò convertunt ſe ad Deum: *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice.* Quot animæ modò conqueri poſſent de viventibus, quos ditârunt ad millia, quòd modò eas nudas relinquant?
Pſalm 30. Quot, inquam, poſſent dicere: *Oblivioni datus ſum, tamquàm mortuus à corde?* Non dicunt quòd viventes non habeant memoriam earum, linguâ eas laudando, ſed dolent, quòd oblivioni ſint datæ in corde ad ſuccurrendum in paupertate; audiunt quidem laudari labores earum, ut hæredes lautiùs viverent, & abundantiùs poſſiderent; omnes vigilias earum, ut ipſi dormirent quietiùs; quòd ita familiam promoverint, ſed, ſolâ tantùm linguâ grati, ultrà non pergunt, ſed ingratiſſimi corde, tantũ recordantur quid fecerint vivi, ſed non quid patiantur mortui: *Oblivioni datus ſum, tamquàm mortuus à corde.* Dicat hîc pauca verba Cajetanus:
Mortui enim etſi in recordatione noſtra ſunt, in linguis, in laboribus, in laudibus, & in ſepulchris, numquam tamen in corde; utpotè quibus nulla noſtri cordis affectio utilis apparet. Cajetanus. Videor audire nudam animam ſitibundam, conquerentem: Quid juvat & prodeſt mihi, quòd cadaver meum tantâ pompâ, tot facibus, inſigniis, tanto comitatu ſit terræ traditum, & relinquatur anima circumdata flammis, & veſte gloriæ nudata? Quid prodeſt, quòd familia tota in lugubri ſit, quòd omnes muri per annum in nigris, & anima mea nuda, & ſpoliata pretioſâ illâ veſte, quam facilè poſſent procurare? Quid prodeſt, quòd in domibus ſuis ſervent effigiem meam in auratis marginibus, & relinquant originale in flammis exuri? Quòd oſſibus meis & putridæ carni marmoream tumbam extruant, & non curent procurare animæ meæ gloriam æternam, ſeu æterna tabernacula? Quòd marmoreis, æneis, auratis litteris exprimant, ſculpant nomen, titulos meos, &c. Sed ſuffragiis ſuis non deleant de libro Dei litteras demeritorum meorum, & regeſtum culparum? Ubi promerui, quòd tam miſericordes ſint corpori, & tam crudeles animæ meæ? Ne hæ querelæ vobis dictæ ſint, iterum vos alloquor N.N. verbis patris Prodigi.

XVI. Lucæ 15. 16. *Citò proferte* Lucæ 15.16.

ferte ſtolam primam, quia nudæ ſunt animæ; veſtite illas, cooperite illas, ne permittatis ampliùs improperationes, quas tamdiu fecerunt: *Nudus* Matth. 25. *eram, & non cooperuiſtis me*; in manu veſtra eſt veſtis, quâ ſuperindui cupiunt, aut ſaltem pretium ejus; *Citò* ergò proferte, *Citò*, nolite differre, quia periculum eſt in mora. *Citò*; quando pro eis lucrandæ ſunt Indulgentiæ, nolite lento pede incedere, nolite duabus horis ante ſpeculum ſtare, antequàm Indulgentiam plenariam lucremini; cogitate, quòd vel unum momentum nuditatis hujus animabus illis integri anni ſint, & ſecula, & ideò *Citò proferte ſtolam primam.* Notate: *Stolam primam*; quia licèt per illam intelligatur ſtola gloriæ, intelligi tamen etiam poteſt de prima, quæ vobis ad manus eſt; date illam uni pauperi (ſi non poſſitis lucrari Indulgentias) ſive pretioſa ſit, ſive non; quia ubi agitur de defunctis, oportet captare primam occaſionem & commoditatem: *Stolam primam.* Si debeatis adhuc ſatisfacere legatis, non differatis; non dicatis: Necdum mihi eſt commodum: nondum eſt tibi commodum, ubi animæ illæ ardent, & jacent nudæ? Non, non: *Date ſtolam* Iſaiæ 58. 7. *primam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Invitatæ ſunt ad æternas nuptias animæ illæ, & quòd necdum divinæ menſæ accumbant, defectu eſt veſtis nuptialis cœleſtis gloriæ. Sum unus (indignus licèt) ex ſervis à cœleſti Patre-familias miſſus, ut invitatas animas ad nuptias vocem, ſignanter ut *Debiles & claudos* adducam ad menſam gloriæ. Credo vos illos cognoſcere, *Debiles & claudi* D. Dionyſius Cart. *ſunt animæ in Purgatorio*, inquit Cart. debiles, quia non poſſunt ire in patriam deſideratam. Exi & tu, Mi homo: exi citò, exple Dei juſſa: dico; *Exi citò, citò, citò*, ne expectes in annos, in menſes, ut Indulgentias lucreris, ſed rumpe inducias: *Exi citò.*

XVII. Dic mihi, ſi nudus frigori eſſes expoſitus, aut radiis ſolis, ſi in flammam voracem cecidiſſes, quæ te in cinerem redigeret, poſſes expectare ad annum, ad menſes, ad horas, ad momentum? Numquid velles citò veſtiri, & tibi porrigi manum? Quomodò ergò habes cor adeò barbarum, ut tam nudas relinquere poſſis animas ardere in flammis, animas parentum, per annos & annos? *Si vivos operire nudos* S. Ambroſius. *lex præcipit*, inquit D. Ambr. Lib. de Tobia Cap. 1. *quantò magis debemus operire defunctos?* Et quomodò adhuc velles Chriſtianus dici ſic agendo? Audi Jacobum Apoſtolum Cap. 2. *Si frater, aut ſoror nudi ſint,* Jacob. 2. *dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini; non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit eis?* Ideò Deus non eſt tantùm dictus *miſericors*, ſed *miſerator Dominus*, quia, ex natura inclinari ad miſericordiam, parùm nobis prodeſſet, ſi non de facto ſuccurreret. *Exi* ergò *citò*, & imitare Belluacenſis. quandam Dominam, de qua Belluacenſis. (dum interim rogo excuſari, quòd, præter morem, à S. Scriptura recedam) Quædam nobilis Matrona, audiens Miſſam, videt ante ſe ſtare pauperem mendicam, pallidam, nudam, & præ frigore ita trementem, ut videretur anima ex

Purga-

Purgatorio: petenti pro amore Dei eleëmoſynam, dat illa ſatis liberalem: quâ acceptâ, ait pauper mendica: Domina, majorem exigit neceſſitas mea; vide quomodò nuda fermè præ frigore peream; da mihi unam ex veſtibus, quibus induta es. Libenter, inquit illa; ſed expecta, donec finita ſit Miſſa: ad quæ mendica: Fortè non tamdiu ſupervivam. Quid faciet generoſa Domina? nullâ interpoſitâ morâ, retrahit ſe in angulum Eccleſiæ, & dum veſtem exteram exuit, ut nudam veſtiat, Celebrantem Chriſtus alloquitur, dicens illi: Siſte, ne pergas; ſiſtat noſtrum ſacrificium, & cedat ei, quod offert prompto animo magna illa Eleëmoſynaria; meretur, ut nos illam expectemus, quæ ne ad momentum quidem voluit expectare, ut nudam tegeret. O charitas erga pauperes, quò devenis! cedit tibi campum & locum Deus ipſe; interrumpitur ſacrificium adeò tremendum, ad ſacrificium Eleëmoſynariæ, & attonitum ſtat cœlum. Si ſubvenire nuditati corporali adeò ſit gratum ſacrificium Deo, quæ tamen nuditas, reſpectu nuditatis animarum, non eſt umbra, quid erit, nudas illas animas veſtire, ſuperindui cupientes? quàm gratum ſacrificium præſtiteris tunc Deo? Si autem ad talia tibi conditio, aut pretium deſit, dic ad minùs: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* Amen, amen.

SERMO SEXTUS

DE CARCERE PURGATORII.

Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo. Act. 12.

Animæ captivæ, non niſi per ſatiſpaſſionem, aut viventium ſatiſfactionem liberandæ, expectant nos, ut adjuventur per nos. Adjuvantur autem orationibus S. Eccleſiæ, eleëmoſynis, & ſacrificio ſalutari. Illas à Deo lætificari in domo orationis, pœnam alleviando & abbreviando, oſtendit hic Sermo.

I. PEtrum in carcere dormire, non mirabar heri, quia, cum D. Chryſoſtomo loquor, in carcere quaſi in viridi prato verſabatur; ſed quòd animæ captivæ in carcere & lecto igneo dormiant in ſomno pacis, hoc magìs mirarer, niſi per ſomnum earum intelligeretur ſecuritas, & certitudo, quam quidem habent, quòd æternùm fruentur viſione beatificâ, ſed incertitudo, quando venturæ ſint ante faciem Dei, & dilata ſpes, adeò eas affligit, ut in pace amaritudo earum ſit amariſſima. Quis neſcit, quòd ſpes, quæ differtur, affligat animam? Quis

non dolet graviter, quando aufertur meſſis in die hæreditatis? quando præſtolatur lucem, & erumpunt tenebræ? Habent quidem animæ noſtræ captivæ ſpem certam ſuæ liberationis; certæ ſunt, quòd veniet dies, quâ viſuræ ſunt faciem Dei, ſed cùm non videant, & neſciant ortum ejus, hinc clamant continuò: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Sicque dilata liberatio eſt ipſis tortor ſæviſſimus; imò omne momentum continua mors eſt. *Amor, niſi ad deſiderata veniat, necat amantem.* Si anima, adhuc juncta corpori, torturam patiatur, ob dilationem rei ſperatæ, qualem pati putatis animas, à corpore ſolutas? Si commota fuerint viſcera Joſeph ſuper fratre ſuo Benjamin, adeò ipſi vicino, quia complectendi collum ejus libertas differebatur, quomodò putatis torqueri animas deſiderantes gloriam, adeò ipſis vicinam, dum Deum videndi, complectendi, & fruendi eis libertas differtur? Continuum Martyrium ſubeunt, donec impleatur deſiderium earum. Erat in Simeone Spiritus ſanctus, & tamen expectabat conſolationem Iſraël: ſi Spiritus ſanctus (qui conſolator eſt, & cujus vel una ſtilla plus inebriat & conſolatur, quàm totus mundus) erat in eo, & ſi ſecum omnis conſolationis fontem habebat, quomodò dicitur expectare conſolationem? quia ſperabat, anhelabat amplecti Chriſtum Dominum, carne velatum, & nondum dabatur videre: mori cupiens, quaſi mors ſola mitigare potuiſſet torturam expectationis, mori non poterat. Quantus, putatis, cruciatus eſt animarum, anhelantium videre faciem Dei revelatam? Crediderim, quòd, niſi Deus continuò mitteret Angelos ſuos ad hanc Gentem convulſam, & dilaceratam, qui conſolarentur eas, & confortarent, mallent mille flammas tolerare. NN. mei, cùm ſit in manu veſtra has nudas animas, non ſolùm conſolari, & confortare, ſed & *ſuperindui cupientes* veſtire ſtolâ immortalitatis, veſte gloriæ, *Citò proferte ſtolam primam. Exite citò, citò, citò*, & debiles ac claudas animas adducite ad menſam gloriæ. Si à me petatis modum eas eò adducendi, oſtendam: ſed ad hoc imploremus opem ejus, quæ, referente Bloſio Monit. Spir. C. 12. revelavit S. Birgittæ: *Omnes pœnæ, quæ debentur Purgandis pro peccatis ipſorum, per preces meas quâlibet horâ, aliquo modo mitigantur.* Dica mus ergò illi: *Ave Maria.* Bloſius.

II. Duos Apoſtolos miſerat Herodes in carcerem, morte plectendos; Jacobum, fratrem Joannis, & Petrum. Erat uterque arctè cuſtoditus, magis autem Petrus; quia *Vinctus catenis duabus, inter duos milites*, præter ſedecim alios *cuſtodes*, qui *ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Et tamen occiditur Jacobus: *Occidit autem Jacobum*: & liberatur Petrus. Undè hæc Petri liberatio? An fortè, quia *Miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit* eum *de manu Herodis*? benè. Sed, ſi ambo Apoſtoli, ambo Deo chari, ambo Eccleſiæ utiles, ambo pro fide Chriſtiana incarcerati, cur Jacobus de carcere tranſit ad mortem, & Petrus ab Angelo libertati reſtituitur? Sacer Textus aſſignat rationem: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione* Actorum. 12.

termiſſione ab Eccleſia pro eo. Obtinuit ille libertatem, quia Eccleſiæ precibus adjutus, inquit D. Chryſo-
S. Chryſoſt. ſtomus Hom. 79. ad Pop. *Vinctus erat Petrus, multiſque catenis circumdatus; oratio autem fiebat ab Eccleſia ad Deum pro eo, & ſtatim è carcere eum liberavit. Quid enim hâc oratione potentius?* NN. audîſtis his diebus, quomodò, ob contracta hîc debita, Deus in carcere Purgatorii captivas detineat innumeras animas, vinctas catenis duabus, velatos habentes oculos, privataſque viſione beatificâ. Oratio fit ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eis, à Deo excitata, ut omnes filios ſuos adhortetur, ut orent pro eis, & eas è carcere liberent. *Quid enim hâc oratione potentius?* Quòd orationibus aliiſque ſuffragiis juvari, & de carcere ſuo
S. Auguſtin. Serm. 44. ad fratres. liberari poſſint, confirmat M. P. Auguſtinus: *Orationibus S. Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleëmoſynis non eſt dubium mortuos adjuvari.* Hinc nos
Idem. ibidem alloquens ait: *Expectant nos, ut adjuventur per nos.* Primò autē orationibus noſtris, quod hodie oſtendo.

III. Videbar hodiè iterùm audire ingemiſcentes captivas animas, & ad cœlum expandentes manus ſuas, ut de carcere ſuo liberentur: erant omnia verba antè dicta à Pſalmiſta
Pſal. 87. Pſalm. 87. *Clamavi ad te, Domine, totâ die; expandi ad te manus meas. Numquid mortuis facies mirabilia? Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me?* Charæ Animæ, nihil vobis expectandum ab illa parte: non eſtis *in ſtatu orandi*; hoc eſt, faciendi orationes pro vobis, quia non eſtis *in ſtatu merendi.* Eſtis in ſtatu *ſatiſpatiendi,* non *ſatiſfaciendi*; undè non eſt, quòd ſperetis exitum de carcere veſtro, niſi Divinæ juſtitiæ propter debita veſtra ſit plenè ſatiſfactum. NN. ſciunt ſe extra ſtatum merendi, totâ die clamant & expandunt manus ſuas ad Deum, ut corda viventium moveat, & excitet ad compaſſionem, ut ſuffragiis ſuis debitum earum ſolvant, eaſque de carcere liberent: *Deus enim eſt, qui* Philip. 2. 13.
operatur in nobis velle, & perficere. Philip. 2. ideò totâ die ſupplicant: *Parce mihi, Domine:* Job 7. ita hæc Iob 7. 16.
verba intelligit Dionyſius Carth. ibi circa finem: *Anima in Purgatorii* Dionyſius Carth.
pœnis conſiſtens, poſtulat ſibi parci, ne quantum meruit puniatur, ſed, ſecundùm divinæ pietatis magnitudinem, ſibi de pœna aliquid remittatur per Eccleſiæ militantis ſuffragia: & ideò dicunt Deo: *Numquid mortuis facies mirabilia? Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* Quænam, obſecro, iſta mirabilia, quæ ſolet mortuis facere Divina clementia? Quòd viventes exiguis pœnitentiis Divinæ juſtitiæ ſatiſfacere poſſint pro multis & intolerabilibus pœnis, ab ipſis alioquin ſubeundis; quòd paucæ viventium eleëmoſynæ extinguant ardores exceſſivos, inextinguibilis earum incendii; quòd orationibus eorum ſolvantur animarum debita, & de carcere ſuo redeant in perpetuam libertatem; quòdque per incruentum Miſſæ ſacrificium Divinæ juſtitiæ plenè ſatisfiat, hæc ſunt, quæ Deus mortuis facit mirabilia. Non exigit Deus, ut ferreis pectinibus dilaniemus carnem noſtram, ut vivi comburamur, ut duriſſimis pœnitentiis emaceremur, diu noctuque

lacrymis ſuperfuſi oremus pro eis, innumera Deo offeramus ſacrificia, omnem ſubſtantiam in pauperes erogemus: non, non, non exigit Deus talia, ſed pauca ſufficiunt ſuffragia: quin imò: *Sancta & ſalubris*
2. Mach. 12. 46. *eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*; etiam ſubindè fervida cogitatio, ardens deſiderium poteſt ſufficere, ut animæ ſolvantur à catenis igneis, quibus ſunt vinctæ. Non videntur vobis hæc mirabilia, quæ Deus facit animabus per ſuffragia viventium? Bene ergò clamant totâ die, & expandunt manus ſuas: *Numquid mortuis facies mirabilia?* Et ut unuſquiſque fidelium magis miretur hæc mirabilia, ita acceptat Deus ſuffragia noſtra, dum debitè fiunt, ut & ſatiſfaciant *in rigore juſtitiæ*; quia rigor juſtitiæ non aliud exigit, niſi ut ſolutio correſpondeat debito: *Juſtitia in æqualitate conſiſtit*: & cùm tam recompenſetur honor Dei ſuffragiis viventiũ, quàm pœnis, quas animæ patiuntur, certum eſt, quòd, ſicut illæ ſatiſfaciunt ſatiſpatiendo, ita & nos ſuffragiis noſtris poſſimus pro illis *De toto rigore juſtitiæ* vel ſaltem æqualiter Deo ſatiſfacere. Quando Deus mutat pœnam æternam peccatoris in temporalem, unà determinat durationem pœnæ illius temporalis, quam deberet ſubire in Purgatorio, licèt in hac vita pœnitentiis voluntariis, & operibus virtuoſis illam poſſit plenè redimere; cùm enim à divina gratia, & Chriſto cooperatore noſtro in ſatisfaciendo ſuum habeant valorem, dubitari non poteſt, quin ſufficiant ad ſatisfaciendum Deo plenè, & in tantum, quantum anima patiens pati deberet in Purgatorio. Idē decrevit S. Synodus Tridentina de Pœnit. Seſſ. 14. Cap. 8. *Neque enim ita eſt noſtra ſatisfactio, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum. Nam qui ex nobis, tamquàm ex nobis nihil poſſumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus.* Conc. Trid. Si ergò quiſque poteſt propter acceptationem divinam quodammodò pro ſe in rigore juſtitiæ Deo ſatisfacere, poterit etiam quiſque à fortiori ſatisfacere pro aliis: quia, ut notat Doctor Angelicus 3. cont. Gent. Cap. 158. *Qui pro amico patitur, facit magis ſatisfactionem acceptam, quàm ſi pro ſe pateretur.* D. Thomas. Et addit rationem: *Hoc enim eſt promptæ charitatis, illud autem neceſſitatis.* Qui pro ſe ſatisfacit Deo, operatur ſecundùm exigentiam neceſſitatis, utpotè ob infinitos titulos obſtrictus, reddere Deo omnem poſſibilem ſatisfactionem; ſed qui pro aliis ſatisfacit, non operatur ex obligatione, ſed ex charitate, quâ accreſcit valor ſatisfactionis: *Quia pœna*, inquit Angelicus, *habet vim ſatisfaciendi, maximè ratione charitatis*; ſic factus Chriſti imitator, qui pro nobis ſatisfecit. Undè auguſtè M. P. Auguſtinus: *Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, ſacrificio ſalutari, & eleëmoſynis, quæ pro mortuorum ſpiritibus erogantur, non eſſe dubitandum mortuos adjuvari.* S. August. Notate: *Non eſſe dubitandum, mortuos adjuvari.* Numquid ergò meritò clamant captivæ noſtræ, & expandunt manus ad Deum, ut viventes excitet: *Numquid mortuis facies mirabilia?* Quàm promptum ſe Deus præbeat ad preces fidelium pro captivis noſtris, ſeque ad

hæc mirabilia obſtrinxerit, oſtendo manifeſtè.

IV. Zachariæ 13. Dividebat Deus coram Propheta ſuo omnes homines in tres partes; duæ, inquit, damnabuntur in inferno, & una ſalvabitur in Purgatorio: *Partes duæ* [Zachariæ 13. ℣. 8.] *diſpergentur, & deficient: & ducam tertiam partem per ignem*; *id eſt, per Purgatorium*, inquit D. Thomas Opuſc. 58. Cap. 25. in Pſal. 90. Ibi purificabuntur illi, ſicut aurum & [℣. 9.] argentum in igne: *Uram eos, ſicut uritur argentum, & ſicut probatur aurum*: & tamen concludit: *Ipſe invocabit me, & ego exaudiam eum*, hoc eſt, [D. Thomas.] interprete D. Thomâ: *Ipſe, id eſt, populus Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium; & ego exaudiam eum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Notate verba: *Populus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium*: & ſtatim ſubſequitur: *Et ego exaudiam.* Quando videt Deus Chriſtianum orantem pro anima captiva, ſubitò exaudit eum, *pœnam alleviando & abbreviando.* Ad hoc quaſi ſe obſtrinxit Deus Iſaiæ [Iſaiæ 56. 7.] 56. *Lætificabo eos in domo orationis.* Quis fornacem ignis ardentis, in quam, juſſu Nabuchodonoſoris, miſſi erant Sidrach, Miſach, & Abdenago, extinxit, niſi oratio? Oratio movit Deum, ut mitteret Angelum, qui deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem; & non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit, neque quidquam moleſtiæ intulit. *Populus Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium, & ego exaudiam illum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Non poſſet non miſereri miſericors & miſerator Dominus ad vocem orationis. Cur, obſecro, Deus Gen. 19. igne Sodomam & Gomorrham puniturus, dicit ad Loth, ut ſalvet ſe cum ſuis extra urbem? *Feſtina, & ſalva te* [Gen. 19. 22.] *ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Quid hoc eſt? *Non potero*? Quis Dei manus ligavit? Quare ergò non poterat? quia immediatè ante, obtentâ ſuâ & domûs ſuæ ſalvatione, oraverat Deum, ne deſtrueret civitatem Segor, & Deus exaudierat eum: *Etiam in hoc ſuſcepi* [℣. 21.] *preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es*: & ideò ſubjungit: *Feſtina, & ſalvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Abulenſis dat rationem: *Cauſa, quare nihil poterat facere, eſt, quia,* [Abulenſis.] *quando cæpiſſent Angeli ſulphur & ignem pluere ſuper civitates, Loth, ſi audiviſſet voces doloroſas pereuntium, converſus fuiſſet pietate ad clamorem eorum, oráſſetque pro ipſis.* Itane? Siſtite hîc tantiſper NN. Si orationes Loth, ſecundùm Abulenſem, tantæ fuiſſent efficaciæ, quòd Deum moviſſent pro tam impia & iniqua gente, quantò magìs movebit viſcera miſericordiæ Dei noſtri oratio populi Chriſtiani, orantis Deum pro animabus, adeò ei dilectis, ſanctis, & ſponſis ſuis? *Populus Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium, & ego exaudiam illum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Quòd oratio pœnam alleviet & abbreviet, hoc in ſe, & populo ſuo expertus eſt Rex pœnitentium.

V. 2. Reg. 24. Numeraverat

2. Reg 24 10. David populum ſuum; poſt factum,
*Percuſſit autem cor David eum, dixit-
que ad Dominum: Peccavi valdè in hoc
facto. Precor, Domine, ut transferas
iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi ni-
mis.* Deus, hinc offenſus, mittit ad
David Gad Prophetam: Vade, & lo-
12. quere ad David: *Trium tibi datur
optio, elige unum, quod volueris, ex his,
ut faciam tibi: aut ſeptem annis veniet
tibi fames in terra tua: aut tribus men-
ſibus fugies adverſarios tuos: aut tribus
diebus erit peſtilentia in terra tua.* Sciens
David, quòd meliùs eſſet incidere
in manus Dei, quàm in manus ho-
℣. 15. minum, elegit peſtem: *Immiſitque
Dominus peſtilentiam de manè uſque
ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt
ex populo ſeptuaginta millia virorum.*
Vix hora prandii erat, levans David
oculos ſuos, vidit Angelum Dei,
ſtantem inter cœlum & terram, non
ampliùs ferientem. Non ampliùs
ferientem? Ubi executio à Deo la-
tæ ſententiæ, *Uſque ad præfinitum
tempus? Tribus diebus erit peſtilentia in
terra tua.* Quomodò ergò ceſſat à
percutiendo? Cur plaga paucis dum-
taxat horis durat? Dixit Dominus
Angelo percutienti: *Sufficit; nunc
contine manum tuam.* Undè iſta mu-
tatio? Jacebat David pronus in ter-
℣. 17. ram, orans pro populo: *Ego ſum, qui
peccavi: ego iniquè egi: iſti, qui oves
ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro,
manus tua contra me.* Tantæ virtutis
erat oratio hæc, ut plaga, quæ tribus
diebus durare debebat, paucis ſo-
lummodò horis durârit. *Pœnam illo-
rum alleviando & abbreviando.* Populo
Chriſtiano pro animabus captivis
Deum invocante, ut avertat ab eis
plagam, non tribus diebus, decem,
viginti, centum, & ultrà, ſed
multis annis duraturam, exaudit
illum Dominus, *Pœnam illorum alle-
viando & abbreviando.* Teſtem hujus
aſſerti D. Gregorium adduco: Lib. S. Gregorius.
4. Dial. Cap. 55. ubi teſtatur, quòd
certa anima, celebratione triginta
Miſſarum, ab ipſo illi applicatarum,
fuerit de Purgatorii carcere libera-
ta: *Pœnam ejus alleviando & abbre-
viando.* Idem aſſerit Vincentius Vinc. Belluac.
Belluacenſis de anima Benedicti
ſummi Pontificis, paucorum die-
rum oratione, à S. Odilone factâ, de
Purgatorio ad cœleſtem patriam
tranſlata. Hæc confirmat Cæſarius Cæſarius.
Hyſterbacenſis, & alii, de impio
quodam & ſcelerato, in vitæ fine
converſo, & ad duo millia annorum
Purgatorii carceri condemnato; cui,
ob ſuffragia à fratre ſuo Epiſcopo
per duos annos Deo oblata, remiſit
Deus mille & octingentos annos
pœnarum, & totidem annis accele-
ravit Paradiſum. Et miramini ad-
huc NN. captivas noſtras ad Deum
clamare, & manus expandere: *Num-
quid mortuis facies mirabilia?* Non
poteſt Deus non exaudire: *Ipſe in-
vocabit me, & ego exaudiam eum.*

VI. Exod. 32. Iratus Deus po-
pulo ſuo ob adorationem vituli, ob
adeò horrendam idololatriam, de-
creverat punire eum: incipit Moy-
ſes rogare Deum, ut dimitteret po-
pulo iſtam noxam, & pœnam. Moy-
ſes, inquit Deus: Cerno, quòd po-
pulus iſte duræ cervicis ſit, undè
ne mihi vim inferas, ne me detine-
as, da mihi licentiam, ut effundam
in eum furorem meum: *Dimitte* Exod. 32. 10.
me, ut iraſcatur furor meus contra eos.
Mellifluus Bernardus Serm. de S.
Magda-

D. Bernard. Magdalena, hoc non capit: *Quid*, inquit, *feriendi licentiam quærit à Moyſe, qui Moyſen fecit?* Creator licentiam petet à creatura? Ne miremini NN. tantus amator animarum eſt Deus, ut, licèt juſtè nos puniat, dum ſe videt rogari à bona & pia anima, non ultrà punire valeat, quia oratio ligat manus ejus. Preces Moyſis, pro populo ſuo fuſæ, ita ligaverant manus Dei, ut quaſi videretur non poſſe punire populum; & ideò petit licentiam: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus.* Animæ noſtræ Purgantes ſub virga Dei ſunt, à divina manu ejus percuſſæ; hinc rogant totâ die: *Numquid mortuis facies mirabilia?* ut pœnam earum, à Deo juſtè inflictam, allevietis & abbrevietis ſuffragiis & orationibus veſtris; ſi ergò miſericordiæ viſcera in vobis ſint, orate pro eis, & cadet flagellum de manu Dei, & afflictas illas captivas conſolabimini, *pœnam illarum alleviando & abbreviando.* Sic Daniel fecit, liberaturus afflictiſſimum populum ſuum de ſervitute Babylonica, figura Purgatorii, in quo animæ captivæ tenentur, catenis vinctæ, & à patria exules. Vix Daniel aperuerat os ſuum, Deumque pro populi liberatione rogaverat, quin fuerit exauditus: *Adhuc me loquente in oratione,*
Dan 9. 23. *venit vir Gabriel, & locutus eſt mihi, dixitque: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo; ego autem veni, ut indicarem tibi..... ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio.* Quando oratur pro iſtis captivis animabus ſanctis, non ſolùm ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt, ſed menſes, anni & ſecula, ut finem accipiat peccatum, id eſt, pœna peccati; & impleatur viſio beatifica, quâ privatæ ſunt. *Populus Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium, & ego exaudiam illum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Ad hanc charitatem excitat vos Deus ipſe. Audite argumentum quod formo:

VII. Ezech. 22. de Jeroſolymitanis conqueritur Deus Prophetæ ſuo, exponens illi crimina peſſima: *Principes Iſraël ſinguli in brachio ſuo* Ezech. 22. 6. ℣. 7.
fuerunt in te, ad effundendum ſanguinem: patrem & matrem contumeliis affecerunt: advenam calumniati ſunt: pupillum & viduam contriſtati ſunt: ſanctuaria mea ſpreviſti: ſabbatha mea ℣. 8.
polluiſti: Operando nefanda, inquit Lyranus. *Viri detractores fuerunt in te ad* ℣. 9. 10. 11. 12
effundendum ſanguinem: ſcelus operati ſunt in medio tui: verecundiora patris diſcooperuerunt: unuſquiſque in uxorem proximi ſui operatus eſt abominationem: & ſocer nurum ſuam polluit nefariè: frater ſororem ſuam, filiam patris ſui, oppreſſit. Uſurarii publici habiti ſunt tamquàm benefactores: *Munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem: uſuram & abundantiam accepiſti,* meique obliti, Domini & Dei ſui: *Meique oblita es, ait Dominus* ℣. 13.
Deus. Et quid feciſti, Domine, hæc videns in populo tuo? Accepiſti gladium juſtitiæ tuæ ad caſtigandam Gentem adeò barbaram, perverſam, & impiam? Audite, & obſtupeſcite: *Quæſivi*, inquit, *de eis* ℣. 30.
virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſi-

parem eam. O Dei mirabilem miſericordiam! Jam formo argumentum: Si Deus tanta fecit pro gente impia, inimica, infidele & diabolica, non quæret à nobis fidelibus, qui interponeret ſe pro captivis Purgatorii animabus ſanctis, electis ſuis, ad extrema redactis? Potiori jure dicit Deus pro his, quàm pro illis: *Quæſivi virum, qui interponeret ſepem* (id eſt, precem
Lyranus. efficacem, inquit Lyranus) *& ſtaret oppoſitus contra me pro animabus Purgatorii, ad impediendum rigorem juſtitiæ meæ.* Si doluerit Dominus, quòd pro populo adeò perverſo non in-
ỷ. 31. venerit interceſſorem: *Quæſivi illum, & non inveni*; quàm debet eſſe ſenſibile Deo, quòd pro electis ſuis tam paucos inveniat in populo Chri-
S. Hieron. Rabanus. Ugo Card. ſtiano? S. Hieronymus, Rabanus & Ugo Card. opinantur, quòd verba Jeremiæ: *Quis dabit capiti meo*
Jeremiæ 9. *aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ meæ*: tam de Deo, quàm de Propheta ſint intelligenda: *Hoc autem tam ex Prophetæ, quàm ex Domini perſona intelligi poteſt.* Scio, ex Magno Auguſtino, hæc de Deo Metaphoricè tantùm intelligi (Deus enim non plorat) ad noſtrum tamen loquendi modum dolere & flere dicitur, ſicut aliquis ſuper mortuum dolet & affligitur, ut vel ſic nos ad compaſſionem ſuper mortuos excitet; ut verbum, *Quis dabit*, indicat: deſiderans, ut omnes Chriſti fideles fundant fontes lacrymarum, ut erga pauperes captivas animas miſeratione ducti, miſericordiam ejus in eorum refrigerium implorent. Si ita eſt, cur ſubjungit: *Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Plorat Deus defunctos Purgatorii, quia, cùm ſuffragiis noſtris reſuſcitare eos poſſimus ad vitam æternam, non eſt, qui reſuſcitet: *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem*, id eſt, orationem efficacem, *& ſtaret oppoſitus contra me pro terra, & non inveni.* NN. ſi vos non moveat miſer animarum captivarum ſtatus, ſaltem miſereamini earum pro amore Dei. Peto à vobis: Si quis veſtrûm, per impoſſibile, Deum videret in Purgatorio, & ipſe à vobis auxilium peteret, negaretis illi? non meretur, nec expecto reſponſum. Audite ſtupendum quid: quod animabus præſtatis, Deo præſtatis.

VIII. Exodi 3. Populo Iſraël ſub dura Pharaonis ſervitute ingemiſcente: *Apparuit Dominus Moyſi* Exod. 3. 2.
in flamma ignis de medio rubi. Quærit Rupertus in Cap. 3. Exodi: *Cur eo* Rupertus.
tempore Deus apparens homini potius in flamma ignis, quàm in qualibet alia ſpecie videri voluit? Quæſtioni à ſe motæ reſpondet: *Deus inviſibilis, quoties viſibiliter hominibus apparet, rebus ipſis congruam aſſumit ſpeciem, propter quas apparere dignatur.* Erat populus ejus inter ſpinas perſecutionum, & inter flammas furoris Pharaonis, unde volens Deus Moyſen animare, ut populum ſuum ex tam duro carcere liberaret, ideò *Apparuit ei Deus in flamma ignis*; oſtendens liberationem iſtam adeò ſibi gratam fore, ac ſi Deum ex iſta ſervitute liberaret: verba Dei, non mea ſunt: *Redemiſti tibi ex Ægypto Gen-* 2. Reg. 7.
tem, & Deum ejus. 2. Reg. 7. 23. Liberatio populi erat tam grata Deo, ac ſi Moyſes ipſum liberaſſet. NN.

mei,

mei, quid hæc captivitas ad captivitatem electorum Dei? Si illa liberatio Deo facta habeatur; quid dicendum de liberatione ex carcere Purgatorii? Dicat hoc pro me Dionyſ. Cart. de

D. Dionyſius Carth.

Agon. *Valdè gratum eſt Deo, ut animas electorum ſuorum à pœnis liberemus; hoc adeò acceptum eſt illi, quaſi ipſum Dominum ex captivitate redemiſſemus.* Hoc ſciet unuſquiſque noſtrûm in die judicii, quando

Matth. 25. 36.

dicturus eſt judex: *In carcere eram, & veniſtis ad me.* Quare non dicet: *In carcere erant, & veniſtis ad eos?* Ad hoc reſpondet D. Ambroſius

S. Ambroſius.

Lib. de Joſeph Cap. 5. *Seipſum tum ſuis in carcere incluſum memoravit, qui ait: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Auſim dicere, quòd vix poſſes majorem conſolationem dare Deo, quàm animas liberando. Audiſtis ſuprà, quomodò ad numeratum populum Davidi offenſus fuerit Deus, & ob pœni-

2. Reg. 24. 16.

tentiam ejus dicat Textus: *Miſertus eſt Dominus ſuper afflictione.* Notat Abulenſis Qu. 37. quòd in Hebræo,

Hebræus.

loco: *Miſertus eſt Dominus;* legatur: *Conſolatus eſt Dominus:* conſolatus dicitur, qui antè afflictus; afflictus autem erat populus, non Deus; cur ergò dicitur: *Conſolatus eſt Dominus?* Quia Deus majorem conſolationem percipit, dum populus ejus à debitis pœnis liberatur; quàm reus ipſe, qui liberatur: *Con-*

Abulenſis.

ſolatio, inquit, *in Hebræo refertur ad ipſum Deum; ſcilicet quòd ipſe conſolatus eſt in ſe.* Dum ergò ſuffragiis noſtris liberantur captivæ animæ, verè major ei conſolatio advenit, quàm ipſis liberatis: *Conſolatio refertur ad ipſum Deum, ſcilicet quòd ipſe conſolatus eſt in ſe. Conſolatus?* imò auſim dicere: *Magnificatus.*

IX. M. P. Auguſtinus, loquens de juſtificatione peccatoris, ait: *Hæc eſt magnificentia Dei: juſtificatio peccatoris.*

S. Auguſtinus.

Si magnificatus eſt Dominus in juſtificatione peccatoris, quantò magis magnificatus eſt in glorificatione captivarum animarum? Si gaudium eſt in cœlo

Lucæ 15. 10.

ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quantò majus eſt gaudium Beatorum, & quantò magis magnificandus eſt Deus in animarum liberatione? Audite Pſaltem Regium cantantem Pſalm. 125. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati:*

Pſalm. 125. 1.

per civitatem Sion intelligit, ſecundùm Auguſtinum, cœleſtem Jeruſalem: *Ipſa Jeruſalem æterna eſt Sion.*

S. Auguſtinus.

Sed quomodò dicit: *In convertendo Dominus captivitatem Sion?* Suntne ergò captivi in cœleſti Jeruſalem? Quis neſcit, quòd anima ibi liberetur *à ſervitute corruptionis, &* tranſeat in *libertatem gloriæ filiorum Dei?* Verum eſt; inquit Auguſtinus: *Non enim omnes illius civitatis cives captivi ſunt, ſed, qui inde peregrinantur, captivi ſunt.* Angeli, & Beati, non ſunt de numero captivorum illius feliciſſimæ patriæ, ſed electi, qui nondum defuncti, vel qui in Purgatorio purgantur; & de illis inquit David: *In Convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati;* quando Deus illas ſolvit è carcere, ſummum ipſis eſt gaudium & exultatio: *Conſolatio enim* (ut notat Auguſtinus) *non eſt, niſi*

Idem.

 miſe-

Verſ. 2. *miſerorum*; *non eſt*, *niſi gementium atque lugentium:* & ſubjungit: *Tunc repletum eſt gaudio cor noſtrum*, *& lingua noſtra exultatione*; quia, ſicut unaquæque earum lamentatur in Purgatorio: *Repleta eſt malis anima mea*; ita liberata, & beatificâ gaudens viſione, repleta eſt uſque ad *Non plus ultrà* omni lætitiâ & felicitate. Notate modò quid
Verſ. 3. ſubdat Propheta: *Tunc dicent omnes Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis*: & ipſæ idipſum confirmant: *Magnificavit Dominus facere nobiſcum*; quia in illa liberatione è carcere, & earum glorificatione, demonſtrat ſuam magnificentiam; quæ magnificentia reſplendet magìs, dum ſuffragiis noſtris animæ liberantur, & acceleratur earum ſalus. Quia, ſi turbæ Matth. 7. 8. videntes Paralyticum
Math. 7. 8. à Chriſto ſanari: *Tolle lectum tuum*, *& vade in domum tuam*; *glorificaverunt Deum*, *qui talem poteſtatem dedit hominibus*: quantò magìs magnificandus, & benedicendus eſt Deus, *Qui dedit poteſtatem talem hominibus*, ſuffragiis ſuis pœnam illarum alleviandi & abbreviandi, & ad patriam cœleſtem eas perducendi? Si, ob datam à Deo imbelli Judith fortitudinem truncandi caput Holofernis, & liberandi Bethulienſes ab inimica obſidione, ubique celebrata ſit divina magnifi-
Judith. 13. 31. centia: *In omni Gente*, *quæ audierit nomen tuum*, *magnificabitur ſuper te Deus Iſraël*: quantò magìs magnificandus eſt Deus, qui poteſtatem dedit hominibus, citò liberandi animas è carcere igneo ſuffragiis ſuis? Dum ergò N. N. ſuffragiis veſtris alleviatis & abbreviatis pœnas animarum, eaſque de carcere liberatis, & ad cœlum perducitis; *In omni Gente*, *quæ audierit nomen tuum*, *magnificabitur ſuper te Deus Iſraël*. Ergò Deum magnificatis, dum ſuffragiis veſtris captivas animas de carcere Purgatorii liberatis, & ad Dei aſpectum perducitis. Et, ut eum ad hoc rogetis, ipſe vos rogat.

X. Dicat mihi aliquis, cur Joannis 11. reſuſcitaturus defunctum Lazarum (qui captivas animas per omnia adumbrat, ut dictum eſt non ſemel) antequàm eum ad vitam revocaret, ſorores interroget: *Ubi poſuiſtis eum?* An neſciebat Joan. 11.
Dominus, ubi ſepeliverant eum? *Omnia nuda & aperta ſunt oculis Domini*. Sap. 10. ergò certum eſt, Sapientiæ 10.
quòd ſciverit, ubi ſepultum eſſet cadaver Lazari. Cùm ſciverit, cur ergò ſorores interrogat: *Ubi poſuiſtis eum?* Volebat Chriſtus mortuum Lazarum ad vitam revocare, ſed ad hoc rogari volebat, & ideò ſorores interrogat, ut rogarent eum; verba ſunt Theophilacti: *Interrogat*, *non* Theophilactus.
ut ignorans, *ſed vult exoratus facere*. Ut doceat omnes, quòd pro animabus liberandis rogari velit: *Populum Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium*, *& ego exaudiam illum*, *pœnam illorum alleviando & abbreviando*. Sacra Evangelia pervolvite, tres ſolummodò mortuos, à Chriſto ad vitam revocatos, invenietis. Filiam Archiſynagogi, Matth. 9. 25. Filium Matth. 9. 25.
viduæ Naïm, Lucæ 7. 14. & Lazarum, Joannis 11. 43. Cur, obſecro, non plures ſuſcitavit? Num Lucæ 7. 14. Joan. 11. 43.

forte

fortè mortui deerant? Si ergò plures fuerint, cur ſolummodò hos tres de morte ad vitam reſuſcitat? Ad hoc reſpondet cum Rabano Purpuratus Ugo in Cap. 9. Matth. *Quartum mortuum non ſuſcitavit, quia pro ejus ſuſcitatione, qui deprecarentur, vivi defuerunt.* N. N. mei, quid eſt, quòd non plures captivæ animæ de carcere Purgatorii liberentur, & ad vitam æternam perducantur? Quia pro earum ſuſcitatione, qui deprecentur, vivi deſunt: *Quartum mortuum non ſuſcitavit, quia pro ejus ſuſcitatione, qui deprecarentur, vivi defuerunt.* Quando videt Deus, & audit orationes fidelium in refrigerium animarum Purgantium, non poteſt non exaudire preces ſupplicantium, & captivas liberare. Quàm potens ſit oratio pro defunctis exorans, novit mulier Sunamitis, de qua

Ugo Card. Rabanus.

XI. 4. Reg. 4. 21. Mortuo filio ejus venit ad Eliſeum virum Dei, ſupplicans, ut pro poteſtate & gratia, quâ pollebat, apud Deum intercederet pro defuncto, & eum ad vitam revocaret. Quid ergò tunc illa? Accepit puerum, & poſuit eum in lecto, in quo dormiturus erat Propheta: *Aſcendit autem, & collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium.* Cur ſuper lectulum mortuum collocat? non in lectulo, ſed in feretro mortui collocantur: lectus locus ad quietem viventium eſt; cur ergò ibi mortuum filium collocat? Dixerat indubiè intra ſe hæc mulier ſapiens: Eliſeus intrans cubiculum, inveniensque in lectulo ſuo infantem meum mortuum, miſerebitur ejus, & orabit pro eo, & oratione indubiè vitam ei reſtituet. Ad has cogitationes alludit Lyranus: *Collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, ſperans quòd per ejus preces reſuſcitaretur*; ſciebat orationem pro defunctis ſemper exaudiri. Noverat hoc, ſi ullus, Doctor Gentium Act. 20. 10. Troade prædicante, protractoque ſermone uſque ad mediam noctem, quidam adoleſcens, nomine Eutychus, ſuper feneſtram, cùm mergeretur ſomno gravi, cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & mortuus eſt. Cùm ob mortem illam inter auditores turbatio orta eſſet non modica, ait ad illos Apoſtolus: Nolite turbari, non eſt mortuus adoleſcens: *Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.* Quid dicis Paule? Quomodò anima ipſius in ipſo eſt, ſi mortuus eſt adoleſcens? An ergò aliquis dici poteſt mortuus, ſic ut anima ejus non ſeparetur ab eo? Uno eodemque tempore mortuus eſt & vivus? Sciebat Paulus preces pro defunctis fuſas ſtatim exaudiri, & ideò ait: *Nolite turbari.* Verborum Apoſtoli interpres eſt D. Dionyſius Carthuſianus: *Dixit: Nolite turbari; jam enim certus fuit Apoſtolus ſe exaudiendum pro pueri ſuſcitatione.* Si tam potens eſt oratio N. N. ut corpora mortua certò per eam reviviſcant, quid non faciet illa pro liberandis animabus, & ad beatificam viſionem perducendis, ſignanter dum omnia habet requiſita, & pro illis funditur, qui, dum viverent, comparârunt, ut ſibi prodeſſe poſſet? Hanc veritatem nôrunt & confirmant Eccleſiæ Capita.

4. Reg. 4. 21. Lyranus. Act. 20. 10.

XII. O-

Verſ. 2. *miſerorum; non eſt, niſi gementium atque lugentium:* & ſubjungit: *Tunc repletum eſt gaudio cor noſtrum, & lingua noſtra exultatione*; quia, ſicut unaquæque earum lamentatur in Purgatorio: *Repleta eſt malis anima mea*; ita liberata, & beatificâ gaudens viſione, repleta eſt uſque ad *Non plus ultrà* omni lætitiâ & felicitate. Notate modò quid
Verſ. 3. ſubdat Propheta: *Tunc dicent omnes Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis*: & ipſæ idipſum confirmant: *Magnificavit Dominus facere nobiſcum*; quia in illa liberatione è carcere, & earum glorificatione, demonſtrat ſuam magnificentiam; quæ magnificentia reſplendet magìs, dum ſuffragiis noſtris animæ liberantur, & acceleratur earum ſalus. Quia, ſi turbæ
Matth. 7. 8. Matth. 7. 8. videntes Paralyticum à Chriſto ſanari: *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; glorificaverunt Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus*: quantò magìs magnificandus, & benedicendus eſt Deus, *Qui dedit poteſtatem talem hominibus*, ſuffragiis ſuis pœnam illarum alleviandi & abbreviandi, & ad patriam cœleſtem eas perducendi? Si, ob datam à Deo imbelli Judith fortitudinem truncandi caput Holofernis, & liberandi Bethulienſes ab inimica obſidione, ubique celebrata ſit divina magnifi-
Judith. 13. 31. centia: *In omni Gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſraël:* quantò magìs magnificandus eſt Deus, qui poteſtatem dedit hominibus, citò liberandi animas è carcere igneo ſuffragiis ſuis? Dum ergò N. N. ſuffragiis veſtris alleviatis & abbreviatis pœnas animarum, eaſque de carcere liberatis, & ad cœlum perducitis; *In omni Gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſraël.* Ergò Deum magnificatis, dum ſuffragiis veſtris captivas animas de carcere Purgatorii liberatis, & ad Dei aſpectum perducitis. Et, ut eum ad hoc rogetis, ipſe vos rogat.

X. Dicat mihi aliquis, cur Joannis 11. reſuſcitaturus defunctum Lazarum (qui captivas animas per omnia adumbrat, ut dictum eſt non ſemel) antequàm eum ad vitam revocaret, ſorores interroget: *Ubi poſuiſtis eum?* An neſciebat Joan. 11.
Dominus, ubi ſepeliverant eum? *Omnia nuda & aperta ſunt oculis Domini.* Sap. 10. ergò certum eſt, Sapientiæ 10.
quòd ſciverit, ubi ſepultum eſſet cadaver Lazari. Cùm ſciverit, cur ergò ſorores interrogat: *Ubi poſuiſtis eum?* Volebat Chriſtus mortuum Lazarum ad vitam revocare, ſed ad hoc rogari volebat, & ideò ſorores interrogat, ut rogarent eum; verba ſunt Theophilacti: *Interrogat, non* Theophilactus.
ut ignorans, ſed vult exoratus facere. Ut doceat omnes, quòd pro animabus liberandis rogari velit: *Populus Chriſtianus invocabit me pro parte ducta per Purgatorium, & ego exaudiam illum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Sacra Evangelia pervolvite, tres ſolummodò mortuos, à Chriſto ad vitam revocatos, invenietis. Filiam Archiſynagogi, Matth. 9. 25. Filium Matth. 9. 25.
viduæ Naïm, Lucæ 7. 14. & La- Lucæ 7. 14.
zarum, Joannis 11. 43. Cur, ob- Joan. 11. 43.
ſecro, non plures ſuſcitavit? Num

forte

forte mortui deerant? Si ergò plures fuerint, cur ſolummodò hos tres de morte ad vitam reſuſcitat? Ad hoc reſpondet cum Rabano Purpuratus Ugo in Cap. 9. Matth. *Quartum mortuum non ſuſcitavit, quia pro ejus ſuſcitatione, qui deprecarentur, vivi defuerunt.* N. N. mei, quid eſt, quòd non plures captivæ animæ de carcere Purgatorii liberentur, & ad vitam æternam perducantur? Quia pro earum ſuſcitatione, qui deprecentur, vivi deſunt: *Quartum mortuum non ſuſcitavit, quia pro ejus ſuſcitatione, qui deprecarentur, vivi defuerunt.* Quando videt Deus, & audit orationes fidelium in refrigerium animarum Purgantium, non poteſt non exaudire preces ſupplicantium, & captivas liberare. Quàm potens ſit oratio pro defunctis exorans, novit mulier Sunamitis, de qua

Ugo Card. Rabanus.

XI. 4. Reg. 4. 21. Mortuo filio ejus venit ad Eliſeum virum Dei, ſupplicans, ut pro poteſtate & gratia, quâ pollebat, apud Deum intercederet pro defuncto, & eum ad vitam revocaret. Quid ergò tunc illa? Accepit puerum, & poſuit eum in lecto, in quo dormiturus erat Propheta: *Aſcendit autem, & collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium.* Cur ſuper lectulum mortuum collocat? non in lectulo, ſed in feretro mortui collocantur: lectus locus ad quietem viventium eſt; cur ergò ibi mortuum filium collocat? Dixerat indubiè intra ſe hæc mulier ſapiens: Eliſeus intrans cubiculum, inveniensque in lectulo ſuo infantem meum mortuum, miſerebitur ejus, & orabit pro eo, & oratione indubiè vitam ei reſtituet. Ad has cogitationes alludit Lyranus: *Collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, ſperans quòd per ejus preces reſuſcitaretur*; ſciebat orationem pro defunctis ſemper exaudiri. Noverat hoc, ſi ullus, Doctor Gentium Act. 20. 10. Troade prædicante, protractoque ſermone uſque ad mediam noctem, quidam adoleſcens, nomine Eutychus, ſuper feneſtram, cùm mergeretur ſomno gravi, cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & mortuus eſt. Cùm ob mortem illam inter auditores turbatio orta eſſet non modica, ait ad illos Apoſtolus: Nolite turbari, non eſt mortuus adoleſcens: *Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.* Quid dicis Paule? Quomodò anima ipſius in ipſo eſt, ſi mortuus eſt adoleſcens? An ergò aliquis dici poteſt mortuus, ſic ut anima ejus non ſeparetur ab eo? Uno eodemque tempore mortuus eſt & vivus? Sciebat Paulus preces pro defunctis fuſas ſtatim exaudiri, & ideò ait: *Nolite turbari.* Verborum Apoſtoli interpres eſt D. Dionyſius Carthuſianus: *Dixit: Nolite turbari; jam enim certus fuit Apoſtolus ſe exaudiendum pro pueri ſuſcitatione.* Si tam potens eſt oratio N. N. ut corpora mortua certò per eam reviviſcant, quid non faciet illa pro liberandis animabus, & ad beatificam viſionem perducendis, ſignanter dum omnia habet requiſita, & pro illis funditur, qui, dum viverent, comparârunt, ut ſibi prodeſſe poſſet? Hanc veritatem nôrunt & confirmant Eccleſiæ Capita.

4. Reg. 4. 21. Lyranus. Act. 20. 10.

XII. O-

XII. Orandum eſſe pro mortuis, docuerunt Apoſtoli: Magnus P. Auguſtinus & S. Damaſcenus libros compoſuerunt, *De cura gerenda pro mortuis*. Quòd mortui orationibus noſtris juventur & liberentur, docet D. Dionyſ. Areop. Lib. de Mortuis, & D. Cyprianus Lib. 7. de Eccleſ. Hiſtor. Agunt de exequiis & precibus pro mortuis SS. Athanaſius & Chryſoſtomus in liturgiis, & doctrinam ſuam hauſerunt ab Apoſtolis. Do verba eorum: D. Damaſcenus Serm. de Suff. mort. ſic loquitur: *Myſteriorum conſcii diſcipuli Salvatoris, & ſacri Apoſtoli, in tremendis ac vivificis myſteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt*. S. Chryſoſtomus Hom. 69. ad Pop. *Ab Apoſtolis ſancitum fuit, ut in tremendis myſteriis mortuorum fieret commemoratio: ſciebant enim multam illis contingere utilitatem.* S. Clemens Papa contemporaneus Eccleſiæ Capiti, teſtatur de illo: *Quotidiana Petri prædicatio, inter cætera divina mandata, hæc erat: Mortuorum exequias diligenter peragite, pro iis orate.* Audite Jacobum Apoſtolum, fratrem Domini, in ſua Liturgia: *Ut patres ac fratres noſtri, qui obierunt, in pace requieſcant, Dominum oremus.* Audite S. Marcum Evangeliſtam, in ſua Liturgia: *Animabus patrum ac fratrum noſtrorum, qui anteà in fide Chriſti obdormierunt, dona requiem Domine Deus noſter.* Orârunt SS. Apoſtoli pro his captivis, & ordinârunt nobis, ut pro illis oraremus, ſecuri de earum liberatione ſuffragiis noſtris obtinenda; undè conſtanter aſſero cum D. Irenæo Lib. 3. Cap. 4. *Si neque Apoſtoli quidem ſcripturam reliquiſſent nobis, nonne oportebat ſequi ordinem traditionis, quam tradiderunt eis, quibus committebant Eccleſias?* Quid de Apoſtolis dico? Deus ipſe inſpirat fidelibus ſuis, & quaſi rogat eos, ut pro miſeris captivis orent, & eas liberent.

S. Auguſtinus. S. Damaſcen. D. Dionyſius Areop. D. Cyprianus. S. Athanaſius. S. Chryſoſtomus. S. Damaſcenus. S. Chryſoſtomus. S. Clemens Papa. S. Jacobus Apoſt. S. Marcus Evang. S. Irenæus.

XIII. 2. Reg. 14. Abſalom, ob occiſum Ammonem fratrem ſuum propter Thamaris inceſtum, fuerat tribus annis profugus in terra Geſſur. Intelligens Joab, quòd cor Regis verſum eſſet ad Abſalom, miſit mulierem Thecuitem, indutam veſte lugubri, ut Regem adiret, quaſi lugens mortuum (poſuerat enim Joab omnia verba in ore ejus) & pro Abſalone intercederet; quæ ita peroravit, ut tandem placatus fuerit Rex, & Abſalom viderit faciem Regis, quâ tribus annis fuerat privatus. Per Thecuitem, Eccleſiam; per Joab, qui interpretatur *Habens patrem*, ſive *A patre*, Spiritum ſanctum, *qui à Patre Filioque procedit*, intelligo: hic inſpirat Eccleſiæ, ponitque verba in ore ejus, ut pro captivis animabus, divinâ facie privatis, intercedat. Videmus Eccleſiam in die animarum & per Octavam indutam veſte lugubri: ſcimus eam ordinare, ut in refrigerium animarũ per annum legantur Miſſæ de *Requiem*: ut in omnibus quibuſcumq; Miſſis pro illis oretur: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*: ut omnibus Feriis ſecundis habeatur commemoratio earum:

2. Reg 14. Eccleſia.

rum: ut in Religioſis Ordinibus in Adventu,& Quadrageſima, multiſque aliis diebus legatur *Officium Defunctorum*: ut omnes horæ canonicæ concludantur cum: *Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Inſuper inſtituit Confraternitates, ut citò liberentur; Communiones menſtruas cum Indulgentiis plenariis: excitat Spiritus ſanctus corda fidelium ad preces quotidianas: inſpirat fundationes Sacrorum, Anniverſariorum &c. Si ullus umquam Dei miſericordem agendi modum cum animabus noverit, eſt M.P. Auguſtinus. Poſt obitum matris ſuæ rogat Deum: *Inſpira, Domine Deus meus, inſpira ſervis tuis, fratribus meis, filiis tuis, ut meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ*: quaſi diceret: Quod pro aliis animabus facis, fac pro matre mea. S. Auguſtinus.

XIV. Quis inſpiravit Apoſtolis, quis illos docuit inſtituere ſacrificia, orationes, cæteraque ſuffragia in ſolatium animarum, in pœnarum alleviationem & abbreviationem? S. Athanaſius apud Ugonem Etherinum de Reform. Animi. Cap.15. dicit: *Talia conſtituerunt Apoſtoli, docti à Spiritu ſancto.* Spiritus ſanctus, tamquàm magiſter eorum, docuit illos hæc opera ſancta. Matth.26.9. Accumbente Jeſu in domo Simonis Leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Diſcipuli, indè indignati, dicebant: *Ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud venumdari multò, & dari pauperibus.* Audite Chriſti oppoſitum reſponſum: *Mittens.... hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Mira Magdalenæ inventio: Quis illam docuit ungere corpus Chriſti viventis illo ipſo unguento, quo unguntur corpora mortua? Quis umquam unxit adhuc vivum oleo, mortuis deſtinato? Quis docuit illam in medio convivarum mortis inſignia adferre, ubi omnia ordinantur ad vitam conſervandam? Ergò Magdalena ungit Chriſtum viventem in menſa, quaſi in ſepulchro mortuum! mirabilia ſunt iſta. Scitis à quo didicerit? à Spiritu ſancto, inquit Lyranus: *Credendum eſt, quòd hæc mulier hoc fecit, edocta à Spiritu ſancto.* Jam intelligo, quod dicit Pſalmiſta Pſalm.55. 13. *In me ſunt, Deus, vota tua.* In quæ verba Lucas Tudenſis habet hæc: *In te habes, ô homo, vota Dei; in te geris deſideria Dei, quibus reddas laudationes illi; in te habes theſaurum repropitiationis amici tui, quem petit à te ſibi dari Dei Patris Sapientia.* Ergò cum Eccleſiaſtico vos alloquor. S. Athanaſius. Matth.26.9. Verſ.10. Lyranus. Pſalm.55.13. Lucas Tudenſis.

XV. Eccleſ.7. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Quam gratiam poſſunt à nobis captivæ noſtræ expectare? niſi (uti exponunt Ugo Card. Dionyſius Carthuſianus, & omnes communiter) ut illis exhibeamus opera miſericordiæ, corporibus dantes ſepulturam, & orationibus noſtris, cæteriſq; ſuffragiis ſubſidium animabus: *Mortuo non prohibeas gratiam*, inquit Carthuſianus, *id eſt, opera miſericordiæ; corpora ſepeliendo; & animabus per orationes, eleemoſynas, & oblatio-* Eccli.7.37. Dionyſ. Carth. Ugo Card.

nes ſubveniendo. Quantò eſt anima corpore dignior, tantò magis præ corpore diligenda eſt; tantò magis erga eam miſericordes oportet nos eſſe, ſuffragiis noſtris illi ſubveniendo, potiùs quàm corpus cum pompa ſepeliendo. Si autem miſer captivarum animarum ſtatus vos ad orandum non moveat, ſaltem vos Deus moveat, qui orationibus pro illis fuſis ita delectatur, ut etiam concentui Angelico illas videatur præferre. Fortè videor paradoxum dicere: ſed probo, quod dico.

XVI. Quæro: Quid eſt, quòd Deus, ſupremus Monarcha, in ſe feliciſſimus, non tantùm non dignetur inclinare divinas aures ſuas in preces humilis vermiculi, hominis mortalis, ſed & ipſum roget, ut *In voce exultationis* eum lætificet? Cant. 2. 14. ſic loquitur: *Fac me audire vocem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Num deſunt Deo concentus Angelici, muſica & melodia cœleſtis? Numquid millenos habet cytharizantes in cytharis ſuis? Cur ergò adeò humiliat ſe, ut audire deſideret vocem diſſonantem mortalis creaturæ? vox illa indubiè aures ejus offendet: non, non, non. Licèt ſuavis ſit cœleſtium muſicarum concentus, adeò tamen grata eſt Deo vox orantis animæ, ſignanter ex tantæ charitatis motivo procedens, ut ſubindè cœleſtibus muſicis, ſilentium imponat, ut magis delectetur voce orantium. Ne, ut dixi, videar paradoxum proferre, Apoc. 8. 1. narrat Joannes caſum mirabilem: *Factum eſt*, inquit, *ſilentium in cœlo, quaſi mediâ horâ.*

Cant. 2. 14.

Apoc. 8. 1.

Spatio mediæ horæ fecerunt pauſam in cantu ſuo ſpiritus Angelici. Res ſanè mira, quòd Angeli, qui in ſempiterno manent cantu, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ſilentium ſervent, & à cantu ceſſent; quid eos impedit? quæ hujus ſilentii ratio? Audite quid ſubſequatur: *Alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum:* Ut preces illæ oblatæ ſunt, *Factum eſt ſilentium in cœlo:* ſignanter dum pro animabus captivis preces offeruntur, vi quarum augetur numerus Beatorum, & ipſæ fruuntur viſione beatificâ. N. N. Eccleſiaſtici, Seculares, quicumque eſtis, ne ceſſetis ab oratione pro animabus, quia verba ſunt Spiritùs ſancti: Verſ. 3.

XVII. 2. Mach. 12. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. Sancta* in ſe, *ſalubris* animabus: *ſancta*, quia opus charitatis, *ſalubris*, quia ſatisfactio Divinæ juſtitiæ: *ſancta*, quia placita Deo, *ſalubris*, quia placans Deum: *ſancta*, quia ſanctos vos facit per augmentum gratiarum, *ſalubris*, quia illas ad faciem Dei perducit. Si ergò firmiter credatis, quòd ſuffragia veſtra animabus proſint, & illæ iiſdem ſummè indigeant, cur non magis illis compatimini? Erat tempore Apoſtolorum tanta inter credentes charitas, quaſi inter illos fuiſſet ſolummodò cor unum, & anima una; unuſquiſque ſentiebat in perſona propria neceſſitatem alienam: *Multitudinis credentium* 2. Mach. 12. 46 Act. 4. 32.

tium erat cor unum & anima una; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. O felices incarceratæ animæ! O ſi illas ita amaremus, ut, ad imitationem iſtorum credentium, inter illas & nos tantùm foret *Cor unum, & anima una*! O felices animæ! ſi inter nos regnaret non proprium intereſſe, ſed charitas fraterna, & de noſtris temporibus verificaretur: *Nec quiſquam noſtrûm eorum, quæ poſſidet, aliquid ſuum eſſe dicebat!* O felices animæ! ſi cum illis faceremus *Omnia communia*, & compateremur eis, ſentiendo pœnas illarum, ſicut ſentimus proprias! Sed, loquor cum Mellifluo Bernardo Epiſt. ad Guilielmum Abbatem: *Ubi nunc eſt illud unanimitatis exercitium? Jam religionis antiquæ, non ſolùm virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus.* Ubi inter nos & captivas animas iſtud reciprocum exercitium pietatis? Illæ perfectiſſimè nos amant, & mala noſtra auferre ardenter deſiderant: quia confirmatio in gratia reddit illas non minùs perfectas in Purgatorio, quàm futuræ ſint in cœlo. Sed in quo oſtendimus nos illas amare? Si certiſſimè credamus pœnas illarum eſſe incredibiles, eaſque ardere *In ſpiritu ardoris*, &, quod maximum, privatas viſione beatificâ, & tamen ſuffragiis noſtris non ſubminiſtremus vel minimum refrigerium, *Ubi*, inquam, *eſt illud unanimitatis exercitium? Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Utinam non verificetur in nobis: *Jam religionis antiquæ non ſolùm virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus!* quia non ſolùm non eſt in nobis perfectio charitatis primorum fidelium, ſed ne veſtigium quidem. Si ergò velitis dici, & eſſe veri Chriſtiani, ad minùs dicite, ut ſanctæ animæ captivæ *Æterna Requieſcant in pace.*

S. Bernardus.

SERMO SEPTIMUS

DE CARCERE PURGATORII.

Angelus Domini aſtitit illi. Act. 12.

Angeli deſcendentes de cœlo ad carcerem Purgatorii, incarceratas ibi animas conſolantur; nunciantes, quòd oratio fiat ad Deum ab Eccleſia pro eis; quòdque Communitas N. reſolverit, ſuffragiis ſuis debita earum ſolvere; & à Deo pro eis poſtulare requiem, & lucem: etiam ad dicta ſuffragia inſpirant, & excitant viventes.

I. NOn eſt, quòd aliquis me ultrà interroget, quomodò de igneo carcere captivas animas valeat liberare; quia M. P. Auguſtinus ſatis hoc herì expreſſit: *Orationibus S. Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleëmoſynis, non eſt dubitandum mortuos adjuvari.* Undè, cùm ipſæ non ſint in ſtatu orandi, nec in ſtatu merendi, nec ſatisfaciendi, ſed ſatiſpatiendi, *Expectant nos, ut adjuventur per nos*: ſecuræ, quòd Deus promptum ſe præbeat in earum redemptionem ad preces fidelium: Deo ipſo id teſtante: *Ipſe invocabit me, & ego exaudiam eum. Ipſe, id eſt, populus Chriſtianus* (iterum cum D. Thoma loquor) *invocabit me pro parte ducta per Purgatorium, & ego exaudiam eum, pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Et: *Lætificabo eos in domo orationis.* Hoc in ſe, & populo ſuo expertus eſt Rex pœnitens, qui ob numeratum populum immiſſam peſtilentiam, tribus diebus duraturam, ſuſtinens, illam ab eo orans avertit; ſic ut plaga, quæ tribus diebus durare debebat, paucis duntaxat horis durârit: *Pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Populum Chriſtianum pro animabus captivis Deum invocantem, ut avertat ab eis plagam, non ſolùm tribus, decem, viginti, centum & ultrà diebus, ſed annis pluribus duraturam, exaudit illum Deus: *Pœnam illorum alleviando & abbreviando.* Si, orante Daniele pro populi liberatione, ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſiût ſuper populum prævaricantem, & conſummata fuerit prævaricatio, & finem acceperit peccatum, & deleta ſit iniquitas, & adducta juſtitia ſempiterna; quidni, dum pro animabus ſanctis oratur, non ſolùm ſeptuaginta hebdomades, ſed menſes, & anni, & ſecula, abbreviabuntur, ut finem accipiat pœna peccati, & impleatur viſio beatifica? Si Deus pro populo impio, inimico, infidele, fermè dixero diabolico, quæſiverit virum, qui ſtaret oppoſitus contra eum, ne diſſiparet illum, non

S. Auguſtinus. Iſaiæ 56. D. Thomas.

non quæret fideles, qui interponant ſe pro captivis animabus ſanctis, & electis ſuis? Quomodò ergò querelosus diceret Deus: *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem*, id eſt, orationem efficacem, *& ſtaret oppoſitum contra me, & non inveni?* Si populi liberationem de ſervitute diaboli, ſuam reputet, uti teſtatus
2. Reg. 7. eſt 2. Reg. 7. *Redemiſti tibi ex Ægypto Gentem, & Deum ejus:* cur non
Dion. Carth. dicam cum D. Dionyſ. Carth. quòd adeò gratum ſit Deo, ut animas electorùm ſuorum de pœnis liberemus, quaſi ipſum Dominum ex captivitate redemiſſemus, cùm ipſe de ſe aſſerat: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis?* Et *in carcere eram, & viſitâſtis me.* Cùm non ſolùm ſeipſum cum ſuis in carcere memoret, ſed in earum liberatione & glorificatione magnificentiam ſuam demonſtret: Qui *dedit poteſtatē talem hominibus.* Imò cùm roget nos, ut eum ad hoc rogemus; & fidelibus ſuis inſpiret, ut pro his miſeris captivis orent, eaſque liberent? Quis eſt, qui Eccleſiæ, veræ Thecuitæ, inſpirat, eique verba in ore ponit, ut induta veſte lugubri, Regem Regum adeat, quaſi lugens defunctas & incarceratas animas, & pro illis intercedat, ut videant faciem Dei? quis, inquam, ille, niſi verus Joab, qui interpretatur *A patre*: id eſt, Spiritus ſanctus, *Qui à Patre Filioque procedit?* Quis Magdalenam docuit ungere Corpus Chriſti viventis illo ipſo unguento, quo unguntur corpora mortua? Ad hoc iterùm reſpondeat Ly-
Lyranus. ranus: *Credendum eſt, quòd hæc mulier hoc fecit edocta à Spiritu ſancto:* ſic ut omnes, quotquot hîc ſumus, eum Davide dicere poſſimus: *In me* Pſalm. 53.
ſunt, Deus, vota tua: Quæ cùm ita ſint, N. *Mortuo non prohibeas gra-* Eccli 7.
tiam, & rem magnam prætteriris Deo, & Angelis ejus. Dum Angelos nomino, hodie loquar de Angelis captivarum noſtrarum: priùs tamen Angelorum Reginam cum Angelo ſalutabo. *Ave Maria.*

II. Deus Eccleſiæ precibus motus (*Oratio enim fiebat ab Eccleſia ad* Actor. 12.
Deum pro eo) miſertuſque Vicarii ſui, in carcere Herodis catenis duabus vinctì, mittit ad eum Angelum, qui conſoletur eum, vincula ejus ſolvat, & de carcere educat. NN. Videbar iterùm hodie in ſpiritu ad portas Purgatorii ſtare, ſed, Deus bone! quantam videbam mutationem in captivis illis, quæ hucuſque in carcere ſuo igneo ingemuerant illud triſte: *Miſeremini mei*: quæ deſideraverant ad faciem Dei, ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum: quæ diu noctuque lacrymas fuderant, ob exprobrationem à remordente conſcientia ipſis factam: *Ubi* Pſalm. 41.
eſt Deus tuus? cujus modò facie privantur ob venialia, vel pœnitentiam neglectam: quæ deſiderio deſideraverant: *Quando veniam, & apparebo?* quæ raucas habebant voces præ continuo ad Deum clamore: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut* Pſalm. 87.
Medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam? . . . . juſtitia tua in terra oblivionis: triſtes illas & patientes animas reperiebam conſolatione & exultatione plenas: curioſitate ductus, inquirebam: Undè illis tanta mutatio & exultatio? Videbar videre (fiebat enim,

ut dixi, in ſpiritu) illum ipſum Angelum, de quo Judicum 2. *Aſcendit Angelus de Galgala ad locum flentium.* Galgala interpretatur *Revelatio*; ſcilicet in cœlo, ubi (ut ait S. Bernardinus Senenſis) omnibus Sanctis Dominus revelatur. Do verba ejus de Purg. Serm. 6. Art. 2. Cap. 2. *Galgala Revelatio ejus interpretatur, & ſignificat gloriam Paradiſi, ubi omnibus Beatis Dominus per gloriam revelatur; indè Angeli ſancti aſcendunt ad locum flentium, id eſt, ad Purgatorium, ut conſolentur eos, qui ibi ſunt.* Angelus ille nuntiabat eis, quòd oratio fieret ab Eccleſia ad Deum pro eis: quòd civitas N. reſolviſſet ſuffragiis ſuis illas juvare, pœnas alleviando & abbreviando, & debita ſolvendo. Videbar ob lætum hoc nuntium innumeras animas audire: *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei. Tranſibo, tranſibo uſque ad domum Dei.* Piæ & ſanctæ Animæ, quam certitudinem dabat vobis Angelus iſte? *In voce exultationis*: in voce orationis: quòd oratio fiat ab Eccleſia ad Deum pro nobis, per quam ſolventur vincula noſtra: quòd pro nobis poſtulent requiem, & lucem. NN. Oſtendo hodie, quomodò Angeli captivas noſtras conſolentur, nunciantes eis ſuffragia noſtra; & quomodò ad illa nos quotidiè excitent. Dum vobis hoc propono, rogo, ne fraudetis eas ſuffragiis, nec me debitâ attentione. Incipio.

Judicum 2. | S. Bernardin. Senenſis. | Pſalm. 41.

III. Quomodò, obſecro, Spiritus ſanctus ſic loquitur de illo Angelo, qui de Galgala venit ad locum flentium? *Aſcendit Angelus de Galgala.* Quomodò *Aſcendit*? Deberet dicere: *Deſcendit*; quia locus flentium non eſt ſuperiùs, ſed inferiùs; ergò *deſcendit.* Non, non, *Aſcendit.* Ad animas deſcendere, illas conſolari, eiſque nuntiare, quòd Chriſti-fideles in ſolutionem debitorum earum preces fundant, eleëmoſynas dent, ſacrificia Deo offerant, quando à Deo illam commiſſionem habent, de qua Iſaiæ Cap. 18. *Ite Angeli veloces ad Gentem convulſam, & dilaceratam,* ad Gentem expectantem aliquam conſolationem; hoc illis aſcendere eſt: *Aſcendit Angelus; Quia,* inquit Ugo Card. *Angelorum eſt ſemper aſcendere.* Angeli non deſcendunt, ſed aſcendunt ſemper. Si Jacob Gen. 28. *Vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes*: ſi Chriſtus dicat: *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*: quomodò ergò *Angelorum eſt ſemper aſcendere* Solvit nodum Mellifluus Doctor Serm. 11. in Pſal. 90. *Aſcenſio & deſcenſio, via Angelorum; ſed aſcenſio propter ſe, deſcenſio propter nos.* Quia tunc tantò magìs aſcendunt, quantò, ad adjuvandum nos, deſcendunt profundiùs. Dum quis noſtrûm viſitat incarceratos, ſignanter in profundo & ſubterraneo carcere detentos, quantùm ad corpus, deſcendit, ſed quantùm ad gloriam bonæ opinionis & æſtimationis, aſcendit; quia tunc illam acquirit majorem. Angelus bonus, augendo gloriam accidentalem, contrarius eſt ſpiritui maligno, cujus *Superbia aſcendit ſemper*; & ideò profundiùs deſcendit ad pœnas, & tormenta accidentaliter graviora: *Semper extollitur*, inquit idem Mellifluus Serm. 12. ibidem, *ſed*

Judicum 2, 1. | Iſaiæ 18. 2. | Ugo Card. | Gen. 28. 12. | Ioan. 1. 15. | S. Bern. | Idem.

ſed ſemper dejicitur: ſuperbia ejus aſcendit ſemper, & ideò ſemper humiliatur. Sed Angelus bonus, lubentiſſimè, & velociſſimè deſcendit in profundum; & ideò aſcendit ſemper: *Aſcenſio & deſcenſio, via Angelorum; ſed aſcenſio propter ſe, deſcenſio propter nos.* Et ideò quando deſcendit in Purgatorium, ut afflictas & captivas animas conſoletur, tunc aſcendere dicitur: *Aſcendit Angelus ad locum flentium, id eſt, ad Purgatorium;* quia viſitando, & conſolando afflictas, humilians ſe, ad majorem gloriam aſcendit. *Angeli orant,* & nos orare faciunt pro animabus Purgatorii, *Propter futuram jucunditatem,* inquit S. Bernardinus Serm. 63. Tract. de Purg. *ut eorum gloria augeatur.*

S. Bernardin. Senenſ.

IV. Quæro, quænam prima fuerit legatio Angelica de cœlo facta? Ad miſeram, afflictam, & derelictam Agar, ancillam Abrahæ Gen. 16. in deſerto Sur (quod *Anguſtia* interpretatur) viſitandam, & honorandam, fugientem de domo Abrahæ. Cùm inveniſſet eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in ſolitudine, quæ eſt in via Sur, in deſerto, dixit ad illam: *Agar ancilla Sarai undè venis, & quò vadis? Revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius,* factis ei promiſſionibus non modicis. Legite, inquit Abul. in hunc locum, totam ſacram Scripturam, non invenietis anteà umquàm deſcendiſſe Angelos de cœlo. Quidam modernus apud Salmeron miratur factum. Quid, inquit, primus Angelus, & vice primâ, unus ex nobiliſſimis ſpiritibus, & cœli Principibus ad Agar vilem ancillam mittitur? Dicerem ego tam excellentem legatum, qualis eſt Angelus, debito honore mittendum potiùs ad Imperatorem, Regem, aut ad primæ claſſis Principem, aut ad regnum integrum, cum debita comitiva, & ob ſummi momenti negotia: ſed ad Agar, ad ancillam humilem & abjectam, quis hoc non miretur? Reſpondet Author ille: *Equidem nulla poterat eſſe Angelo glorioſior legatio, quàm illa, quâ ad miſeram ancillam conſolandam mittebatur.* Agar hæc, tendens ad patriam, errans per deſertum anguſtiæ, repreſentat animam Purgatorii, quæ, relictâ vitæ hujus habitatione, carnis exuviis exuta, in via eſt ad patriam cœleſtem, pertranſiens deſertum ſterile, ſed anguſtiis fœcundum, ſcilicet Purgatorium, errans per deſertum, dies, menſes, & annos. Ad Agar ergò mittitur primus Angelus, ut ſciamus, quòd *Nulla poterat eſſe Angelo glorioſior legatio, quàm illa, quâ ad miſeram ancillam conſolandam mittebatur.* Ubi agitur de afflictis conſolandis, de lacrymis abſtergendis, de liberandis captivis animabus errantibus in deſerto Purgatorii, & reducendis ad domum paternam, ad cœlum & gloriam, libentiſſimè deſcendunt; & ſic deſcendere, ipſis aſcendere eſt: non dedignantur loca ſubterranea, modò afflictas animas valeant confortare. Quanta inde afflictiſſimis animabus illis ſit conſolatio, teſtetur hoc afflictiſſima anima, quam umquam mundus vidit.

Gen. 16. 8.

Salmeron.

V. Matt. 26. Orans Chriſtus in horto, Paſſioni ſuæ initium daturus: *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe:* dormientes ſuos Apoſtolos increpans Matt. 26. 37.

ſemel

Lucæ 22. 44 ſemel, & bis *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.* Vivaciſſima tormentorum apprehenſio exanimabat eum, & ecce, ipſo, quo dolebat & triſtabatur, momento, totus adhuc ex Sanguineo ſudore rubicundus, venit ad
Matt. 26. 48. diſcipulos, dicens: *ſurgite, eamus: ecce appropinquat, qui me tradet.* Surgite, jam hora eſt Paſſionis meæ, ſequamini me, obviàm vado ad mortem quærentibus me. Jamjam adeò afflictus eras, Bone Jeſu, ut triſtis fuerit anima tua uſque ad mortem, & modò tam lætus? Undè tam ſubitanea mutatio? Landulphus de Vita
Lucæ 22. 43. Chriſti dat rationem: *Apparuit ei*
Landulphus. *Angelus, confortans eum.* Quo, putatis, argumento uſus eſt? *Confortans eum; aliqua verba conſolatoria dicendo.* Quæ, obſecro, verba adeò conſolatoria, ut illicò de ſumma triſtitia ad extremum gaudii devenerit: *Surgite, eamus?* Hæc verba conſolatoria ſoli linquo Salvatori. Quod unicâ dumtaxat vice Salvatori noſtro contigit, contingit centies in die animabus Purgantibus ab Angelis, qui non dedignantur aſcendere de Galgala ad locum flentium. confortantes eas, *Aliqua verba conſolatoria dicendo*; modò vicinam liberationem repræſentantes, modò preces, quæ funduntur pro eis; modò efficaciora auxilia promittentes. Si magna putetur conſolatio illi animæ facta, de
Thomas à Kemp. qua Thomas à Kempis, cui nunciaverat Angelus, quòd ipſo momento natus eſſet infans, qui, poſt viginti quinque annos Sacerdos factus, celebraret Sacrum, quo mediante liberaretur è carcere; qualem putatis eis conſolationem eſſe, dum Angeli confortant eas, nunciantes, poſt viginti quinque, viginti, decem, tres dies, cras, imò hodie eas fore liberandas *In voce exultationis?* Numquid tunc Pſal. 41
dicere poſſunt: *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei?* Vidiſtis non ſemel hunc carcerem depingi; numquid notâſtis Angelos extrahentes animas, & ad gloriam æternam eas deportantes? Audite ex Pſalmiſta, quomodò illis Angeli aſſiſtant: inducit animas loquentes Pſalm. 14. *Educ de cuſtodia, Deus,* Pſalm. 14.
animam meam: me expectant juſti: S. Bonaventura Seraphicè hæc verba exponit de captivis noſtris: *Educ de carcere Purgatorii, Deus,* S. Bonaventura.
animam meam; quia *Me expectant juſti, donec retribuas mihi.* Mellifluus legit: *Me expectant Angeli.* S. Bernardus.
Angeli cuſtodes earum expectant. Genebrardus legit: *Circumvolitant* Genebrard.
Angeli; tamquàm columbæ, circumvolitant arcam, in qua non *Octo animæ*, ſed quaſi infinitæ clauſæ ſunt; nunciantes eis, quòd jam ceſſet diluvium pœnarum; afferentes ramum olivæ, quòd æterna requieſcent in pace. Ipſi ſunt, qui preces viventium pro eis offerunt Deo, ut de carcere liberentur. Hinc hortatur nos

VI. Ad Philipp. 4. Doctor Gentium: *In omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones* Philipp. 4.
veſtra innoteſcant apud Deum. Cur dicit: *Innoteſcant apud Deum?* Quid fieri poteſt, quod, etiam antequàm fiat, non innoteſcat apud Deum? Hoc eſt, inquit Doctor Angelicus
in hunc locum: *Petitiones veſtra in-* D. Thomas.

noteſ-

noteſcant Angelis apud Deum, per quorum miniſterium deferuntur Deo; ut petitiones noſtræ per manus eorum gratiores ſint Deo. Sic factum eſt Judicum 13. quando Manue offerebat ſacrificium Deo, viſibiliter apparuit Angelus inter flammam & ſacrificium: *Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus pariter in flamma aſcendit.* Et quare hoc? quia *Sunt Angeli orationes deprecantium ad Deum deferentes*; inquit S. Hilarius in Pſal. 129. Angeli offerunt Deo orationes noſtras, ut gratiores fiant per manus offerentium, & ſecuriùs deſiderata gratia concedatur. Dum pro captivis animabus Deo preces offerimus, *Sunt Angeli orationes deprecantium ad Deum deferentes*; ſicque & nos, & illi, concurrimus ad refrigerium illarum: auſim dicere: magìs autem illi. Exemplifico. Si quis miſericors, aut pius, pro captivo, in carcere ob debita detento, eleëmoſynas colligat, quibus ſolvatur debitum ejus, ſicque è carcere liberetur, indubiè omnes, qui in iſtum finem eleëmoſynam dederunt, partem habent in captivi relaxatione, ſed tamen majorem ille, qui tantâ compaſſione eleëmoſynas collegit: niſi enim alios ad faciendam eleëmoſynam induxiſſet, indubiè illam non feciſſent, & pauper captivus in carcere ſuo manſiſſet. Jacent animæ Purgantes in igneo ſuo carcere, facie divinâ privatæ: inſpirat Angelus uni Sacerdoti, ut pro captivis illis offerat Miſſæ ſacrificium: alteri, ut recitet Officium Defunctorum, aut Pſalmum *De profundis*: huic ut eleëmoſynam det, aut jejunet: ſicque obtinet plenam ſummam, ab anima Divinæ juſtitiæ debitam, ſic ut, factâ ſatiſfactione, anima de carcere liberetur. Jam peto: Quis horum magìs cooperatus ſit huic relaxationi? Angelus indubiè: niſi enim tantâ ſollicitudine alios ad facienda ſuffragia induxiſſet, anima non eſſet de carcere liberata. Oſtendo ad oculum in Petro captivo noſtro.

Judicum 13.

S. Hilarius.

VII. Act. 12. Petrus ab Angelo à vinculis ſolutus, *Exiſtimabat ſe viſum videre.* Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis; & exeuntes inde proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Tunc dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Quòd Petrus liberationem ſuam ab Angelo factam aſſerat, hoc capio; noverat enim Angelos ſemper in ſuccurſum afflictorum venire, apertiſſimiſque oculis videbat, hanc liberationem non eſſe opus humanum; undè meritò illud aſſerit ab Angelo factum: ſed quod factum eſt poſteà, verè non capio. Ab Angelo relictus: *Venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. Pulſante eo oſtium januæ, puella, nomine Rhode, proceſſit ad aperiendum; quæ, ut cognovit vocem Petri, præ gaudio, relicto Petro ante oſtium, intrò currens, nuntiat Petrum ſtare ante januam. At illi, ridentes eam, ajunt: Inſanis: quâ affirmante rem ſic ſe habere, negabant illi dicentes: Angelus ejus eſt.* Inquirit S. Chryſoſt. Hom. 26. ſuper Acta, quo fundamento dixerint hi congregati, pulſantem oſtium

Actor. 12. 9.

℣. 11.

℣. 12. 13. 14. 15. 16.

m januæ

januæ non Petrum, ſed Angelum ejus eſſe? *Undè arguebant Angelum Petri eſſe ante oſtium, & non ipſum Petrum? Undè venit illis in mentem, tunc Angelum illum eſſe?* Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *A tempore illo conjectabant.* Sciebant Petrum in carcere miſſum, & proximè ad mortem producendum; & ideò conjectabant, quòd Angelus ejus oſtiatim rogaret preces fidelium, ut oratio Eccleſiæ ſolveret vincula Petri, & eum de carcere liberaret. Quidam ex tuis, animæ ſuæ conſulens, relictis piis aliquot legatis, viam univerſæ carnis ingreditur; vix terræ traditur, & ecce ad hæredis oſtium pauperes, qui petunt eleëmoſynam in ſolatium defuncti: poſtero die pulſant fores legatarii, requirentes legatum ſuum: pulſant alii ob ſimiles rationes: quos putas eſſe, qui pulſant ad oſtium januæ? legatarii, pauperes, Religioſi inquies: *Inſanis: Angelus ejus eſt.* Angelus defuncti eſt, non legatarius, non pauper, non Religioſus. Dices fortè: *Undè arguis tunc Angelum illum eſſe? A tempore.* Anima ejus in Purgatorio eſt; Angelus ejus ſollicitat ſatiſfactionem legatorum. *Angelus ejus eſt.* Angelus eſt, qui pulſat ad portam: Angelus ejus eſt, qui loquitur per os legatarii: Angelus eſt, qui eleëmoſynam petit in refrigerium pauperis animæ captivæ, ut, factâ ſolutione debiti ſui, liberetur à carcere. Non eſt hic primus Angelus, in talem finem à Deo miſſus.

S. Chryſoſt.

Danielis 14. VIII. Dan. 14. Ob everſum à Daniele idolum Bel, & occiſum draconem, à Babyloniis adoratum, mittitur ab illis in lacum leonum; qui, quamquàm fame rabidi, omni feritate depoſitâ, manſueti facti ſunt, aſſiſtentes ei, & defendentes. Siſtite hîc tantiſper NN. & conſiderate cum S. Bonaventura, per lacum hunc, carcerem Purgatorii intelligi. Zachariæ 9. *In ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Lacus ab Eccleſia vocatur Purgatorium: *Libera animas de profundo lacu; libera eas de ore leonis.* Leones ſunt flammæ devorantes: quis occludit ora horum leonum? Habetis ex ore Danielis: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Angelus eſt, qui per ſuffragia viventium flammas mitigat; imò qui ſuffragia ſollicitat, & emendicat, ut per illa non ſolùm confortentur, ſed & de carcere educantur. In probam manifeſtam, non recedo à Daniele. Eſuriente Daniele in lacu (fuerat enim ibi abſque cibo diebus ſex) volat Angelus in Judæam, ibique reperiens Habacuc Prophetam, qui coxerat pulmentum, ut ferret illud meſſoribus, ait illi: *Fer prandium, quod habes, in Babylonem ad Danielem, qui eſt in lacu leonum.* Quid? inquit ille: *Babylonem non vidi, & lacum neſcio.* Quid tunc? *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum ſupra lacum, & clamavit Habacuc: Daniel ſerve Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus.* Hîc latens myſterium pandit nobis S. Antoninus 3. Part. Tit. 3. Cap. 6. §. 7. *Angelus portans Habacuc cum prandio ad Danielem, clauſum in carcere leonum, ſignificat Angelum inſtigantem hominem, ad faciendum ſuffragia mortuorum;*

S. Bonavent.
Zachar. 9. 11.
Eccleſia.
Danielis 6. 22
Dan. 14. 35. 1
S. Antoninus

tuorum, quaſi prandium portando, confortans incarceratos in Purgatorio. Non noverat Habacuc Danielem, & Angelus curat, ut paſcatur ab eo. Quando devotus aliquis fidelis jubet Sacra legi pro anima maximè derelicta, & oblivioni tradita, novitne illam? minimè. Quomodò ergò ad illam prandium portat? Quomodò legit pro illa Officium Defunctorum? Quis eum excitat ad opus tantæ charitatis? *Angelus portans Habacuc, ſignificat Angelum inſtigantem hominem, ad faciendum ſuffragia mortuorum.* Habacuc erat in Judæa, & capillo capitis portat eum Angelus in Babylonem, ad cibandum Danielem. Ex Italia, Germania, Gallia redux, recordaris te debitorem uni ibidem mortuo, &, neſciens modum ſolvendi debitum, jubes pro anima ejus legi Sacra, aut eleëmoſynas in pauperes elargiri, imò ſæpè ex charitate: quis tibi memoriam refricat? Quis in mentem tuam reducit illum, qui tot centenis à te diſtans milliaribus jacet ſepultus? *Angelus portans Habacuc, ſignificat Angelum inſtigantem hominem, ad faciendum ſuffragia mortuorum.* Habacuc non habebat alium cibum pro ſe, & ſuis coctum; & Angelus inducit eum ad jejunium, ut cibetur Daniel. Dum jejunas, & cibos tuos pauperi largiris in ſolatium eſurientium animarum, undè hoc venit? *Angelus portans Habacuc.* Deus eſt, qui mittit Angelos ſuos, ut viventes excitent ad orandum pro defunctis, ut à debitis ſuis ſolvantur, & de carcere ſuo liberentur. Si quis à me quærat: Quas potiſſimùm preces Angeli pro animabus à fidelibus requirunt? Dicam.

IX. Scio Eccleſiam, tamquàm piam matrem, pro filiis ſuis dilectis, & animabus electis, juſto decreto ſupremi tribunalis carceri Purgatorii pro tempore condemnatis, ſollicitam, eamque pro illis multas & varias preces fundere, ſignanter illas, ab animabus ſummè deſideratas: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Ut hæ preces verſentur continuò in ore omnium, laborant Angeli. Sed hîc quæro: Cur Eccleſia non facit mentionem felicitatis, quâ gaudent Beati in cœlo? Cur ſolummodò mentionem facit quietis & lucis? O grande myſterium! Novit Eccleſia, à Spiritu S. illuminata, animas Purgantes vinctas catenis duabus, pœnâ ſenſûs, & pœnâ damni: tolerando pœnas ignis, fatigantur, portantque pondus dolorum: vinctæ catenâ damni, privantur lumine gloriæ, utpotè relegatæ ad tenebricoſum carcerem Purgatorii. Prima pœna requirit requiem, altera lucem; & meritò, quia, ut antè diximus, peccatum continet in ſe duo: averſionem à Deo, & converſionem ad creaturas; ob averſionem à Deo, puniuntur pœnâ damni; ob converſionem ad creaturas, pœnâ ſenſûs; ſicque, dum Eccleſia orat: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis,* orat Deum, ut eas ab utraque pœna liberet; undè oratio iſta eſt animabus gratiſſima, in quantum, à fidelibus ſæpiùs repetita, ipſis cauſa eſt felicis tranſitûs ad gloriam æternam: undè Eccleſia, cupida ſemper & deſiderans bonum Eccleſia.

 ani-

animarum, diu noctuque ſollicitat per miniſtros ſuos, eiſque optat illam pacem, & illam requiem, dicendo: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Si Eccleſia tam ſollicitè illis optet, & procuret illam requiem, quantò majori deſiderio deſiderant illæ deſolatæ & afflictæ animæ illam conſequi! Quanta illarum conſolatio, quando Angeli nunciant illis, quòd conſummatum ſit longum ipſarum Martyrium, & *In voce exultationis tranſibunt in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei*! quòd tranſibunt de Purgatorio ad cœlum, de triſtitia ad lætitiam, de lacrymis ad riſum, de tenebris ad lucem, de tormentis ad oblectamenta, de deſolationibus ad conſolationes, de bello ad pacem, de mari procelloſo ad portum tranquillum, de catenis ad libertatem, de carcere ad thronum, de laſſitudine ad *Requiem æternam*.

Pſalm. 41.

X. Quæro: Cur Eccleſia, recitans Officium Defunctorum, in quo ſæpiſſimè legitur: *Requiem æternam*, non dicat Veſperas, ſicut in aliis Officiis de Sanctis? Cur non terminatur Officium Defunctorum cum Veſperis, ſicut alia Officia? Relictis aliis rationibus, dico cum Incognito, noſtro ſcilicet Michaële à Bononia, in Pſal. 83. 11. *Ad denotandum, quòd requies, quæ eâ die optatur eis, fine careat*, & numquam ſit finitura, quòdque animæ, quandò liberantur, ſemper gaudeant matutino abſque veſpera. Optat illis Eccleſia diem, quæ componitur ex veſpera & matutino; diem, quæ neſcit occaſum, neſcit tenebras; diem, quæ ornat cœlum ſtellis, de quibus Dan. 12. *Fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Sancti in cœlo, ſtellis comparantur ab Apoſtolo 1. Cor. 12. *Stella differt à ſtella in claritate; ſic erit reſurrectio mortuorum.* Cur Apoſtolus Sanctos comparat ſtellis, quæ in nocte lucent; cùm dicat Spiritus ſanctus: *Fulgebunt juſti ſicut ſol?* Magna differentia eſt inter ſolem & ſtellas; ſol tenebras expellit, ſtellæ admittunt, quia de nocte in tenebris lucent: quomodò ergò ſoli comparantur, ſi ſint ſtellæ? Et ſoles ſunt, & ſtellæ: ſoles, quia gaudent feliciſſimo die, luci cœleſti immerſi; ſunt ſtellæ, quia fruuntur requie ſine veſpera, clarâ, & imperturbabili: ſoles ſunt, quia recipiunt in ſe lumen, quod egreditur de divino vultu: ſunt ſtellæ, non errantes, ſed fixæ, ſplendentes *In perpetuas æternitates.* Ad hanc *Requiem æternam*, & lucem perpetuam, anhelant Purgantes animæ. Quantum illis gaudium, dum Angeli, quondam cuſtodes illarum, deſcendunt in carcerem, nunciantes eis ex parte Dei: *Surge in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & manè videbitis gloriam ejus!* Et undè illis tantum bonum? Dum Eccleſia orat Deum pro æterna earum requie, & luce perpetua, Divina Majeſtas ita movetur *In voce exultationis*, ut illis concedat *Requiem æternam*; ita ut nulla vox gratior ſonet in auribus earum, quàm: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis*; ſeu: *Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Non creditis?

Michaël à Bononia.

Dan. 12.

1. Cor. 12.

Pſal. 131. 8.

XI. Qui-

XI. Quidam Monachus Cluniacenſis (parcite quòd iterum à S. Scriptura recedam) ut omni poſſibili devotione offerret Altiſſimo ſacrificium incruentum Agni immaculati, ſubtrahere ſe ſolebat in quoddam ſacellum ſeparatum, cemeterio vicinum; ſic ut eundo & redeundo, illud pertranſire eum oporteret: aſpectus continuus oſſium, & craneorum, & ibidem ſepultorum memoria, excitabant in ipſo adeò pium & tenerum affectum erga defunctos, ut pertranſiens, ſemper preces aliquas funderet in refrigerium animarum. Quâdam vice, peracto Miſſæ ſacrificio, ad Conventum rediens, ſolitas legebat preces, illas concludendo his verbis: *Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Et ecce vix verba protulerat, vocem audit, quaſi multitudinis grandis, reſpondentis altâ voce: *Amen, amen.* Quid ad hæc N. N? Non videtur vobis hic applauſus demonſtratio authentica, quantùm gaudeant animæ, dum Angeli nunciant eis, quòd fideles rogent Deum pro æterna earum requie, & luce perpetua, & ut in æterna pace requieſcant? Si divinâ diſpenſatione in hac Eccleſia liceret videre, quantùm applaudant Angeli, dum illas preces pro animabus Purgantibus funditis, credo firmiter, quòd turmatim, dum dicitis: *Requiem æternam*, ſeu: *Requieſcant in pace*, melodiâ ſuaviſſimâ reſponderent: *Amen, amen.* Dum pro animabus Deum oratis, ut det eis *Requiem æternam*, & *Lucem perpetuam*, tunc eis ſcalam diſponitis, quâ in cœlum aſcendant. Audite ad rem noſtram alludentem Pſalmiſtam.

XII. Pſalm. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum.* Certum eſt Prophetam hîc loqui de oratione, quia M. P. Auguſtinus in alio loco legit: *Aſcendit lacrymoſa deprecatio.* Aſcendit de corde fidelium lacrymoſa deprecatio, & ecce aſcenſiones in corde ſuo diſponit: & quibus illas aſcenſiones diſponit? animabus Purgantibus: *In valle lacrymarum.* Quæ enim vallis copioſior, & lacrymis abundantior, quàm Purgatorium, ubi non niſi tormenta, pœnæ, vivæ flammæ, quæ cruciant animas? *In valle lacrymarum?* Vult ergò dicere Propheta Regius, à Spiritu ſancto illuminatus, quòd, dum fidelis aliquis pro animabus fervidas fundit preces, rogans Deum, ut det eis *Requiem æternam*, tunc ædificet primum gradum ſcalæ, quâ aſcendant in cœlum: *Aſcenſiones diſponit.* Si denuò oret, & ſupplicet Deum, ut *Fidelium animæ*, pretioſiſſimo Chriſti Sanguine redemptæ, *Per miſericordiam Dei requieſcant in pace*, tunc alterum gradum conficit: *Aſcenſiones diſponit*; ſic ut paulatim ſcalam perficiat, quæ de profundo Purgatorii aſcendit uſque ad cœlum, per quam animæ feliciter aſcendant ad Deum, & lucem perpetuam: *Tranſibo uſque ad domum Dei, in voce exultationes. Aſcenſiones diſponit in valle lacrymarum.* Scala hæc non abſimilis eſt illi, quam Jacob vidit Gen. 28. *Stantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos*

Pſalm. 83.

S. Auguſtinus.

Pſalm. 41.

Gen. 28.

gelos quòque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. N.N. dum *In valle lacrymarum* aſcenſiones diſponitis, ſcalam erigitis, per quam Angeli Dei aſcendunt & deſcendunt; aſcendunt ad Deum, innixum ſcalæ, deferentes preces, quas funditis pro animabus; deſcendunt ad eas, quando nunciant eis, quòd tranſibunt per illam in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei. Dum ſuffragiis veſtris & precibus animabus captivis, è carcere liberationem, requiem æternam, & lucem perpetuam procuratis, opus facitis adeò gratum Deo, ut illud auſim dicere, quaſi infinitum.

XIII. Docet Doctor Angelicus, quòd tria ſint, quæ proximè accedunt ad infinitatem. Unio hypoſtatica; Maternitas Dei; & Lumen gloriæ. Non poteſt dari terminus nobilior, cui uniatur natura humana, quàm Perſona Divina; & ideò, licèt humanitas ſit creata, ratione tamen termini, cui eſt unita, participat de infinito. Sic ſimiliter: non poteſt dari dignior Filio Dei; lumine gloriæ videtur Deus, ſummum bonum, quod beatificat intellectum & voluntatem per ſui cognitionem & amorem; ergò, cùm non detur objectum majus Deo, participat de infinito. Hoc ſuppoſito, peto: Quis actus in ſacratiſſima Virgine Maria fuerit maximè meritorius? Ille indubiè, quo merita fuit *De congruo* accelerationem unionis hypoſtaticæ, & Maternitatem Dei. Quid jam meretur orans pro defunctis? Accelerationem luminis gloriæ animæ captivæ, quæ per definitivam Divinæ juſtitiæ ſententiam, deberet in igneo illo carcere manere, & privari viſione beatificâ ad decem, imò viginti annos: *In voce* ergò *exultationis* impetras, ut uno dumtaxat anno, menſe, die, fortè horâ dumtaxat unicâ ultrà permaneat in Purgatorio; undè mereris ei lumen gloriæ, quod eſt ordinis quaſi infiniti. Hanc accelerationem à te exigunt, & iiſdem verbis te interpellant animæ, quibus Pſalmiſta Deum: *Apud te eſt fons vitæ,* Pſalm. 35. 10.
& in lumine tuo videbimus lumen. Scio hæc verba ſecundùm litteram intelligi de omni juſto, deſiderante beatitudinem æternam; quia lumen gloriæ, unitum intellectui Beatorum, ita illuminat, ut videre faciat veram lucem Divinæ eſſentiæ: ideò dicunt Deo, tamquàm principio, fonti, & origini omnis boni: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* ſed dico, quòd ad rem noſtram verba hæc applicari poſſint captivis noſtris, tamquàm te interpellantibus: Nos hic verſamur in obſcura nocte, in umbra mortis; non habemus lumen bonorum operum, quibus ſatisfaciamus Deo; in manibus tuis liberatio noſtra eſt: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* In lumine ſuffragiorum tuorum videbimus lumen Divinæ eſſentiæ, & accelerabitur ſalus noſtra. Res tantæ dignitatis eſt iſta acceleratio, ut acceleratorem quodammodò audeam honorare titulo ſalvatoris.

XIV. Gen. 41. 45. Mutat Pharao nomen Joſeph in nomen ſalvatoris:

Gen 41. 45. vatoris: *Vertitque nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ ſalvatorem mundi.* S. Hieronym. reddit rationem: *Eò quòd orbem terræ* S. Hieronymus. *à fame liberârit.* Simili nomine Judicum 3. 9. honoratur Othoniel: Judicum 3.9. *Suſcitavit eis* (Deus) *ſalvatorem*; quia populum Iſraël liberaverat à ſervitute Regis Meſopotamiæ. Similiter 4. Reg. 13. 5. *Dedit Deus Iſraël* 4. Reg 13. 5. *ſalvatorem, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ.* Jam ad rem noſtram loquitur Rupertus in Cap. 3. Judicum: *Si ergò illos dixit Deus* Rupertus. *ſalvatores, per quos temporaliter liberavit Iſraël, quantò magis rectè illi dicuntur ſalvatores, quorum labor ad noſtram ſalutem cooperatus eſt.* Si ille, qui pauperi tempore famis de annona providet, qui captivos redimit ex ſervitute Regis terreni, nomen mereatur ſalvatoris, quantò magìs ille, qui *In voce exultationis* orationibus ſuis liberat animas ex Purgatorio, illiſque procurat requiem æternam, & lucem perpetuam? Aug. Quæſt. 18. notat ſalvatorem etiam dici illum, per quem Deus alios ſalvos facit, imò talis non tantùm redemptoris nomine dignus eſt, ſed & glorificatoris. Qui trahit animam ex ſtatu peccati ad ſtatum ſalutis, ſecundùm Joannem Epiſt. 3. ℣. 8. coadjutor Chriſti dici poteſt, & corredemptor: *Ut cooperatores ſimus veritatis*: Joan. Epiſt 3. ℣. 8. & juxta Paulum 1. Cor. 3. 9. *Dei enim ſumus adjutores*: numquam 1. Cor. 3. 9. tamen dici poteſt glorificator; ſed ſi quis ſuffragiis ſuis animam ex Purgatorio liberet, eamque meritis & pretio Sanguinis Chriſti ex miſera ſervitute redimat, non tantùm cooperator, & corredemptor dici poteſt, ſed certo modo glorificator: quia mediante oratione, & ſuffragiis ſuis, tranſit anima à pœnis ad gloriam, & lucem æternam. Si ergò, ſecundùm Dionyſ. Areop. *Omnium divinorum diviniſſimum eſt, cooperari Deo in ſalutem animarum*; quid non erit, ſalvatores dici, & glorificatores animarum? D. Dionyſius Areop. Chriſtus eſt unus & ſolus Redemptor noſter, & Glorificator abſolutus; quia, in virtute ſanguinei ſacrificii, meritus eſt nobis gratiam, & gloriam, non *Quoad efficaciam*, ut dicunt Theologi, ſed *Quoad ſufficientiam*; in quantùm per merita Sanguinis ejus omnes poſſunt ſalvari: non tamen ideò omnes ſalvantur; multi enim in ſinu infidelitatis moriuntur, multi Barbari, Gentiles; & Chriſtiani, qui malè vivunt, & damnantur; ſic ut illis Sanguis Chriſti non proſit ad ſalutem: ſed dum quis applicat ſuffragiis ſuis merita Sanguinis Chriſti animabus Purgatorii, non ſatisfacit pro eis quoad ſufficientiam, ſed quoad efficaciam: quia, juxta magìs piam opinionem, ex pacto divino infallibiliter acceptantur Sacrificia noſtra, & animæ purgantes, pro quibus offeruntur, per ea liberantur à pœnis; ſicque offerendo Sanguinem Chriſti, fit certo modo animarum redemptor, & glorificator; non *Quoad ſufficientiam*, ſed *Quoad efficaciam.* Numquid ergò animæ meritò effundunt ſeſe, meritò exultant, & dicunt: *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei, in voce exultationis?* Pſalm. 41.

nis? Tranſibo, tranſibo. N. N. cùm in voce orationis poſſitis dare animabus requiem æternam, & lucem perpetuam, ne illas fruſtetis illâ ſpe; eſtote hodie omnes, quotquot hîc eſtis, eſtote columbæ, ferentes ramum olivæ; non corvi, ſicut tempore Noë.

XV. Curioſitate ducor, cur M. P. Auguſtinus Serm. 69. de Temp. S. Auguſtinus. arcam Noë vocet *Purgatorium iniquitatis*; & dum totum conſidero, ſymbolum fuit Purgatorii, in quo electi Dei à culpis purgantur, ſicut omnes juſti in illa ſervabantur. Arcæ claves penes ſe tenebat Deus, ne aliquis exiret: Purgatorii quòque claves habet Deus, ne aliquis exeat indè, donec purgatus ſit totus. Si arca carcer ſalutis; ſalutaris etiam carcer Purgatorium eſt. Notate modò: Noë, arcæ ſuæ velut carceri incluſus, poſt 40. dies diluvii Gen. 8. 7. *Dimiſit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur.* Famelicus & vorax corvus, allectus abundantiâ cadaverum, non revertebatur: unde Verſ. 11. *Dimiſit columbam ex arca: at illa venit ad eum, portans ramum olivæ*; quod Noë lætum erat nuntium vicinæ ex arca liberationis. Animæ in Purgatorio, non tantùm quadraginta diebus, ſed pluribus fortè annis, cùm Davide clamant: *Quando veniam, & apparebo?* N. N. cùm tot corvi ſint, qui non cogitant ſemel de captivo Noë, de captivis animabus, opto vos omnes hodie eſſe columbas. Si S. P. Auguſtinum interrogetis: S. Auguſtinus. *Qui ſunt corvi?* reſpondebit Tract. 6. in Joannem: *Qui ſua quærunt.* Sunt avidi homines, rapaces, &c. ſunt illi, de quibus S. Amb. in Pſalm. 118. in hæc verba: *Particeps ego ſum.* S. Ambroſius. *Qui lecto ægrotantis aſſideat, & capiendæ hæreditatis tendunt aucupium.* Sunt illi, qui poſt obitum amicorum vix legunt *Pater noſter*; vel ſi aliquid facturi, ſemper differunt, dicentes: *Cras, cras*; & illud *Cras* numquam venit: corvi ſunt, quia ſicut *Odit* S. Chryſ. *corvus prolem ſuam, & natam non educat*; inquit Chryſ. ita non ampliùs recordantur, ſed oblivioni tradunt eos, qui illos ditârunt, & omnia eis reliquerunt, quæ poſſidebant. Sunt corvi, qui *egrediebantur* ad capiendam hæreditatem, ſed non *revertebantur* cum aliquo ſuffragio futuræ liberationis: *egrediebantur* ad convivia, ad lautas menſas, ſed non *revertebantur* cum aliqua eleëmoſyna, cum uno, *De profundis*, cum *Requiem æternam dona eis, Domine*; imò ne quidem cum uno *Requieſcant in pace* in refrigerium eorum, qui ardent in flammis. Corvi ſunt, qui defunctis oculos eruunt, animas in Purgatorio detinent, ne Dei vultum aſpiciant. Sed attendant ſimiles corvi, ne illis contingat, quod corvo Noë evenit. Chryſ. Hom. de Spiritu ſancto: *Ex arca Noë evolavit corvus, nec comparuit, ſuffocatus in aquis.* S. Chryſoſtomus. Timeant illi, nimium quærentes commoda, ne ob ingratitudinem erga defunctos, ſubmergantur in diluvio ignis, non Purgatorii, ſed inferni per omnia ſecula ſeculorum: *Quia judicium* Jacob. 2. 13. *ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Sed cur Noë emiſit columbam, & non potiùs falconem,

nem, aut aquilam? Quia olivam Divinæ miſericordiæ non debebat portare niſi columba; nuntium liberationis ex hoc carcere, ſpecialiter expectari oportebat à columba. Chryſ. Hom. de Spiritu ſancto dat rationem: *Quia columba præ omnibus volatilibus cœli homines amat.* Item Bern. de Modo benè vivendi, Serm. 56. *Alienos pullos nutrit, & gemitum pro cantu habet.* Columba ergò ferebat ramum olivæ captivo Noë; annunciabat liberationem vicinam; quia amans & devotus erga captivas animas, eleemoſynis ſuis, gemitu ſuo, *In voce exultationis* annunciat animabus inſtantem liberationem; affert ramum olivæ, quòd brevi requieſcent in pace. Oſtendamus ergò nos columbas, ſimus gementes orationibus, ut captivæ animæ *In voce exultationis* dicere poſſint: *Tranſibo uſque ad domum Dei, in voce exultationis.* Ad hoc hortatur vos

S. Chryſoſtomus.

S. Bernardus.

Eccli 38. 24. XVI. Eccleſ. 38. 24. *In requie mortui, requieſcere fac memoriam ejus, & conſolare eum in exitu ſpiritûs ſui. In requie mortui* inquit, quia de illis loquitur mortuis, de quibus Eccleſia: *Dormiunt in ſomno pacis:* qui ſunt mortui in Purgatorio detenti; de illis dicit: *Requieſcere fac memoriam:* hoc eſt, inquit Ugo Card. *Fac ut vivi habeant memoriam mortuorum in ſuis orationibus, ut ſic requiem mereantur:* quia quando vivi memoriam habent orandi pro mortuis, hi citò requiem conſequuntur æternam. Dicendo autem: *Conſolare illum in exitu ſpiritûs ſui*, exhortatur vos,

Eccleſia.

Ugo Card.

ut conſolemini moribundos, & mortuos; moribundos, ut ſalutaribus monitis adhortemini, ut in corde contriti doleant de peccatis, in Dei amore ferveſcant, divinæ benignitati confidant, ſperentque vitam æternam. Mortuos, non procraſtinando debita ipſis ſuffragia: *Conſolare eum in exitu ſpiritûs ſui.* Et ut magìs vobis cordi ſit monitum ejus, eodem Capite ait: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare.* Quid eſt, quòd Eccleſiaſticus mortuos plangere perſuadeat? *Eſt de mortuis, qui diliguntur*, inquit D. Auguſtinus de Verbis Apoſt. Serm. 32, *quædam triſtitia quodammodò naturalis.* Et ipſe Eccleſiaſticus ibidem parùm poſt, fletum moderari cupit: *Fac luctum, ſecundùm meritum ejus, uno die, vel duobus.* Quomodò ergò hortatur ſine temporis limitatione plangere, ac ſi atrociſſima tormenta pateremur? *Quaſi dira paſſus, incipe plorare.* Ecce myſterium. Conſiderat Eccleſiaſticus in mortuo corpus, corruptioni & putredini ſubjectum, & animam, inenarrabilibus Purgatorii tormentis expoſitam; utrimque plangendum eſt, eâ tamen differentiâ, quòd corpus quidem plangendum, at moderatè, *Uno die, vel duobus:* ſed quantùm ad animam, nullum plangendi tempus determinat, aſt vult, ut mortuis compatiamur, ac ſi in propria perſona pateremur omnia, quæ defuncti patiuntur: *Quaſi dira paſſus, incipe plorare*, & plorando orare, ut Angeli animarum cuſtodes, preces veſtris lacrymis mixtas, ad

Verſ.16.

S. Auguſtinus

Verſ.18.

Verſ.16.

cœlum deferant : ſicut Raphaël orationes Tobiæ.

XVII. Tobiæ 12. 12. Archangelus Raphaël de cœlo mittitur ad Tobiam, ut ſciat, quàm ſit Altiſſimo gratum, quod mortuis præ-
Tobiæ 12. 12. ſtabat obſequium: *Quando*, inquit, *orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quando pro animabus orabas, & corpora ſepeliebas, tamquàm opus dignitſimum, ſanctiſſimum, & Deo gratiſſimum quod umquam feciſti, ego illud obtuli
S. Ambroſius. Deo: *Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem*, inquit D. Ambroſius. Quando Tobias corpora ſepeliebat, animas eorum Deo commendabat, pro iis offerens ſacrificium laudis, & orationis; magìs ſollicitus pro animabus æternùm victuris, quàm pro corporibus in cinerem revertendis. M. P. Auguſtinus hìc ſtupore plenus excla-
S. Auguſtinus. mat: *Videte quantùm proficit mortuos ſepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaëlem ad cœleſtem aſcendat Majeſtatem!* Sepultura, in ſe conſiderata, oblatio, ſeu ſacrificium dici nequit; quia cadaver non offertur Deo, ſed terræ traditur. Oratio autem, oblatio dicitur, & ſacrificium: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Cùm Tobias mortuos ſepeliebat, Angelus offerebat
Idem. ſacrificium ejus Deo: *Oblatio ejus per Angelum Raphaëlem ad cœleſtem aſcendebat Majeſtatem; quia non ſolùm ſepeliebat mortuos, ſed orabat cum lacrymis* in refrigerium animarum. Liceat modò ingeminare cum D. Bernardo: *Surgite in* S. Bernardus. *adjutorium illis, interpellate gemitibus, implorate ſuſpiriis, orationibus intercedite! Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis!* Tutelares earum, quas liberaveritis, animarum Angeli, dignas vobis referent gratias ob devotos ſibi clientulos cœlo aſſertos; Cœlites omnes æternùm vobis manebunt devincti, quòd novos Divinæ Majeſtatis laudatores effeceritis; ipſa Dei Mater manebit vobis addicta, dum viderit animas, adeò ſibi dilectas, & Filii ſui pretioſo Sanguine redemptas, cœlo reſtitutas; Chriſtum, qui animarum amore vitam impendit, Deum ipſum, qui in eorum gratiam unicum Filium donavit, vobis devincietis. O quæſtum magnum! Cum M. P. Auguſtino Serm. 44. ad Fratres in eremo vos rogo: *Igitur pro* S. Auguſtinus. *defunctis ſemper orandum eſt; ſic enim ſemper boni erimus, ſic pii, & miſericordes, ſic malâ morte perire non poterimus: quia Dominus cuſtodiet nos in tota vita noſtra, quam poſteà deferendo, dabit illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendere potuit.* Ad minùs ergò dic pro illis: *Requiem æternam*, &c. *Fidelium animæ*, &c.

SERMO OCTAVUS

DE CARCERE PURGATORII.

Lumen refulſit in habitaculo. Act. 12.

Non ſolùm orationibus Eccleſiæ juvantur captivæ animæ, ſed & eleëmoſynis; & his magis: quia eleëmoſyna eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. Per largitionem eleëmoſynæ lumen refulget in habitaculo Purgatorii. Dat pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat pro ea eleëmoſynas facere.

1. Mirabar herì, quòd Angelus à Deo miſſus de Galgala, quæ gloriam cœleſtem ſignificat, ad locum flentium, Purgatorium ſcilicet, aſcendiſſe dictus ſit: *Aſcendit de Galgalis*; cùm potiùs de eo dici debuiſſet: *Deſcendit de Galgala.* Idipſum adhuc hodie mirarer, niſi Mellifluus Bernardus pandiſſet myſterium; nempè quòd *Aſcenſio & deſcenſio, viæ ſint Angelorum; aſcenſio propter ſe, & deſcenſio propter nos.* Tantò magis aſcendunt, quantò ad adjuvandum deſcendunt profundiùs; ſignanter dum deſcendunt *Ad locum flentium*, ut conſolentur ibidem afflictas incarceratas animas: maxima hæc illis gloria eſt. Hoc Deus ipſe manifeſtū voluit, dum prima legatio Angelica facta fuit ad miſeram & afflictam Agar; nam *Nulla poterat eſſe Angelo glorioſior legatio illâ, quâ ad miſeram ancillam conſolandam mittebatur*: quod maximè locum habet in derelictis animabus in Dei carcere captivis, dum de Galgala aſcendunt ad locum flentium, conſolantes, & confortantes eas: *Aliqua verba conſolatoria dicendo*; modò vicinam liberationem annunciantes: modò preces, quæ pro illis funduntur repræſentantes: modò efficaciora auxilia promittentes, ſignanter viventes excitando ad redemptionem illarum, ut vidimus herì in Petro de carcere liberato, qui venit ad domum matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant congregati, qui pro liberatione ejus oraverant; & eo pulſante oſtium januæ, dum ancilla oſtiaria, relicto Petro ante oſtium, nunciaret Petrum ſtare ante portam, inſanire eam aſſerebant, dicentes Angelum ejus eſſe, qui preces oſtiatim rogabat pro eo, quod *A tempore conjectabant*: quia ſciebant eum eſſe in carcere, & proximè ad mortem producendum. Dum aliquis veſtrûm moritur, & pauperes pro eleëmoſyna, legatarii pro legatis ſuis, alii ob alias rationes oſtium januæ pulſant, ne putetis pauperes, aut legatarios eſſe, ſed *Angelus ejus*, defuncti nempè, *eſt*; quod à tempore

S. Bernardus.

Mendoza.

Lyranus.

S. Chryſoſtomus.

conjecto: quia anima ejus in Purgatorio eſt; unde, ut ex carcere liberetur, ſollicitat ſolutionem legatorum: Angelus eſt, qui portat te capillo capitis tui ad lacum leonum, de quo Eccleſia: *Libera eas de profundo lacu; Libera eas de ore Leonis*: ut cibes eſurientes illas animas uno Sacro, aut S. Communione: portat te in Babylonem, in loca longè diſſita, in capillo capitis, ut cogites de ibidem dudum defunctis, & pro eis ores, ut requie æternâ, & luce perpetuâ fruantur, non ſolùm ad preces, ſed & ad alia efficaciora ſuffragia te excitans: ut illa noſcas; hodie dabò aliquid luminis; priùs invocatâ illuminatrice noſtrâ, quæ, juxta S. Bernardinum Senenſem Serm. de Nom. Mariæ: *Dominium tenet in regno Purgatorii*: & à S. Ephrem Orat. ad Virg. *Captivorum redemptio* dicitur, *& omnium ſalus. Ave Maria.*

Eccleſia.

S. Bernardin. Senenſis.

S. Ephrem.

II. Ut Angelus, à Deo miſſus, Petrum in carcere dormientem à ſomno excitaret, & è tenebricoſâ cuſtodia educeret, *Lumen refulſit in habitaculo*, ut iſto lumine faciliùs de illo exiret. Angeli ad animas captivas, ſingulas clamantes continuò: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* à Deo miſſi, ut annuncient Communitatem N. preces fundere, ut *In voce exultationis tranſeant in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei*, novum eis ſuperaddunt gaudium, nunciantes, quòd lumen refulgeat in habitaculo, ut in illo lumine faciliùs videant lumen Dei: lumen ſcilicet, de quo Iſaiæ 58. 7. *Frange eſurienti panem tuum . . . . . . tunc erumpet quaſi manè lumen tuum*: ſecundùm D. Cyprianum de Operibus & Eleemoſyna: *Demonſtrans eleemoſynis Deum placari poſſe*. Oſtendo ergò hodie, quantùm valeat eleemoſyna ad placandum Deum in redemptionem animarum captivarum. Dum attentas aures requiro, Deo auſpice incipio.

Act. 12.

Pſalm. 41.

Iſaiæ 58. 7.

Verſ. 8.

S. Cyprianus.

III. Tobiæ 12. 8. Monitum verè ſalutare dabat Archangelus Raphael Tobiæ, defunctorum patrono: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Quod Angelus Tobiæ, ego vobis N. N. Ut animæ captivæ de carcere ſuo tranſeant in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei, *Bona eſt oratio*; ſignanter *cum jejunio*; quia, ut benè Os verè aureum D. Chryſoſtomus Hom. de Jona Propheta: *Jejunium divinam ſententiam mitigare novit, & ad libertatem revocare conſuevit.* Hinc Eccleſia, tùm in veteri, tum in novo teſtamento, ad placandum Deum, ſemper recurſum habuit, & habet hodie, ad orationem & jejunium: *Quia bona eſt oratio cum jejunio*; ſignanter pro mortuis. 1. Reg. 31. 13. Mortuis Saüle, & filiis ejus, viri Jabes Galaad *Tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Jabes; & jejunaverunt ſeptem diebus.* 2. Reg. 1. 12. ſimiliter: *David, omneſque viri, qui erant cum eo, planxerunt, fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saül, & Jonatham.*

Tobiæ 12. 8.

S. Chryſoſtomus.

1. Reg. 31. 13.

2. Reg. 1. 12.

1.Reg.3 35. *Jonatham*, 2. Reg. 3. David, intellectâ Abneris morte, ait: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, vel aliud quidquam.* Ne quis hìc putet, inquiunt V. Beda. Rabanus. Gloſſa. Ven. Beda in fine Comment. in Lib. 1. Reg. Rabanus in Gloſſa, Bellarminus. & Bellarminus de Purgatorio Lib. 1. Cap. 3. hos ſolummodò jejunâſſe, ut ſuum erga defunctos dolorem teſtarentur; finis & motivum principale erat, jejunium tamquàm ſuffragium Deo offerre, in refrigerium animarum.

IV. Quis Danielis 3. fecit medium fornacis, in quam miſſi erant tres pueri Hebræorum, quaſi ventum roris flantem, ut non tetigerit eos omninò ignis, neque contriſtaverit, nec quidquam intulerit moleſtiæ; quin imò *Ambulaverint in* Dan. 3. 24. *medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Dominum?* Dicat hoc pro me D. Ambroſius, & ſuam S. Ambroſ. hìc effundat Ambroſiam: *Hebræorum pueri, cùm fuerent fornacis incendia, ubi cum jejunio ingreſſi ſunt, diſcuſſo ardore flammarum, ſtatim roris ſpiritu refrigerati ſunt.* In eandem ſententiam abit D. Chryſoſtomus S. Chryſoſt. Hom. de Jona Propheta: *Cum jejunio tres pueri in fornacem Babylonis ingreſſi, intacti egreſſi ſunt.* Si ſecundùm Doctorem Seraphicum Serm. de Mort. fornax iſta Purgatorium ſignificet, ergò & nos poſſumus jejuniis noſtris ignis Purgatorii ardorem ſuſpendere, & animabus, quæ ibi torquentur, refrigeria ſubminiſtrare: ſic ut *Cum jejunio, diſcuſſo* S. Bonav. *ardore flammarum, ſtatim roris ſpiritu refrigerentur.* Ne quis opponat conſequentiam non ſubſiſtere, eò quòd tres pueri ipſi jejunârint, & non alii pro ipſis: quia ſtatim illi darem reſponſum Doctoris Angelici in 4. Diſt. 45. Q. 2. A. 1. *Opera facta* D. Thomas. *pro mortuis, ſunt quodammodò mortuorum*: ita ut meritò exclamet D. Ambroſius Serm. 36. Feriâ 5. poſt 1. Dom. Quadr. Jejunium mira res eſt; *Alter jejunat, & alteri prodeſt je-* S. Ambroſ. *junantis utilitas. Bona ergò eſt oratio cum jejunio, At*, inquit D. Thomas in 4. Diſt. 15. Q. 2. A. 2. *eleëmoſyna* D. Thomas. *majorem habet vim ſatisfactionis, quam oratio, & quàm jejunium*: quamquàm tamen ſatisfactio, quæ debetur Divinæ juſtitiæ, licèt ſit pœna peccati commiſſi, magìs deſumatur à bonitate operis, quàm à pœnalitate: undè quantò actus melior eſt & virtuoſior, tantò major eſt ſatisfactio, licèt minùs pœnalis: & cùm eleëmoſyna plus habeat de ratione boni, quàm jejunium, pluſquàm jejunium eſt ſatisfactoria. Undè meritò dicebat Angelus Raphaël: *Eleëmoſyna, ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Ipſa eſt, quæ purgat peccata; id eſt, quæ purgat animam à pœna peccati, alioqui adhuc in Purgatorio per annos multos duratura; & facit invenire miſericordiam, quâ meritò dicat: *Effudi in me* Pſal 41. *animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei.* Habetis hanc veritatem à Spiritu S. intimatam.

V. Prov. 13. 8. *Redemptio animæ* Prov. 13. *viri, divitiæ ejus.* Duplici ſervituti ſe ſubjicit peccator: ſervituti diaboli, de qua Chriſtus Joan. 8. *Vos ex* Ioannis 8. *patre diabolo eſtis*; & ſervituti pœnarum, quas incurrit ob Dei offen-

Sapientiæ 14. ſam, de qua Sapiens 14. 31. *Peccantium pœna perambulat ſemper.* Ut liberetur à ſervitute diaboli, contritione opus eſt, quâ placatur Deus; & quâ peccator denuò recipit gratiam, ac à ſervitute ſatanæ redimitur. Ut à ſecunda ſervitute redimatur, debet ſatisfieri Divinæ juſtitiæ pretio æquivalente contractis debitis, ob quæ ſubjacet pœnis. De nolente ſe ab utraque ſervitute redimere, loquitur Propheta Regius Pſal. 48. 8. Primò: *Non dabit Deo placationem*

Pſalm 48. *ſuam* Secundò: *Nec pretium redemptionis animæ ſuæ.* Animæ Purgantes in carcere Purgatorii *Dederunt Deo placationem ſuam*, & per pœnitentiam redemerunt ſe à ſervitute ſatanæ: ſed neglexerunt, ex toto dare Deo *Pretium redemptionis animæ ſuæ*; ideòque ſubjacent pœnis, & indigent pretio, redemptioni ſuæ congruo, & ſufficiente. Pretium hoc ſubminiſtrat illis eleëmoſynarius, inquit M. P. Auguſtinus in hunc locum: *Dat*

S. Auguſtin. *pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat eleemoſynas facere.* Redemptrix animarum in Purgatorio, eleëmoſyna eſt. Audiendi hîc duo Ugones: primus Cardinalis: *Miſericordiâ factâ*

Ugo Card. *proximo, redimitur anima ſuppliciis*

Ugo Victor *obnoxia.* Alter Victorinus: *Egentibus eleëmoſynas porrigite; his divitiis, his largitionibus, vorago inferni, ſcilicet Purgatorii, captivos reddit, & abſolvit:* ſicque eleëmoſynæ avarè conſervatæ, laquei, & catenæ ſunt ſervitutis infernalis, liberaliter in pauperes expenſæ, redimunt animas de ſervitute pœnali. Confirmant hæc, quæ in Epiſtola ſua ad Eccleſiam Vercell. habet D. Ambroſius: *Sed neque di-*

S. Ambroſ. *vitiæ vituperabiles: redemptio enim animæ viri, divitiæ: quoniam qui pauperi donat, redimit animam.* Item in Lib. de Elia Cap. 2. premens verba à Daniele Nabuchodonoſori dicta: *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Oſtendit eleëmoſynam, magnam & ſpecialem habere redimendi proprietatem: *Habemus*, inquit, *plura ſubſidia, quibus peccata redimamus. Pecuniam* Idem. *habes? redime animam tuam.* Non minorem virtutem redimendi animas ex Purgatorio habet eleëmoſynarius, quàm animam propriam; ut Angelicè affirmat Doctor Angelicus 3. P. Q. 48. A. 4. *Ipſa ſatisfactio,* D. Thomas. *quâ quis ſatisfacit ſive pro ſe, ſive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo ſeipſum, vel alium redimit à peccatorum pœna: ſecundùm illud: Peccata tua eleëmoſynis redime.* Dicit: *Seipſum, vel alium redimit*; quia eleëmoſynarius, ſicut poteſt redimere animam propriam, ita & Purgantes in carcere Purgatorii. N. *Frange* ergò *eſurienti panem tuum, tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & anteibit* non tantùm *faciem tuam*, ſed faciem animarum Purgantium *juſtitia tua.* Ob defectum ſufficientis pœnitentiæ, in hac vita pro peccatis factæ, torquentur modò animæ in igneo carcere: cùm Divinæ juſtitiæ non poſſint ſatisfacere, niſi ſatiſpatiendo, expectant à nobis ſatisfactionem, indicantes nobis: *Eleemoſynis poſſe Deum placari.* Eleëmoſyna. Charitas, virtus eſt, quæ, juxta 1. Pet. 4. *Operit multitudinem peccatorum.* Petr. 4. 8. *Eleëmoſyna, ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit* Tobiæ 12. 9. *invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Tobiæ 12.

VI. In igneo carcere Purgatorii ardent animæ, igne, cujus flammis mate-

materiam ſubminiſtrat peccatum: ſi enim peccatum non eſſet, Purgatorium non eſſet. Quid poteſt extinguere ignem, niſi aqua? Quid extinguit ignem Purgatorii à peccato accenſum, niſi eleëmoſyna? *Ignem*
Eccli. 3. 33. *ardentem extinguit aqua, & eleëmoſyna reſiſtit peccatis*, inquit Eccleſiaſticus 3. Cap. Ad hæc verba dat ſua Lau-
S.Laur. Iuſt. rentius Juſtinianus: *Quàm validus eſt ignis, quando ardet; & tamen validior eſt aqua, quæ ignem extinguit: peccatum ignis habet vigorem; eleëmoſyna aqua habet liquorem: ſtat materia contra materiam; ſtat aqua contra ignem; ſtat eleëmoſyna contra peccatum.* Pugnat aqua cum igne; aqua extinguit ignem; ergò igne validior eſt aqua: pugnat eleëmoſyna cum peccato, & validior eſt peccato: quia *eleëmoſyna extinguit peccatum.* Si ergò velis N. ignem extinguere, quo cruciantur animæ patientes, eleëmoſynæ, aquis comparatæ, deſcendant in profundam illam abyſſum, & refrigerabunt afflictas & ardentes animas, & ignem extinguent. Ponderans Seraphicus Doctor verba Davi-
Pſal. 38. dis Pſal. 38. *Remitte mihi, ut refri-*
S.Bonav. *gerer, priuſquàm abeam*; ait: *Refrigeria animæ, ſunt eleëmoſynæ, quibus ab æſtu peccatorum refrigerantur: ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmoſyna reſiſtit peccatis.* Refrigeria animæ, ſunt eleëmoſynæ. Quot refrigeriis indigent animæ Purgatorii! Da eleëmoſynas; *Frange eſurienti panem tuum*, & dabis eis refrigerium grande: nam ignem ardentem, aqua eleëmoſynæ extinguet. Si hæc civitas noſtra tota foret in flammis (quod Deus avertat) & ipſe oculis tuis videres eam in cineres redi-gi, & unuſquiſque veſtrûm poſſet aquâ incendium extinguere putas quòd vel unus daretur in vobis, qui non impenderet ſe totum, ut tantum averteret malum? Perſuadeo mihi, quòd nulli parceret labori; imò omnes puteos, ciſternas, fontes, ſcaldim ipſum vellet exhaurire: & ſi ſecùs faceret, viſcera potiùs ferina, quàm humana habere diceretur. Nec civitas, nec domus, nec palatia ſed animæ, viva Dei templa, & thalami Altiſſimi, ardent in flammis. & in ſpiritu ardoris, & potes modico aquæ eas liberare ex iſto igneo carcere: & dedignaris interim illarũ ignem extinguere? Audi, quid de te dicat Iſaias, Propheta Evangelicus Cap. 58. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris ... eris quaſi hortus irriguus, & quaſi fons aquarum*: vult dicere Propheta: Dum quis, miſeratione ductus, pauperi famelico dat panem, & ſitienti potum, ſciat quòd fons ſit, fons perennis, irrigans, refrigerans, conſolans afflictas animas: & ſicut proprium eſt aquæ ignem extinguere, ſic, quoties eleëmoſynam dat pauperi in refrigerium animarum, toties aquam mittit in ignem Purgatorii, donec per multiplicatas eleëmoſynas extinguatur ignis, & animæ illæ gaudeant deſideratis refrigeriis, tranſeantque uſque ad domum Dei: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmoſyna reſiſtit peccatis.* Longiùs abit Apoſtolus, de eleëmoſyna diſſerens.

Iſaiæ 58. 10. ℣. 11. Eccleſ. 3.

VII. Hebræorum 13. 16. *Beneficentiæ, & communionis, nolite oblviviſci; talibus enim hoſtiis*, Textus Græcus legit: *Talibus enim ſacrificiis, promeretur*

Hebr. 13. Textus Græc.

meretur Deus. M. P. Auguſtinus Lib. 12. de Civit. Dei Cap. 6. verba Oſeæ: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*; cum his combinans, ait: *Ac per hoc, ubi dictum eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium; nihil aliud, quàm ſacrificium ſacrificio prælatum intelligo: nam miſericordia, & eleëmoſyna, verum eſt ſacrificium; unde dictum eſt: Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Notate: *Eleëmoſyna verum eſt ſacrificium*: & in memoriam revocate verba D. Chryſoſtomi Hom. 47. in Matt. ſuper his verbis: *Qui potum dederit calicem aquæ frigidæ*: ubi dicit: *Cogita, cui potum præbeas, & perhorreſcas: cogita, quòd Sacerdos Chriſti tui fias, cùm propriâ manu offeras Carnem, & Sanguinem; hoc eſt, panem, & aquæ frigidæ calicem.* Scio ſacrificium Miſſæ omnium ſuffragiorum eſſe potentiſſimum ex objecto, & genere ſuo; quia Chriſtus ibi offertur: ſcio in cruento ſacrificio, non *panem, & aquæ calicem* dediſſe, *ſed Carnem & Sanguinem ſuum*: & tamen nomine ſacrificii, inſignit eleëmoſynam: *Eleëmoſyna, verum eſt ſacrificium.* Quæ verba ut capiatis, legite Epiſtolam à S. P. Damiano ſcriptam; & dum legitis, obſtupeſcite: *Dominus Chriſtus dedit nobis eleëmoſynam, Corpus ſuum tradendo: demus nos pauperi eleëmoſynam, buccellam panis illi tradendo.* Si Corpus ſuum & Sanguinem dando, largam nobis eleëmoſynam fecit, infert: *Demus ergò & nos pauperi eleëmoſynam.* Videte quomodò cum Paſſione Chriſti ſimul eleëmoſynam ponit, quaſi diceret, quòd ſicut Salvator ſe offerens in ara Crucis, fecit nobis generalem redemptionem animarum à ſervitute diaboli, & culpæ: ita eleëmoſynarius eleëmoſynâ ſuâ, quæ *verum eſt ſacrificium*, faciat animarum redemptionem à pœna in carcere Purgatorii: *Dominus Chriſtus dedit nobis eleëmoſynam, Corpus ſuum tradendo: demus nos pauperi eleëmoſynam. Redemptio animæ, divitiæ. Dat pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat facere eleëmoſynam.*

S. Auguſt. — S. Chryſoſt. — S. Damianus.

VIII. Dices: Quomodò pretio adeò vili anima de Purgatorio redimitur? Anima, ad imaginem Dei creata, pretii eſt inæſtimabilis, ita ut in toto mundo non detur pretium ejus, teſte D. Chryſoſtomo de Pretio Animæ: *Scias nec univerſum quidem mundum eſſe pretium animæ.* Chriſtus in redemptionem animarum Carnem ſuam dedit & Sanguinem, pretium valoris infiniti: quomodò ergò modicâ eleëmoſynâ redimi poſſent animæ de pœnis Purgatorii? quò enim pœna eſt gravior, eò majus requiritur pretium; cùm ergò, juxta Auguſtinum: *Numquam in carne tanta inventa eſt pœna*, quomodò eleëmoſyna, aut aliud ſuffragium, eſſe poterit equivalens pretium? Peto: Quis ſervus non facilè eo redimi poſſet pretio; quo redemptus eſt Dominus ejus? *Non eſt ſervus major Domino ſuo.* Qualis anima poteſt, quoad valorem, Chriſto comparari? Quo pretio redemptus eſt Chriſtus? Lucæ 2. Sanctiſſima Mater ejus, & Joſeph, obtulerunt pro eo Domino *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Oblatio illa quædam eleëmoſyna erat, quâ Chriſtus redimebatur, inquit Mellifluus Serm. 3. de Purif. *Chriſtus avibus redimitur.* Cur non offertur

S. Chryſoſt. — S. Auguſt. — Ioan. 13. 16. — Lucæ 2. 24. — S. Bernardus.

offertur pro eo res majoris valoris? Cur in redemptionem ejus aurum, à Magis oblatum, non expenditur? Reſpondet ad hoc D. Paulinus Epiſt. 4. quòd, licèt Chriſtus fuerit valoris infiniti, voluerit tamen pretio redimi, ut ab omnibus emeretur: *Chriſtus nobis*, inquit, *hâc pietate pretioſior eſt, quòd ſe vili pretio vult æſtimari, ut ab omnibus ematur.* Ideò vili pretio redimi dignatur, ut homo vili pretio eleëmoſynæ redimere poſſet animas ex Purgatorio, licèt tanti ſint valoris. Ad hæc Paulini verba: *Vili pretio vult æſtimari, ut ab omnibus ematur*; formo argumentum: Chriſtus, ne quis ſe excuſet, quòd non habeat, undè ſibi illum acquirat, poteſt parvâ eleëmoſynâ, actu virtutis, & opere charitatis comparari: ſi pauper es, argentum & aurum non habens, nil refert, bonâ voluntate, ardenti deſiderio, actu amoris erga Deum, acquiri poteſt: uno opere charitatis, afflictos conſolando, infirmos viſitando propter Dei amorem, eum conſequi potes: *Vili pretio vult æſtimari, ut ab omnibus ematur.* Eo ergò pretio, quo Chriſtus haberi poteſt, anima ex Purgatorio redimi poteſt. Ne miremini NN. quòd Deus modicâ eleëmoſynâ animas ex Purgatorio redimi permittat, quia, quando quis in redemptionem animarum captivarum eleëmoſynam dat, tunc Deus illam ita acceptat, ac ſi à ſe in redemptionem earum data foret. Fortè vobis mira dico; tamen vera ſunt, quæ dico.

S. Paulinus.

IX. Joan. 6. Sequebatur Chriſtum multitudo magna, numero quaſi quinque millia: non habentibus illis, quod manducarent, dicit Salvator Philippo: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Cui Philippus: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* At Chriſtus, acceptis quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, factâ benedictione, cunctiſque diſcumbentibus, diſtribuit panes, & cùm impleti eſſent omnes, collegerunt Diſcipuli duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt. Factum miratur Euſebius Emiſſenus: res mira, inquit: *Certamen fit inter panes, & homines: homines manducant, panes creſcunt: vincunt panes, ſuperantur homines; illi ſufficiunt, iſti deficiunt: niſi manducare ceſſâſſent homines, fortaſsè* (notate) *in infinitum panes creſcerent.* Idipſum 3. Reg. 17. notat D. Chryſoſtomus in illa eleëmoſyna, à muliere Sareptana ſanctiſſimo P. N. Eliæ facta: *Vidua*, inquit, *ex modico paſcit* Eliam, *& idipſum finiri non poteſt.* Quis dabat pani virtutem illam, ut in tantùm creſceret, quaſi ad infinitum? Farina, ob Dei amorem data; inquit D. Chryſoſtomus. Virtute eleëmoſynæ, ob Deum factæ, ita multiplicabatur, ut finiri non potuerit: ut ſciant omnes, quòd eleëmoſyna pauperi data in refrigerium, & ſatisfactionem animarum Purgatorii, non habeat quaſi terminum; ſed quaſi valoris ſit infiniti: *Finiri non poterat*: in tantùm, ut ſi debitum animarum Purgantium ſit mille annorum, tanti valeat eleëmoſyna, quam facis: quia tranſit per Divinas manus: ſi bis mille, creſcit pariformiter valor eleëmoſynæ: undè ſi debitum foret quodammodò infinitum,

Joan. 6. 5. ꝟ. 7. Euſeb. Emiſſ. 3. Reg. 17. 15. S. Chryſoſt.

tum, in infinitum excreſceret potens eleëmoſyna. Do caſum in terminis.

X. Eccleſiæ Doctor D.Ambroſius Epiſt.33.ad Aletium: exponens, & toti mundo manifeſtans illius Nobilis Romani eleëmoſynas, in morte Rufinæ uxoris ejus factas,
S.Ambroſius. ſcribit illi: *Benedicta conjugis animam foviſti, in illam transfundente Chriſti manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur.* Dum tu, Aleti, magnificè munificâ manu tuâ in ſubſidium animæ dilectæ uxoris tuæ, in pauperes eleëmoſynas elargitus es, videbatur quidem manus tua illas eleëmoſynas effundere; ſed tamen manus erat Chriſti: *In illam transfundente Chriſti manu:* ſi ergò verum eſt, quòd manus Chriſti non faciat niſi operationes infinitas, utpotè infinita; ergò eleëmoſynæ noſtræ, quæ in redemptionem animarum erogantur in pauperes, *In illos transfundente Chriſti manu*, fiunt quaſi infinitæ, & valoris infiniti. *Redemptio animæ, divitiæ*: dico: Eleëmoſynæ. Felices parentes, felices uxores, & mariti, qui filios habent, uxores, aut maritos eleëmoſynarios! jam non dicam filios, uxores, aut maritos, ſed redemptores, qui parvo, meliùs dixero, magno pretio, *In illos transfundente manu Chriſti*, animas eorum de carcere redimunt. His ſuppoſitis, prælego vobis Epiſtolam, tam vobis, quàm Romanis ab Apoſtolo inſcriptam.

XI. Rom: 12. Illis, ut Sanctis in neceſſitatibus ſuis ſubveniant,
Rom. 12. 13. ſcribit: *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes.* Certum eſt, per Sanctos non intelligi Beatos in cœlo; quia non ſolùm non patiuntur neceſſitatem, ſed omni bono, & gaudio abundant. Si de hominibus indigentibus loqueretur, non diceret: *Neceſſitatibus Sanctorum*; ſed *Neceſſitatibus pauperum;* loquitur ergò indubiè de defunctis in Purgatorio, in extrema neceſſitate conſtitutis; qui omnes ſancti ſunt, utpotè in gratia confirmati, & impeccabiles. Non dicit: *Neceſſitatibus Sanctorum ſubvenite*; ſed: *Communicantes*; vel, ut cum Chryſoſt. loquar in Epiſt. ad
Rom. Hom. 21. *Oſtendens, quòd res* S. Chryſoſt.
iſta negotiatio eſt; eò quòd plus accipiant, quàm præſtent: vel cum Origene ibi, magìs ad rem noſtram:
quòd debeamus *Cenſum noſtrum cum* Origenes.
ipſis Sanctis quodammodo habere communem & meminiſſe Sanctorum in Collectis ſolemnibus: vel ut Gloſſa In-
terlinealis dicit: *Sanctis paſſis veſtra* Gloſſa
communia facite. Utinam reviviſcant primitivæ Eccleſiæ tempora, quibus Chriſtiani, neceſſitatibus Sanctorum communicantes, & defunctorum exequias celebrantes, convocabant pauperes, in quos largiſſimas eleëmoſynas elargiebantur! Do verba
Origenis in Job: *Celebrationis nimi-* Origenes.
rum religioſa cum Sacerdotibus, convocantes fideles, unà cum Clero invitantes, adhuc egenum, & pauperem, & pupillos, & viduas ſatiantes. Adeò exacti erant in hac ſancta & laudabili conſuetudine, ut peccare, & defunctorum animas gravare ſe crederent, dum exequias illorum celebrantes, ad illas pauperes non invitarant, aut in illos eleëmoſynas non fuerant elargiti: ita S.P. Chryſoſtomus Hom. 22. in Cap. 11. Epiſt.
1. Cor. *Sed ſi filii, vel fratris defuncti* S.Chryſoſt.
facis commemorationem, amara eſſes
con-

conſcientia, niſi conſuetudinem impleres, & pauperes congregares. Sed quales, obſecro, erant eleëmoſynæ, quæ in pauperes diſtribuebantur? Copioſiſſimæ, largiſſimæ. Teſtetur hoc Baronius Tom. 4. Anno 383. *Cum liberalis eſſe ſoleret fidelium erga pauperes omni tempore munificentia, in obitu tamen alicujus ex charis, erat effuſa.* O perverſa ſecula noſtra! O mores impios! Quales abuſus! Quales oſtentationes! Quales ſuperfluæ expenſæ! & quales in redemptionem animarum eleëmoſynæ? nullæ.

Baronius.

XII. Utinam hîc meo in loco ſtaret magnus Eccleſiæ Præſul D. Paulinus Nolanus Epiſcopus! Quàm excandeſceret in immiſericordes erga captivas animas modernos Chriſtianos! Quomodò illos ſuo damnaret exemplo! Sed cùm hîc fruſtra miracula requiram, loquantur pro eo duo Eccleſiæ Doctores; D. Gregorius Lib. 5. Dial. & S. Auguſtinus de Civitate Dei. Hujus viri charitas præcipuè celebratur, quòd, vaſtatâ a Gothis Campaniâ, omnem facultatem, ne relictis quidem ſibi rebus ad vitam neceſſariis, in alendos pauperes, & captivos redimendos contulerit. Quo tempore, ut ſcribit Auguſtinus, ex opulentiſſimo divite, voluntariè pauperrimus, & copioſiſſimè ſanctus, captus à barbaris, ſic Deum deprecabatur: *Domine, ne excrucier propter aurum, & argentum; ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis.* Poſteà verò, Wandalis eaſdem Regiones infeſtantibus, cùm ab eo poſceret vidua, ut filium ſibi redimeret, conſumptis rebus omnibus in officio pietatis, ſeipſum pro illo in ſervitutem tradidit, hortum colendi curam ſuſcipiens. Et tamen Præſul erat, optimè de Eccleſia meritus. Si tanta fecerit vir ſanctus, ut mancipium à ſervitute corporali redimeret, quanta fecerit, ut animas captivas, adeò à Deo dilectas, è carcere Purgatorii redimeret, ad tranſcundum in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei? Non requiro à vobis NN. ut vos in ſervitutem tradatis, vilia opera exerceatis ad redimendas animas: nec eò devenio, ut inducam vos ad ea, quæ fecit Euſebius Sardiniæ Dux; qui miſericordiâ motus erga has captivas, civitatem aliquam deputavit, ut omnes proventus illius cederent in redemptionem animarum; quam idcircò voluit civitatem Dei nominari: non requiro, ut domos veſtras vendatis; ſed ut ad minùs modicâ eleëmoſynâ captivas illas redimatis, ne confundant vos in judicio illi, qui vix ullam de hoc carcere notitiam habuerunt: ne ſurgant contra nos in judicio Æthiopes, qui anno 1626. audito Ducis Sardiniæ exemplo, decimam partem bonorum in redemptionem animarum expenderunt. Quid ad hæc Chriſtiani hujus ſeculi, in Eccleſiæ gremio educati, adeò erga captivas animas avari, tenaces, & crudeles, ut non ſolùm decimam, ſed ne milleſimam quidem partem darent ad redimendam animam; imò ne vel aſſem quidem? O verè paucos, in Chriſtianiſmo, redemptores animarum! Exaltet iterum vocem ſuam ſuper hac duritie Rex David.

S. Gregorius
S. Auguſt.
S. Paulinus.

XIII. Pſal. 48. Totum mundum inclamat, ut audiant univerſi rem execrandam: *Audite hæc omnes Gentes; auribus percipite, qui habitatis* Pſal. 48. 2.

terram: audiant omnes, quotquot vivunt aures aperiant, & in corde ſuo conſervent ea, quæ dicturus ſum: audiant me juſti; audiant injuſti; non ſolùm pauperes, ſed & divites; non ſolùm amici, ſed & alienigenæ: *Quique terrigenæ, & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper*. Audite oraculum: *Frater non redimit; redimet homo?* M. P. Auguſtinus hæc verba aſſumens, videtur animas Purgantes alloqui, adeò quadrant illis: *Expectas ut homo te redimat? Si te frater non redimit, homo te redempturus eſt? Nullus homo te redempturus eſt*. Si frater non redimat fratrem, pater filium, filius patrem, quomodò alienos? Quomodò alieni te redíment? *Nullus homo te redempturus eſt*. Sic M. Auguſtinus convincit te, Chriſtiane. Quid replicas ad hæc? dicis: Quid ſcio an animæ parentum, aut amicorum meorum adhuc ſint in Purgatorio, & meis indigeant eleëmoſynis? Fortè jam tranſierunt uſque ad domum Dei. Illa incertitudo non debet, nec poteſt ab eleëmoſynis te retrahere; in quocumque ſint ſtatu, miſericordia tua ſemper ſuum ſortietur effectum; in cœlo ſint, eleëmoſynæ tuæ & preces, non ſuffragia, ſed gratiarum actiones erunt, quas reddes Deo pro illis: quid nobilius? quid excellentius? Si adhuc in Purgatorio, propitiationes erunt, quæ movebunt Deum, & rigorem juſtitiæ ejus: ſi in inferno ſint, erunt quidem eleëmoſynæ tuæ tam ſpirituales, quàm corporales ipſis inutiles; ſecùs autem tibi: quia *Oratio mea in ſinum meum revertetur*: ergò non habes ex illo capite, undè te eximas: ſi replices, quòd ipſe pauper ſis, nec habeas, undè eleëmoſynas des; vellem quidem deſuper audire rationes tuas: ſed non eſt neceſſe, ut te publicè confundas: S. Baſilius ſcit illas memoriter: alloquitur te Hom 6. ex Variis: *Occurſum pauperis vitas, ne fortè aliquid vel modicum coactè é manibus exeat; unam tantùm noſti vocem: Non habeo: Non dabo, nam & ego pauper ſum*. Et ſtatim ſubjungit: *Pauper, inquam, es charitate; pauper benignitate in egenos; pauper fide erga Deum; pauper æternâ ſpe*. Ulteriùs te aggreditur: *Si audieris: Vende quæ habes, & da pauperibus, ut habeas vitam æternam; abis triſtis: at ſi audieris: Vende quæ habes, & da mulieribus pecuniam, vel delitiis; gaudes, quaſi rem pecuniâ pretioſiorem aſſequaris*. Quando Deus Iſaiæ 48. mandabat: *Frange eſurienti panem tuum*, ut bene obſervat Sol Doctorum: *Non dixit, ut integrum panem dares; cùm fortè pauper ille alium non haberet: ſed frange inquit; hoc eſt dicere: Etiamſi tanta tibi paupertas ſit, ut non habeas niſi unum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi frange*. Si ex unico, qui tibi reſtaret, pane, oporteat partem dare pauperi, ad quid tenereris, ſi dives eſſes, & abundares panibus? Si adeò compati oporteat pauperi adhuc viventi, quantò magis compati debes pauperibus captivis, ut in redemptione earum des partem, ex millibus, quæ poſſides? Si non facias; ſi non redimas; dico tibi cum Iſaia Cap. 3. *Rapina pauperis eſt in domo veſtra*. Si filii (ut Canones dicunt) patrem de vinculis carceris deducere, & ſolvere negligant, pater poteſt eos exhæredare. Ex his argumentatur Meffret Serm. de Mort.

Margin notes: ✝. 3. — S. Auguſtin. — Pſalm. 34. 13. — S. Baſilius. — Iſaiæ 48. — S. Auguſt. — Iſaiæ 3. 14.

Et

Meſſrea. *Et ille, qui ſcit patrem ſuum, propter debita contracta, eſſe in vinculis pœnarum, & ipſum non curat ſolvere, cœleſti hæreditate ſpolietur, & tamquàm invaſor rei alienæ puniatur.* Si hæc te non moveant, ut eleemoſynis tuis animas redimas, non habeo ultrà, quod addam.

XIV. Eſto ergò, quòd non habeas undè animas redimas; ſi non poſſis eleëmoſynis corporalibus, redime ſaltem ſpiritualibus; ſi non habeas, quod haurias ex theſauro tuo, hauri in earum redemptionem ex theſauro Eccleſiæ; de quo Sap. 7. 14. *Infinitus eſt theſaurus, quo qui benè uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Hic eſt theſaurus, de quo Chriſtus in Evangel. Matth. 13. 43. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro*: in hoc continentur omnia merita Chriſti Redemptoris noſtri, quorum vel unum, ut ita loquar, ſufficiens erat ad redimendum mundum univerſum; quia humanitas ejus erat Divinitati Hypoſtaticè unita; conſequenter omnis actio, omnis paſſio, omnis gutta Sanguinis ejus, utpotè Perſonæ infinitæ, erant meriti infiniti: teſtante Davide Pſalm. 129. 7. *Copioſa apud eum redemptio.* Præter merita Chriſti, in illo continentur omnia merita Matris Dei, quæ adeò excedunt, *Ut ex ſuo redundante totus hauriat mundus.* Præter illa, ibi poſita ſunt merita omnium Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Sanctorum, tamquàm in Gazophylacio Eccleſiæ; non ſolùm ut nobis viventibus proſint, ſed & defunctis, in ſatisfactionem pœnarum Divinæ juſtitiæ debitarum. Theſaurus hic ob merita Chriſti, *In quo ſunt omnes theſauri*; & ſatisfactiones ejus, quas Apoſtolus Epheſ. 2. 7. vocat: *Abundantes divitias gratiæ*, quas Pater oſtendit *In bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu*: quas vocat ibidem Apoſtolus; *Inveſtigabiles divitias.* Undè in Extravagante Clementis 8. *Quantùm ergò exindè, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſauro militantis Eccleſiæ acquiſivit; volens ſuis theſaurizare filiis pius Pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominum; quo qui benè uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti.* Sic ut obindè redemptio noſtra à Gregorio Nazianzeno meritò vocetur Oratione 42. *Numquam intermoritura expiatio.* De Chriſti Sanguine, ejuſque infinita redemptione Iſaias Cap. 12. diſſerens, ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: premite verbum *Haurietis*, & conferte cum illis, quæ dicit Apoſtolus Hebr. 9. 26. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata.* Quando Apoſtolus agit de valore ſatisfactionum Chriſti, verbo utitur *exhaurire*; quod ſignificat evacuare: *Ad multorum exhaurienda peccata.* At quando notificat Iſaias modum, quo earum participes reddimur, verbo utitur haurire: *Haurietis aquas*: quia theſaurus ſatisfactionum Chriſti, eſt adeò immenſus, ut ſive diſpenſetur per Indulgentias, ſive per Sacramenta, ſemper evacuetur debitum pœnæ, numquam theſaurus ex-

Marginalia: Sapient. 7. 14. — Matth. 13. 43. — Pſalm. 129. 7. — S. Bernardus. — Col. 2. 3. — Epheſ. 2. 7. — Epheſ. 3. 8. — Extravag. Clement. 8. — S. Gregorius Nazianz. — Iſaiæ 12. 3. — Hebr. 9. 26.

exhauriatur ; quia vix attingimus minimam particulam. Baptizatur aliquis: *Haurit, ſed non exhaurit aquas de fontibus Salvatoris*. Confitetur aliquis multitudinem peccatorum mortalium, eorumdem veniam obtinet, & à debitis pœnis æternis liberatur: quid facit ille? *Haurit, ſed non exhaurit aquas de fontibus Salvatoris*. Conceduntur Indulgentiæ plenariæ contritis & confeſſis; concurrunt multi, ut lucrentur tantum theſaurum: quid faciunt illi? *Hauriunt, ſed non exhauriunt aquas de fontibus Salvatoris*: ſed Indulgentia conceditur *Ad multorum exhaurienda peccata*; quia eſt ordinata, ut pœna peccatis debita plenè remittatur; manente tamẽ in ſua plenitudine theſauro infinito Eccleſiæ. Chriſtiane, jam ego verbum ad te habeo: ſi non habeas quod captivis noſtris in earum redemptionem des è theſauro tuo, en in Eccleſia *Infinitus eſt theſaurus*, è quo haurias eis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ad earum exhaurienda peccata: hoc eſt, ut pœna, peccatis earum debita, plenè illis remittatur. Neſcis fortè modum, quo indè haurias?

XV. Clavem infiniti hujus theſauri dedit Chriſtus ſummo Pontifici, ſuo in terris Vicario, qui tamen aliter nobis, aliter animabus illum diſpenſat: nobis viventibus *Per modum abſolutionis*: Animabus *Per modum ſuffragii ſeu ſolutionis*. Aliud eſt *abſolvere*, aliud *ſolvere*. *Abſolvere*, ad judicem ſpectat, qui inſpectam cauſam definit, & ſententiam dicit. *Solvere*, poteſt unuſquiſque, aut de ſuo, aut de publico. Ad abſolvendum, requiritur authoritas, & juriſdictio: ad ſolvendum, ſufficit parata ſolutio. Sit aliquis propter debita incarceratus; ſi quis pro ipſo debita ſolvat, *ſolvere* dici poteſt; non *abſolvere*. Eadem eſt differentia inter Indulgentiam, quæ pro vivis conceditur, & quæ pro defunctis: vivis illam concedit Pontifex *Per modum abſolutionis*; quia illi ſubjecti ſunt clavibus ejus, & judex eorum eſt; undè virtute ſupremæ ſuæ juriſdictionis eos abſolvit: ſed defunctis *Per modum ſuffragii, ſeu ſolutionis*; quia, cùm ſint *Extra territorium*, & non ſubditi, non poteſt aliud facere, quàm de theſauro Eccleſiæ (cujus claves habet, & diſpoſitionem) ſolvere debita illorum, & pro eis Deo pretium offerre; quas ut judex tunc, *Per modum abſolutionis*, de carcere liberat. Ergò, Chriſtiane, potes ad apertionem hujus theſauri ſolvere ab animabus captivis contracta debita, eumque Deo pro eis offerre, quas tunc judex, adimpletis à te conditionibus, de carcere liberabit.

XVI. Exod. 17. 2. Sitiens in deſerto electus Dei populus, ait Moyſi: *Da nobis aquam, ut bibamus*. Exod. 17. 2. Videns Moyſes terram aridam, conſulit Dominum; qui ait Moyſi: *Antecede populum, & tolle virgam in manu tua, & vade ſuper Horeb: en ego ſtabo ibi coram te; percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus*. Vers. 5. Miraculum per ſecula æterna commendandum. Sed *Omnia in figura*, inquit Apoſtolus, *contingebant illis*. 1. Cor. 10. 11.

Deſertum

Deſertum aridum, via ad terram promiſſionis, figurabat Purgatorium, viam ad cœlum: ſitiens electus populus, ſitientes, ardentes, & Purgantes animas: Moyſes Vice-Deus in terra, & ſupremus Dux populi, Pontificem Chriſti Vicarium, ſupremum Eccleſiæ Paſtorem: virga Moyſis, claves Petri: petra percuſſa, Chriſtum flagellatum, & 1. Cor. 10. 1. vulneratum: *Petra autem erat Chriſtus:* aqua, quæ de petra fluxit, Indulgentiarum, & Chriſti ſatisfactionum theſaurum ſignificat, qui à ſummo Pontifice vi clavium, non ſolùm nobis, ſed & captivis animabus, ad Deum, fontem vivum, ſitientibus aperitur, & diſpenſatur.

Pſalm. 77. 23. Sed quæro, cur Deus, ſicut *Mandavit nubibus deſuper, & januas cœli aperuit; & pluit illis Manna ad manducandum*; cur etiam nubes pluviam non dederint, & aquam ad bibendum; ſed ex percuſſâ petra aquæ fluxerint? Aquæ nubium inſtabiles ſunt, & incertæ; ſæpè à Prov. 25. 14. vento diſſipatæ: *Nubes, & ventus, & pluviæ non ſequentes*; inquit Sapiens: ſed quæ de petra fluunt, infallibiliter fluunt: & ſecundùm Mellifluum, gratias ſignificant, quæ ex vulneribus Chriſti infallibili certitudine in nos diffunduntur: D. Bernardus. *Quid non boni in petra?* inquit ille; *In petra ſecurus; in petra firmiter ſto. Et reverà, ubi tuta firmaque ſecuritas infirmis, niſi in vulneribus Salvatoris?* Ecce modò myſterium, cur voluerit Deus, ut de percuſſâ, virgâ Moyſis, petra electus populus in arido deſerto haberet refrigerium: nempè ut ſcirent omnes, quòd theſaurum meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, per Indulgentias in refrigerium animarum, non ſolùm per ſe, ſed & per Vicarium ſuum diſpenſet. Hauri ergò, hauri aquas de fontibus Salvatoris, ut per illas in gaudio animæ captivæ tranſeant uſque ad domum Dei; quia quantumcumque grande debitum dimittitur ad apertionem Gazophylacii Eccleſiæ.

XVII. Joannis 8. 9. Mulierem quandam in adulterio deprehenſam, ad Chriſtum adducunt Scribæ & Phariſæi, dicentes: *Hæc mulier* Joan. 8. 4. *modò deprehenſa eſt in adulterio*; ſecundùm leges noſtras debet lapidari: quid dicis? Chriſtus *Inclinans* Verſ. 6. *ſe, digito ſcribebat in terra.* Quærunt interpretes quid ſcripſerit Chriſtus. Aliqui dicunt: *Scribebat de-* S. Ambroſius. *licti veniam.* D. Ambroſius: quòd Chriſtus, cognitâ nequitiâ eorum, ſcripſit: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & poſteà educes feſtucam de oculo fratris tui.* Ergòne Phariſæorum peccata Salvator trabem, & adulterium mulieris, quod thorum matrimonialem contra legem humanam, & divinam maculat, feſtucam vocat? Lex erat à Deo lata Levitici 20. 11. *Morte* Levit. 20. 11. *moriantur mœchus, & adultera.* Item Deut. 22. 22. *Si dormierit vir* Deut. 22. 22. *cum uxore alterius, uterque morietur; & adulter, & adultera lapidibus obruentur.* Cur ergò non mandat Salvator, ut ſecundùm legem lapidetur? Econtrà, dicit: *Nec* Joan. 8. 11. *ego te condemnabo.* Cur tantâ benignitate omnem debitam ei pœnam dimittit? Mulier per vehementem dolorem, ac ingentem contritionis actum, ſibi à Chriſto interiùs

inſuſum, promeruit obtinere veniam, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ. Quoad veniam pœnæ, aliam notant circumſtantiam DD. Ambroſius, & Hieronymus: ille in

S. Ambroſius. hunc locum: *Hoc adulteræ judicium, in templo Dei poſitus exercet; ſicut ſcriptum eſt infrà: Hæc verba locutus eſt Jeſus in Gazophylacio. Quid eſt Gazophylacium? Collatio fidelium; ſumptus pauperum.* Et D.

S. Hieronymus. Hieronymus: *Gazophylacia appellantur, quæ plena ſunt ſpiritualibus divitiis.* Ad Gazophylacium, mortis pœnam dimittit. Si umbra theſauri Eccleſiæ, & Indulgentiarum, adeò efficax eſt, quid ipſæ facient Indulgentiæ, & theſaurus ipſe? Dum quis uni animæ captivæ applicat Indulgentiam plenariam; dum ei haurit aquas de fontibus Salvatoris, id eſt, virtutem Sanguinis Chriſti, audit illa à Divino judice: *Nec ego te condemno*: & ſcribit delicti veniam. N. N. mei, qui ad Eccleſiæ Gazophylacium ſtatis, captivæ animæ, quæ in carcere Purgatorii detinentur, & non ſunt ſolvendo niſi per ſatiſpaſſionem, per plenarias, aut temporaneas Indulgentias, expectant, & ſupplicant ſuam per vos redemptionem; ut pretio Sanguinis Chriſti debitum illarum ſolvatis, & eas de duro illo carcere liberetis: habetis theſaurum ad manum, ſolummodò oportet vos illam extendere, & tantum haurire, quantum ad redemptionem earum requiritur. Eccleſiæ theſaurarii ſatis largi & liberales ſunt, ut theſaurum illum in redemptionem earum aperiant; & vos adeò avari, & parci eſtis, ut non de veſtris, ſed ne de alienis quidem divitiis, quæ nullo vobis aut dolore, aut labore conſtiterunt, vel partem eis mittere dignemini. Sanctorum merita, Mariæ Matris Dei, ejuſque Filii Redemptoris noſtri, in theſauro Eccleſiæ, ſpecialiter in redemptionem earum, repoſita ſunt; illi laborârunt, ſudârunt, crucifixerunt ſe: *Vos in labores eorum introîiſtis*: non veſtrum, ſed ſanguinem illorum; Joan. 4. 38. non veſtras, ſed cruces illorum; non veſtram, ſed illorum pretioſam mortem in captivarum animarum redemptionem offertis. Et ne quis diceret theſaurum hunc in Eccleſia eſſe abſconditum, ne quis excuſationem prætexat, repoſitus eſt in Roſariis, numiſmatibus, &c. cum Indulgentiis extraordinariis, & plenariis; Ibi, ibi eſt theſaurus; unumquodque *Ave Maria* gemma eſt, margarita eſt, valoris inæſtimabilis; numiſmata, monetæ aureæ ſunt, quibus debitum illarum ſolvitur. In variis Eccleſiis, in quibus extant ſeptem Altaria Privilegiata, ſervatis ſervandis habetis theſaurum, eaſdem ſcilicet omnes Indulgentias, quas lucrari licet in Baſilica ſancti Petri Romæ. Habetis Confraternitates SS. Trinitatis, S. Roſarii, S. Scapularis; habetis Dominicas menſtruas cum Indulgentiis plenariis; Communiones generales, &c. verbo dictum, in manibus veſtris eſt redemptio illarum: patet theſaurus; non eſt, quòd vos excuſetis: Deus ipſe conqueritur, quòd ad tam patentem theſaurum animæ captivæ non redimantur.

XVIII.

XVIII. Jeremiæ 8. 21. Exiſtente populo Dei ob gravia peccata in ſervitute Babylonica, & à Babyloniis, & Chaldæis anguſtiato, oppreſſo, & depauperato: revelat Deus Jeremiæ diſplicentiam, & afflictionem, quam ſentiebat, eò quòd nullus populo ſuo in
Jeremiæ 8. 21 tantis malis ſuccurreret: *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus: ſtupor obtinuit me. Numquid non eſt reſina in Galaad? aut Medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Notat hîc D. Hie-
S. Hieronymus. ronymus, quòd *In afflictione Jeruſalem, Deus videtur afflictus: & miratur, quare vulnera Jeruſalem nequaquam curata ſint, eò quòd non ſint Prophetæ, nec Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine.* Notandum hîc quòd filii Iſraël in iſtam captivitatem Babylonicam non ob leves aliquas, ſed graviſſimas culpas ceciderint; ſignanter ob idololatriam, à qua non deſiſtebant, nec convertebantur: *Con-*
Jerem. 6. 16. *fuſi ſunt*, inquit ſacer Textus, *quia abominationem fecerunt*: quin imò *Confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Et tamen, quantumcumque fuerint perverſi, & obſtinati, ob illorum afflictionem affligebatur Deus, & ob dolores dolebat: quin imò deplorans deplorabat, quòd non eſſent Prophetæ, aut Sacerdotes, quorum poſſent curari medicamine: deſiderans illos videre liberatos, & priſtinis divitiis redditos. Quantò ergò magìs Deum putatis compati captivis animabus, dilectis ſponſis ſuis, & conqueri de nobis, quòd tam negligentes ſimus in redemptione captivarum animarum, cùm theſaurum nobis reliquerit infinitum, quo illam procurare poſſemus? Quanta confuſio pro Chriſtianis! Non miremini, quòd hoc dicam.

XIX. 2. Reg. 21. 6. Gabaonitæ exacerbati in inimicos ſuos, petunt à Davide totam illorum ſtirpem deleri per totum Iſraël. Quinam illi? Filii Saülis: *Dentur*, 2. Reg. 21. 6.
inquiunt, *nobis ſeptem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos*; tunc erimus contenti. Tradidit illos Rex, & ait: Facite cum illis ut vultis. Gabaonitæ ſtatim *Crucifixerunt eos.* Reſpha concubina Saül, Verſ. 9.
compaſſione mota, *Tollens cilicium, ſubſtravit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo; & non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* Pudore ſuffundor hæc legens: interim audite Bachorium in Ep. ad Januarium, quid hæc mulier ibi fecerit, & quid intenderit: *Mulier Reſpha corpora de-* Bachorius.
functorum cuſtodivit, donec eis roraret aqua de cœlo; id eſt, donec pro venia eorum miſericordiæ cœleſtis ſtilla difflueret. Vigilans mulieris hujus cuſtodia non ſolùm ſe extendebat ad corpora filiorum Saül, ſed ad animas; tantùmque fecit, ut non diſceſſerit de loco iſto, *Donec pro venia eorum miſericordiæ cœleſtis ſtilla diffueret.* Auditis hæc, Chriſtiani, & dum auditis non erubeſcitis? Non exigo à vobis, ut cum Reſpha inter fœtentia cadavera ſub patibulo ſedeatis, aut cilicium induatis; hoc tantùm rogo, ut ſaltem ex theſauro Eccleſiæ tot

Indulgentias lucremini, donec pro venia eorum miſericordiæ cœleſtis ſtilla diffluat. N.N. mei, permittite mihi, ut per ſanctos Angelos afflictis captivis animabus nuntiem, vos cives N. reſolviſſe, lucrando Indulgentias, eas redimere: teſtenturque nomine veſtro, quòd *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: quòd ex theſauro illo infinito, in refrigerium & redemptionem earum, illis applicaturi ſitis Indulgentias, ut tranſeant uſque ad domum Dei, & æterna requieſcant in pace.

XX. Matth. 26. 41. Ingreſſus Jeſus cum Petro, Joanne, & Jacobo, in hortum Gethſemani, Paſſioni ſuæ initium daturus, dormientibus illis, ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* At illi ita oppreſſi ſunt ſomno (*Erant enim oculi eorum gravati*) ut excitare vix eos potuerit. Cùm autem prolixiùs oraret, *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis per terram*: Sanguineo illo ſudore finito, converſus ad Diſcipulos, ait illis: *Dormite jam, & requieſcite.* Quid eſt, obſecro, quòd poſt ſudorem illum Sanguineum dormire eos ſinat, quos antè adeò ſollicitè vigilantes voluit? Straverat illis hâc Sanguinis effuſione quaſi lectum mollem, quo dormirent ſecurè. Idipſum dico vobis Animæ captivæ: *Dormite jam, & requieſcite*: ſtratus eſt lectus ad requiem veſtram in Eccleſiæ theſauro relictus eſt fructus Sanguinis Chriſti. Vos N. N. ritè diſpoſiti lucremini Indulgentias, & applicate eas illis, ut tranſeant uſque ad domum Dei, ibique dormiant in dulciſſimo ſomno perpetuo; ſi fortè non ſunt hodie lucrandæ Indulgentiæ, ad minùs dicite: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis*: orate Deum, ut *æterna Requieſcant in pace.*

Matth. 26. 41. — Verſ. 43. — Lucæ 22. 44. — Matth. 26. 45.

SERMO NONUS

DE CARCERE PURGATORII.

Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

Efficaciſſimum medium redimendi animas captivas, eſt Miſſæ ſacrificium. Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri; undè una eſt eis pœna, hâc eſcâ privari: illius virtute cadunt catenæ de manibus earum; juxta illud Pſalm. 145. *Dat eſcam eſurientibus, Dominus ſolvit compeditos.*

S. Auguſtinus. I. BEne dictum eſt ab Auguſtino: *Dat pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat eleëmoſynas facere. Eleëmoſyna* enim *eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam*: Tobiæ 12. 9. ſicut

ſicut herì Raphaël ad Tobiam. *Talibus hoſtiis promeretur*, id eſt, placatur *Deus*. Eleëmoſyna verum ſacrificium eſt, quo redimuntur Purgantes animæ, & debitum earum ſolvitur. Ne quis mihi iterùm replicet, quomodò anima pretii inæſtimabilis, modico etiam pretio redimi poſſit de pœnis Purgatorii; quia iterùm reſponderem illi, quòd, ſicut Chriſtus, licèt valoris infiniti, ideò avibus redemptus eſt, ut ab omnibus ematur; ſic etiam modico pretio redimi velit animas, ut ab omnibus redimantur: neque hoc adeò mirum videatur; quia Deus eleëmoſynam noſtram ita acceptat, ac ſi à ſe in redemptionem earum data foret: undè eleëmoſynæ fiunt quaſi valoris infiniti; uti Aletio

S. Ambroſius. ſcribebat D. Ambroſius: *In illas transfundente Chriſti manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur.* His

Rom. 12, 13. poſitis, iterùm rogo, ut ſitis *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes*:

Gloſſa. id eſt, *Sanctis paſſis veſtra communia facite*, primæ vos Chriſtianos imitantes, qui defunctorum exequias celebrantes, pauperes convocabant, egenos, pupillos, & viduas ſatiantes. Si dicatis vos pauperes, & nihil habere, quod de theſauro veſtro detis, ſaltem de infinito theſauro Eccleſiæ, in redemptionem illarum, date eleëmoſynas ſpirituales: *Haurite aquas de fontibus Salvatoris*, ad exhaurienda eorum peccata, id eſt, pœnas peccatorum: quantumcumque haurietis, numquam exhaurietis aquas de fontibus Salvatoris. Patet vobis theſaurus, ſolummodò oportet manus extendere, & tantum haurire, quantum ad redemptionem earum requiritur. Theſaurarii Eccleſiæ, Chriſti Vicarii, indies largiuntur Indulgentias, ita ut quaſi in manibus veſtris ſit earum redemptio. Non eſt, quòd vos excuſetis, Deus ipſe conqueritur, quòd ad tantum theſaurum animæ captivæ non redimantur; non minùs vobis exprobrans, quàm Jeremiæ 8. populo ſuo: *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus; ſtupor obtinuit me.* Jeremiæ 8. *Numquid non eſt reſina in Galaad? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Numquid non eſt pretium in theſauro Eccleſiæ meæ, quo redimatur de captivitate ſua contritus & contriſtatus populus meus? *Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Cur igitur non hauriunt aquas, in gaudium & redemptionem earum, de fontibus Salvatoris? Quare non ſubſternunt ſe cum Reſpha ſupra vivam petram, quæ eſt Chriſtus, donec eis roraret aqua de cœlo? *Donec pro venia eorum miſericordiæ cæleſtis ſtilla difflueret*, ut tranſeant Bachorius. uſque ad domum Dei? N. N. mei, ſi in vobis fides eſt, ſi charitas, cùm in manu veſtra quodammodò ſit earum redemptio, cùm pateat Eccleſiæ theſaurus, & ſuffragiis abundetis, nunciate illis per Angelos: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Si id verè intendatis, hodie vobis aſſignabo omnium ſuffragiorum efficaciſſimum, in quo audient: *Surge velociter*: ſurge in requiem æternam. Salutemus priùs eam; quæ ſecundùm D. Bernardum, *Sedentibus in tenebris, &* S. Bernardus. *umbra*,

Indulgentias lucremini, donec pro venia eorum miſericordiæ cœleſtis ſtilla diffluat. N. N. mei, permittite mihi, ut per ſanctos Angelos afflictis captivis animabus nuntiem, vos cives N. reſolviſſe, lucrando Indulgentias, eas redimere: teſtenturque nomine veſtro, quòd *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: quòd ex theſauro illo infinito, in refrigerium & redemptionem earum, illis applicaturi ſitis Indulgentias, ut tranſeant uſque ad domum Dei, & æterna requieſcant in pace.

XX. Matth. 26. 41. Ingreſſus Jeſus cum Petro, Joanne, & Jacobo, in hortum Gethſemani, Paſſioni ſuæ initium daturus, dor-
Matth. 26. 41. mientibus illis, ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* At illi ita oppreſſi ſunt ſomno
Verſ. 43. (*Erant enim oculi eorum gravati*) ut excitare vix eos potuerit. Cùm
Luc. 22. 44. autem prolixiùs oraret, *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis per terram*: Sanguineo illo ſudore finito, converſus ad Diſcipulos, ait illis: *Dormite jam, & requieſcite.* Matth. 26. 45. Quid eſt, obſecro, quòd poſt ſudorem illum Sanguineum dormire eos ſinat, quos antè adeò ſollicitè vigilantes voluit? Straverat illis hâc Sanguinis effuſione quaſi lectum mollem, quo dormirent ſecurè. Idipſum dico vobis Animæ captivæ: *Dormite jam, & requieſcite*: ſtratus eſt lectus ad requiem veſtram in Eccleſiæ theſauro relictus eſt fructus Sanguinis Chriſti. Vos N. N. ritè diſpoſiti lucremini Indulgentias, & applicate eas illis, ut tranſeant uſque ad domum Dei, ibique dormiant in dulciſſimo ſomno perpetuo; ſi fortè non ſint hodie lucrandæ Indulgentiæ, ad minùs dicite: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis*: orate Deum, ut æterna Requieſcant in pace.

SERMO NONUS

DE CARCERE PURGATORII.

Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12.

Efficaciſſimum medium redimendi animas captivas, eſt Miſſæ ſacrificium. Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri; undè una eſt ejus pœna, hâc eſcâ privari: illius virtute cadunt catenæ de manibus earum; juxta illud Pſalm. 145. *Dat eſcam eſurientibus, Dominus ſolvit compeditos.*

I. Bene dictum eſt ab Auguſti-
S. Auguſtinus. no: *Dat pretium redemptionis animæ, qui non ceſſat eleëmoſynas facere. Eleëmoſyna* enim *eſt, quæ* Tobiæ 12. 9. *purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam*: ſicut

ſicut herì Raphaël ad Tobiam. *Talibus hoſtiis promeretur*, id eſt, placatur *Deus*. Eleëmoſyna verum ſacrificium eſt, quo redimuntur Purgantes animæ, & debitum earum ſolvitur. Ne quis mihi iterùm replicet, quomodò anima pretii inæſtimabilis, modico etiam pretio redimi poſſit de pœnis Purgatorii; quia iterùm reſponderem illi, quòd, ſicut Chriſtus, licèt valoris infiniti, ideò avibus redemptus eſt, ut ab omnibus ematur; ſic etiam modico pretio redimi velit animas, ut ab omnibus redimantur: neque hoc adeò mirum videatur; quia Deus eleëmoſynam noſtram ita acceptat, ac ſi à ſe in redemptionem earum data foret: undè eleëmoſynæ fiunt quaſi valoris infiniti; uti Aletio
S. Ambroſius. ſcribebat D. Ambroſius: *In illas transfundente Chriſti manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur.* His
Rom. 12, 13. poſitis, iterùm rogo, ut ſitis *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes*:
Gloſſa. id eſt, *Sanctis paſſis veſtra communia facite*, primævos Chriſtianos imitantes, qui defunctorum exequias celebrantes, pauperes convocabant, egenos, pupillos, & viduas ſatiantes. Si dicatis vos pauperes, & nihil habere, quod de theſauro veſtro detis, ſaltem de infinito theſauro Eccleſiæ, in redemptionem illarum, date eleëmoſynas ſpirituales: *Haurite aquas de fontibus Salvatoris*, ad exhaurienda eorum peccata, id eſt, pœnas peccatorum: quantumcumque haurietis, numquam exhaurietis aquas de fontibus Salvatoris. Patet vobis theſaurus, ſolummodò oportet manus extendere, & tantum haurire, quantum ad redemptionem earum requiritur. Theſaurarii Eccleſiæ, Chriſti Vicarii, indies largiuntur Indulgentias, ita ut quaſi in manibus veſtris ſit earum redemptio. Non eſt, quòd vos excuſetis, Deus ipſe conqueritur, quòd ad tantum theſaurum animæ captivæ non redimantur; non minùs vobis exprobrans, quàm Jeremiæ 8. populo ſuo: *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus; ſtupor obtinuit me.* Jeremiæ 8.
Numquid non eſt reſina in Galaad? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Numquid non eſt pretium in theſauro Eccleſiæ meæ, quo redimatur de captivitate ſua contritus & contriſtatus populus meus? *Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Cur igitur non hauriunt aquas, in gaudium & redemptionem earum, de fontibus Salvatoris? Quare non ſubſternunt ſe cum Reſpha ſupra vivam petram, quæ eſt Chriſtus, donec eis roraret aqua de cœlo? *Donec pro venia eorum miſericordia cœleſtis ſtilla difflueret*, ut tranſeant Bachorius.
uſque ad domum Dei? N. N. mei, ſi in vobis fides eſt, ſi charitas, cùm in manu veſtra quodammodò ſit earum redemptio, cùm pateat Eccleſiæ theſaurus, & ſuffragiis abundetis, nunciate illis per Angelos: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Si id verè intendatis, hodie vobis aſſignabo omnium ſuffragiorum efficaciſſimum, in quo audient: *Surge velociter*: ſurge in requiem æternam. Salutemus priùs eam; quæ ſecundùm D. Bernardum, *Sedentibus in tenebris, &* S. Bernardus.

umbra mortis, *obtinuit redemptionem. Ave Maria.*

II. Petrus ex lumine, quod refulſit in habitaculo, necdum de ſomno excitatus, tandem ab Angelo percuſſus excitatur: *Percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge, ſurge velociter: &* ecce *Ceciderunt catenæ de manibus ejus.* N. N. audiſtis animas noſtras captivas, dormientes in ſomno pacis, à Divina juſtitia percuſſas interiùs per remordentem conſcientiam, eis ob commiſſa in vita peccata exprobrantem: *Ubi eſt Deus tuus?* exteriùs, per ſpiritum ardoris, continuò ingeminare: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* Angeli in illo ſomno pacis, utpote illis amariſſimo, his diebus conſolati ſunt eas, quòd Communitas N. oret pro illis; quòd lumen eleëmoſynarum refulgeat in habitaculo, & ex theſauro Eccleſiæ numerentur monetæ, & nummi pretioſi Indulgentiarum, in redemptionem earum: unde meritò exultantes dicebant: *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam; quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum Dei.* Hodie novo ſuperfuſæ ſunt gaudio, ex nuntio, quod eis afferunt Angeli, dicentes: *Surge velociter: ſurge in requiem*; quia *Sonus epulantis* auditus eſt, jamjam pulſatum eſt Sacrum; Miſſæ ſacrificium offeretur ad intentionem veſtram; eſt dies Communionis generalis; centenæ & centenæ à fidelibus fient Communiones in redemptionem veſtram; Confidite, cadent *Catenæ de manibus veſtris*; ita teſtatur Pſalmiſta Pſalm. 145. *Dat eſcam eſurientibus*: quia dum datur eſurientibus animabus Eſca Euchariſtica, tunc *Dominus ſolvit compeditos*; tunc cadunt *Catenæ de manibus earum.* Hoc in ſolatium animarum hodie oſtendo, dum attentas aures veſtras requiro.

Act. 12. Pſalm. 41. Pſalm. 87. Pſalm. 41. Pſalm. 145.

III. Apoc. 22. 1. Videt Joannes viſionem magnam: fluvium aquæ vivæ, procedentem de throno agni; & lignum vitæ, ab utraque parte fluvii, afferens fructus ſuos: *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ; & ex utraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus.* Quomodò una eademque arbor ab una & altera parte fluminis eſſe poterat fructus afferens? Certum eſt, per lignum vitæ Chriſtum intelligi, qui de cœlo deſcendit, ut vitam nobis afferat immortalem: & rectè dicitur ab utraque parte fluminis reperiri; quia, inquit D. Vincentius Ferrerius Serm. 3. de Corp. Chriſti: *Lignum vitæ eſt Chriſtus*, qui eſt in utraque parte; quia in parte dextera eſt in Paradiſo, & in Hoſtia per Sacramentum eſt in hoc mundo. Per fluvium rectiùs vitam humanam intelligit Ugo Cardinalis: *Vocatur enim flumen, eò quòd fluit.* Hìc duas habet ripas; terram, quam viventes inhabitant: & Purgatorium, in quo defunctorum animæ captivæ detinentur. *Citra flumen ſunt*, inquit Richardus à S. Laurentio Lib. de Laud. Virg. Cap. 12. *adhuc viventes in carne: ultrà ſunt, defuncti ab hac vita.* Per lignum vitæ intelligitur ſanctiſſi-

Apoc. 22. 1. S. Vincentius Ferrerius. Ugo Card. Richard. à S. Laurentio.

ſanctiſſimum Sacramentum; quia eſt *Panis vitæ*: bene ergò dicitur, quòd ab utraque parte fluminis fructus afferat, quia non ſolùm vivificat, corroborat viventes, ſed refrigerat, conſolatur, & de carcere redimit animas Purgantes, ibidem incarceratas: *Offertur enim pro vivis, & defunctis.* Dum hîc de aquis agimus, & de loco miſeriæ nobis ſermo eſt, conſideremus tantiſper locum voluptatis, qui fuit in Paradiſo terreſtri: *Fluvius egrediebatur de loco* Gen. 2. 10. *voluptatis, ad irrigandum Paradiſum; qui indè dividitur in quatuor capita. Nomen verò fluminis tertii Tygris.* Richardus prænominatus per hunc fluvium Chriſtum intelligit; & benè: quia ſi fluvius fluit velociter, Chriſtus velociſſimus eſt in bonum noſtrum; & ideò ab Iſaia dictus: Iſaiæ 8. 3. *Voca nomen ejus: Accelera, Feſtina.* Cur, obſecro, Chriſtus huic & non aliis fluminibus comparatur? Reſpondet idem Richardus: *Quia Tygris,* Richardus. *qui cum maximo impetu, ut dicitur, fluit in mare mortuum, ſignificat Chriſtum.* Mare mortuum, Purgatorium ſignificat; ubi animæ defunctorum in mari tormentorum ſunt immerſæ: Tygris, qui Chriſtus eſt in Euchariſtia, maximo impetu fluit in mare illud mortuum; quia omne illis refrigerium indè venit: neque enim hoc Sacramentum has miſeras captivas animas ſolùm corroborat, ſed efficit, ut de carcere ſuo in requiem ſuam ſurgant velociter.

IV. Lucæ 23. Pendens in cruce latro, Chriſtum, ſecum pendentem, Salvatorem, & Deum agnoſcit, & ut talem confitetur: undè animo Lucæ 23. 42. contrito ait illi: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Chriſtus ad hæc verba reſpondet ei illicò: *Hodie* ✝. 44. *mecum eris in Paradiſo.* Redemptor animæ meæ, non petit contritus latro Paradiſum, ſed ſolummodò ut recorderis ejus, dum venturus es in regnum tuum. Cur ergò non expectas, donec regnaturus es, ſed ais: *Hodie mecum eris in Paradiſo?* Ut quid tantâ feſtinatione opus? Quis non obſtupeſcat, poſt tot homicidia, tot furta, tot horrenda ſcelera, tanto latroni Paradiſum promitti, & quidem ſine Purgatorio? & tamen ſic eſt; ſic fides docet. Offerebat tunc Dei Filius in ara Crucis cruentum ſacrificium; à Deo illuminatus latro virtutem agnoſcens Sanguinis illius, quàm velociter fluat in mare mortuum, rogat: *Memento mei. Munierat illum fides Sanguinis Chriſti,* Rupertus. inquit Rupertus Abbas, *contra illum ignem, ne obſiſteret illi.* NN. Quando Sacerdos celebrat in altari, quis ille? quis ibi principalis offerens, & hoſtia? Ipſe, qui in ara Crucis Patri obtulit cruentum ſacrificium. Quale hoc eſt? Idipſum, quod in Calvario; niſi quòd unum cruentum, aliud ſit incruentum: eſt idem ipſe Filius Dei: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quando hoc ſacrificium offertur pro animabus ingeminantibus: *Quando veniam, &* Pſalm. 41. *apparebo ante faciem Dei?* petentibus requiem æternam, & lucem perpetuam, putatis illas non exaudiri? Credo ego, quòd Angeli tunc dicant (ſignanter illis, quæ, ut ſibi iſta prodeſſent, dum viverent, meruerunt) *Surge velociter: Surge in requiem tuam: Hodie eris in Paradiſo.* Audite hac de re Prophetæ Zachariæ teſtimonium.

Zachariæ 9. 11. V. Cap. 9. Deum alloquitur: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non* S. Bonaventura. *eſt aqua*; id eſt, *de Purgatorio*, inquit Bonaventura in Expoſitione Miſſæ. Per ſanguinem teſtamenti, intelligitur Sanguis, qui offertur in Miſſa: dicitur teſtamentum Chriſti, quia parit nobis effectum teſtamenti. Scitis, quòd teſtamentum ſit ultima voluntas teſtatoris, & diſpoſitio eorum, quæ poſſidet; eſtque privilegium hæredis, ut acquirat hæreditatem poſt mortem teſtatoris. De Chriſti teſtamento loquitur Amb. in Cap. 23. Lucæ: *Teſtabatur Chriſtus de* S. Ambroſius. *Cruce bonum teſtamentum* in quo (præter alia pia legata) Joanni Matrem, Matri Joannem in filium, latroni Paradiſum, Sanguinis ſui theſaurum fidelibus ſuis, vivis, & defunctis reliquit: ideò in Miſſæ ſacrificio di- Eccleſia. citur ad conſecrationem: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni te-* Pſal. 110. 5. *ſtamenti.* Ibi *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus*: ibi *eſcam dedit timentibus* ℣. 6. 9. *ſe*: ibi *Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui*: ibi *virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, ut det illis hæreditatem*: & ideò immediatè poſt conſecrationem elevatur Hoſtia, & calix, in cœlum; non ſolùm ut à circumſtantibus adoretur, ſed ut Pater æternus videat noſtrum privilegium teſtamenti nobis facti, & jus noſtrum, quod habemus ad hæreditatem cœli: *Elevatur Corpus Chriſti*, S. Bonav. inquit Bonaventura in Expoſitione Miſſæ, *ad rememorandum jus noſtrum, quod habemus in cœlo: eſt enim hoc jus ſcriptum in privilegio Chriſti.* Per alia ſuffragia non acquirunt animæ ſcedulam aliquam, quâ poſſunt oſtendere juſtam prætenſionem ad cœlum: hoc privilegium ſolùm habet Caro & Sanguis Chriſti: & illa eſt ratio, quòd Zacharias dicat Chriſtum educere animas ex Purgatorio in ſanguine teſtamenti: *Tu quoque in* Zachar. 9. 11. *ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Majoris claritatis ergo

VI. Exodi 30. Requirebat Deus in lege veteri à Sacerdotibus diebus ſingulis ſacrificium incenſi, & thymiamatum: at volebat, ut ſummus Sacerdos ſemel in anno offerret ſacrificium ſanguinis: *Deprecabitur* Exod. 30. 10. *Aaron ſemel per annum in ſanguine, qui oblatus eſt pro peccato.* Gloſſa Interlinealis notat: *Quotidie ingrediebatur* Gloſſa Interl. *Sacerdos in Sancta Sanctorum, ad adolenda thymiamata; ſemel autem in anno cum ſanguine.* Nominabatur autem Sancta Sanctorum, quia erat præ cæteris ſacrificium gratiſſimum. S. M. Eccleſia miſericordiâ mota ſuper captivas animas, requirit, ut Chriſti-fideles in redemptionem earum non ſolùm preces, & ſacrificium laudis, & Sacerdotes diebus ſingulis in omnibus Miſſis offerant ſacrificium ſuavis odoris incenſi pro mortuis in *Memento*, ſed vult inſuper, ut ſemel in anno particulari ſolemnitate offeratur ſacrificium Sanguinis Chriſti: *Deprecabitur ſemel per annum in ſanguine*; tamquàm efficaciſſimum ſuffragium, quo mediante certiſſimè audiant: *Surge velociter*: Surge in requiem tuam: *Hodiè eris in Paradiſo.* Ne miremini ſuper his, quæ dico; quia, ut inquit D. Bonaventura: *Hæc hoſtia cogit Patrem* S. Bonav. *miſereri.* Cogit? hoc multum eſt dicere:

dicere: & tamen ſic eſt. Quis primus offerens? Chriſtus. Audite Paulum Heb. 5. *Offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* Cur non ſimpliciter dicitur: *exauditus eſt*? ad quid additur: *pro ſua reverentia*? SS. Chryſoſtomus & Anſelmus explicant: *Exauditus eſt pro ſua reverentia*; id eſt, *propter Perſonæ ſuæ dignitatem*. Si jubeatis celebrari Sacrum in redemptionem animarum, *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri*. Si ſemel, aut bis in ſeptimana Communicetis, *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri*. Si audiatis Sacrum, & illud cum Sacerdote offeratis Deo, *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri*. Non creditis mihi? Quomodò S. Ambroſius auſus fuiſſet ſic Deum alloqui in obitu Satyri fratris ſui, niſi ſanctæ hujus hoſtiæ virtutem noviſſet? In fratris ſui obitu altare aſcendens, & oculos in cœlum conjiciens, Deum Patrem alloquitur: *In hoc ad te pignore venio*: oſtendens S. Hoſtiam. Sed cur eam pignus vocat? Dum quis pecuniis indiget, vadit ad *Montem pietatis* cum pignore argenteo, vel aureo; dum tradit pignus, pecunias recipit: & certum eſt, quòd pignus majoris valoris ſit, quàm id, quod pro eo recipitur. Tali modo cum Deo Ambroſius: Da mihi, Deus, animam fratris mei, libera eam, & ſalva eam; & ego do tibi illud pignus, non auri, non argenti, ſed pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Filii tui, quod tibi offero in hoc S. altaris ſacrificio: *In hoc pignore ad te venio.* Numquid poterat illa anima tunc dicere: *Tranſibo in domum Dei*? Ita, ita: *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* Videte quid factum ſit in reſuſcitatione Lazari.

Heb. 5. 7.
S. Chryſoſt.
S. Anſelmus.
S. Ambroſius.

VII. Joannis 11. Mortuo Lazaro, dignatur Chriſtus ſorores ejus ſuâ præſentiâ: fratrem earum reſuſcitaturus, veniunt pariter ad monumentum; flent ſorores, flent adſtantes, flet ipſe Chriſtus, Magdalenæ & Marthæ lacrymis motus: *Lacrymatus eſt Jeſus*: tandem reſtituit vitam Lazaro; moxque ad Patrem converſus ait: *Gratias tibi ago, quoniam exaudiſti me.* Cur, obſecro, gratias agit Patri, quòd exauditus ſit? Quandonam pro Lazaro oravit Patrem? S. Zenon. Veron. *Quia*, inquit, *ipſe ſororum fletibus movebatur, lacrymis Filii ſui Salvatoris noſtri inter ipſos cœlos Pater flectebatur.* NN. ſi motus fuerit Pater ad lacrymas Filii ſui pro vita temporali, dū vos jubetis in Miſſæ ſacrificio Filium Dei, tamquàm ſacrificantem, Patri offerre Sanguinem ſuum, non flectetur tunc Pater? *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* Omnia alia ſuffragia, quæ fiunt, aut fieri poſſunt pro animabus, offeruntur à puris creaturis; ſed ſacrificium Miſſæ tantò eſt efficaciùs, quantò dignior eſt Filius Dei, qui eſt principalis ejus offerens, qui deſiderat liberationem animarum per manus & miniſterium Sacerdotum, & qui eſt Perſona Divina; ac per conſequens auctoritatis Divinæ: undè ſicut ipſe principalis Sacerdos, juxta Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*: ita Sacerdos in Miſſæ ſacrificio: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris*; non dicit: *Supra quod ſacrificium*; ſed: *Supra quæ*: quia ibi eſt ſacrificium & ſacrificans; qui offertur, & offeretur in æternum: in terra Chriſtus eſt primus & principalis actor, & illud

Joan. 11. 4
S. Zenon. veronen.
Pſalm. 109

illud ipſum, quod fit per manus & miniſterium Sacerdotum in terris, fit etiam in cœlo; ubi illud petit & rogat à Patre, quod hîc petit Sacerdos: ſicq; *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* Hinc Propheta Regius conſolatione plenus rogat Deum.

Pſalm 37.1. VIII. Pſal. 37 *Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me: quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Ubi furor Dei, & ira ejus? Audiatur Doctor Angelicus Opuſc.

D.Thomas. 58. Cap. 25. *Furor Dei ardet in inferno; ira in Purgatorio; ſagitta in hoc mundo.* Infirmitates, tribulationes, dolores, bella, & cætera hujuſmodi, ſagittæ Dei ſunt, quibus transfigit nos: *Qui ſagittas Dominicæ correctionis patienter portat, furorem inferni, & iram Purgatorii ignis evadet*: inquit S. Thomas. Furor Dei ſemper ardebit in damnatis; ignis ille numquam extinguetur. Nullum ergò remedium ad extinguendam iram Dei? Eſt utique: Prov. 21. *Munus abſconditum extinguit iram.* Si quis ultrà

Prov. 21. 14. petat, quodnam illud munus abſconditum, quod Dei iram extinguit: habet iterum reſponſum Angelicum:

S. Thomas. *Munus abſconditum, eſt Chriſtus in Euchariſtia*; eſt Hoſtia

Iſaiæ 45. 16. conſecrata; de qua Iſaiæ 45. *Verè tu es Deus abſconditus*, ſub ſpeciebus panis & vini: illud *munus abſconditum extinguit iram. Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* Undè meritò inquit Gregorius Papa Lib. 4. Moralium:

S. Gregorius. *Hanc oblationem ſpiritus mortuorum à viventibus petunt. Hanc petunt*: cætera ſuffragia efficacia ſunt, & ſancta; ſed animæ captivæ, quibus notus valor hujus hoſtiæ incruentæ, *Hanc petunt.* Dicat hoc anima illa juſta, Dei judicio novo balnei Purgatorio condemnata, quæ à quodam devoto Monacho, teſte D. Gregorio, Miſſas petebat, non aliud; *Hanc petunt.* Hanc petivit à S. Nicolao Tollentinate, uſque in præſentem diem verè Thaumaturgo, anima quædam patiens, ſic Sanctum interpellans: Frater Nicolae, vir Dei, reſpice in me: ego ſum anima peregrini, quem viventem noviſti ſervum tuum, cruciorque in hac flamma; oro te, ut pro mortuis Miſſam celebres, ut eripiar ex his flammis: at ille ob diem Dominicam, quâ Sacro *de die* decantando deputatus erat, excuſabat ſe, quod Miſſam *pro defunctis* dicere non poſſet: tunc anima: Veni, inquit, venerande Pater, & vide, num te deceat precibus tantæ, tamque miſeræ multitudinis, à qua miſſa ſum, aſſenſum negare. Undè eum ad alteram eremi partem ducens, oſtendit ei promiſcui ſexûs, diverſæ ætatis, innumeram multitudinem, ipſum deprecantem: Miſerere Pater, miſerere turbæ tuum auxilium expectantis! Si dignatus fueris Miſſas celebrare, maxima pars noſtrûm ex his tormentis atrociſſimis eripietur. Nicolaus magnâ commiſeratione permotus, petitâ & obtentâ à Superiore licentiâ, illâ hebdommadâ pro mortuis Miſſas celebravit: hebdommadâ tranſactâ, rurſus illi apparet anima, & pro impetrata miſericordia ei gratias egit; aſſerens bonam illius multitudinis partem à pœnis acerbiſſimis liberatam. *Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* S. Bonav.
Hanc oblationem ſpiritus mortuorum à viventibus petunt. S. Gregorius. Hanc petivit M. Auguſtini mater S. Monica, de qua ipſe

S. Auguſt. ipſe Lib. 9. Conf. Cap. 13. *Illa, imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitavit ſuum corpus ſumptuosè contegi; aut condiri aromatibus; aut monumentum electum concupivit; aut curavit ſepulchrum patrium; non iſta mandavit nobis, ſed tantummodò memoriam ſui ad altare tuum, Domine, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat, undè ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deleta ſunt peccata noſtra*: de ſalute ſua ſollicita, ſolùm Miſſæ ſacrificium poſtulabat. Hanc oblationem petivit, teſte Mellifluo Bernardo, ſoror S. Malachiæ, Hiberniæ Epiſcopi; quâ in carcere Purgatorii detenta, apparuit quidam ſpiritus ſancto Malachiæ ex parte ſororis; & *Quâdam* S. Bernard. *nocte audivit per ſomnium vocem, ſibi dicentem, ſororem ejus ſtare foris in atrio Eccleſiæ: & per totas triginta dies nihil guſtaſſe*: ita S. Bernardus in Vita ejus. Cognovit ſanctus Epiſcopus qualitatem famis ſororis ſuæ, reminiſcens quòd triginta dies eſſent, quibus pro anima ejus non obtuliſſet Miſſæ ſacrificium, nec dediſſet ei panem Euchariſticum: undè incipiens iterum celebrare pro ea, vidit ſororem vicinam portæ Eccleſiæ, quam intrare necdum poterat: die alterâ intrantem vidit, ſed longè adhuc ab altari: *Tertio tandem die viſa eſt aggregari cætui candidatorum. Hanc oblationem ſpiritus mortuorum à viventibus petunt.* Necdum creditis?

Job 31. 31. IX. Job 31. *Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Viri tabernaculi*, inquit Origenes. Origenes, ſunt animæ defunctorum, quæ jacent in tenebroſo tabernaculo Purgatorii; clamantes continuò: *Quis det de carnibus ejus*, id eſt, inquit Chryſoſtomus: *de Carne Chriſti, ut ſaturemur?* Potiori jure clamant animæ, quàm nos viventes; quos D. Chryſoſtomus ad frequentem Communionem adhortans, ait: *Una ſit nobis pœna hâc eſcâ privari.* Clamant illæ: *Una eſt nobis pœna, hâc eſcâ privari.* Quòd tam pauca Sacra fiant in redemptionẽ noſtram, *Una eſt nobis pœna, hâc eſcâ privari*, quæ cogit Patrem miſereri. Novum hoc nobis Purgatorium eſt: *Una eſt nobis pœna, hâc eſcâ privari*, quam Deus nobis, & viventibus, communem voluit. Petebam aliàs: Quare Chriſtus Joannis 19. voluerit poſt mortem ſibi latus aperiri, ut exiret Sanguis & aqua? Dicebat tunc M. P. Auguſtinus, & modò iterum: *Ut vivis ad gratiam, & mortuis ſerviret ad gloriam.* Idipſum dicit Epiſcopus in conſecratione Sacerdotum: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis, & defunctis.* Dat æqualem poteſtatem hoc ſacrificium offerendi pro vivis, & defunctis; undè meritò dicunt: *Una eſt nobis pœna, hâc eſcâ privari*: ſeu, ut cum Auguſtino loquantur: *Flammam noſtram unus panis extinguit.* S. Auguſtin.

S. Chryſoſt.

Idem.

S. Auguſt.

X. Joannis 6. Abiens Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, ſubiit in montem: compatiens 5. millibus hominum, qui ſecuti eum fuerant, & famebant, interrogat Philippum: *Undè ememus panes, ut manducent hi?* Reſpondet Philippus: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt*; quos tamen Chriſtus quinque panibus ſatiavit. NN videte oculis fidei non ſupra montem, ſed in profunda valle; non *Trans mare Galilææ*, ſed in mari tormentorum; non quinque millia, ſed quaſi Joannis 6. ℣. 6.

infinitas animas, *Quæ non habent, quod manducent*; quæ non ſolùm *Triduo ſuſtinent*, ſicut illi, de quibus Marc. 6. ſed etiam à conſanguineis traditæ ſunt oblivioni. Petitis fortè à me: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Ubi reperietur panis, qui poſſet famem adeò rabidam extinguere? Et poſito, quòd reperiri poſſet, ubi in tanta abundantia, ut ſufficeret ad tantum numerum animarum ſaturandum? Hîc dicere poſſumus: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt*. Petrus Cell. de Panibus Cap. 1. novit unum, qui ad hoc ſufficit; & unà ſcit pretium: *Non quæras*, inquit, *à Philippo*; *quære à proditore Juda, hic habet triginta denarios, unde panes ementur ad ſatietatem.* Non eſt longè hinc; ecce Judas vendit illũ vili pretio: Redemptor ipſe, ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eſt panis, quo eſurientes animæ poſſunt ſaturari: *Hic eſt panis de cœlo deſcendens*: panis, duos titulos complectens, Sacramenti, & ſacrificii: Sacramenti, ubi Chriſtus eſt cibus; ſacrificii, ubi eſt victima: Sacramenti, in quo datur vita immortalis; ſacrificii, ubi moritur: ut Sacramentum, paſcit; ut ſacrificium, impetrat; ut Sacramentum, ſe communicat; ut ſacrificium, ſe offert: ut Sacramentum, habes Communionem; ut ſacrificium, habes Miſſam: ut Sacramentum, habes menſam; ut ſacrificium, habes altare. Illum panem, ſive ut ſacrificium, ſive ut Sacramentum, petunt, ut ipſis detur à viventibus. Quidni daretis, ita Deo mandante?

Marci 6.

Petrus Cell.

Ioan. 6. 49.

XI. Exodi 12. Mandat Deus Moyſi & Aaron: Loquimini ad univerſum cætum filiorum Iſraël, & dicite eis: Decimâ die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum, per familias, & domos ſuas: *Sin autem minor eſt numerus, ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui conjunctus eſt domui ſuæ; juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.* Quid, quæſo, myſterii eſt, quòd vicinum vocare oporteret; cùm illud, quod de agno ſupererat, facilè comburi potuerit? vel quid indè, ſi aliquæ reliquiæ ſuperfuiſſent? Multum ſanè: opportuna erat Dei providentia, quâ pauperi vicino voluit provideri. Agnus ille Paſchalis S. Euchariſtiam adumbrabat: ſed quinam erant vicini, quos ad hanc menſam & reliquias vocare oportebat (Quis enim totum devoret agnum, ut omnia merita ſolus habeat) An fortè Angeli, & Beati in cœlo? minimè. Quinam ergo? Audite Baeza Tom. 1. in Evang. *Qui propiores nobis adſunt, evocandi à nobis ſunt in communionem tanti ſacrificii; nempè qui in Purgatorio degunt.* Quaſi diceret Deus: Quando manducatis Carnem meam, vocate vicinos veſtros, pauperes ſcilicet, & famelicas animas in Purgatorio; afflictam animam patris veſtri, animam matris veſtræ, mariti veſtri, fratris, & ſororis, vocate eas, & dividite cum illis agnum: date illis partem, ſatiate famem earum hoc divino Sacramento. Hinc enim eſt, quòd Sacerdos in altari S. Hoſtiam dividat in tres partes: *Panis quem frangimus &c. Ideò*, inquit D. Chryſoſtomus, *dividitur agnus Dei*, ut vicini noſtri partem habeant. Levitici 17. dicit Deus: *Dedi vobis ſanguinem, ut ſuper altare expietis*

Exod. 12. 4.

Baeza.

S. Chryſoſt.

Levit. 17. 11.

expietis pro animabus veſtris: quæ verba ſic interpretatur Purpuratus Ugo Card. Ugo: *Dedi, id eſt, dari feci à populo, ſanguinem, ut expietis, id eſt, offeratis in expiationem illum ſuper altare.* Illum Gloſſa. (Gloſſa) *Sanguinem Chriſti ſuper altare, id eſt, Crucem in qua fuſus eſt Sanguis*: ita ille. Doctor Angelicus legit D. Thomas. Opuſc. 58. *Ut ſuper altare in Miſſæ ſacrificio expietis pro animabus, quæ ſunt in Purgatorio. Dedi vobis*, ut etiam detis illis, qui ejuſdem vobiſcum ſunt ſanguinis, Sanguinem meum in altari; ut, cùm ab eis vitam & ſanguinem receperitis, Sanguinem detis pro ſanguine, non veſtrum, ſed Chriſti Sanguinem, Sanguinem, in Miſſæ ſacrificio conſecratum, quem dedi vobis, ut & vos eum illis detis.

XII. Fortè dicet aliquis: Non ſum Sacerdos, nec licet mihi ſacrificium pro illis offerre. Ad hoc reſpondeo tibi, quiſquis es: ſi celebrare non poſſis, jube celebrari Miſſam: dum hoc facis, etiam ſacrificium offers; quia, inquit D. Thomas in 4. Diſt. 45. Q. 2. A. 2. D. Thomas. *Sacerdos agit ut inſtrumentum illius.* Item S. Damianus Epiſt. 13. ad S. Damianus. Leonem Cap. 8. *Non ſolùm à viris, ſed etiam à mulieribus ſacrificium illud laudis offertur; licèt à Sacerdote offerri videatur.* Sicque illud ſacrificium, ab illis oblatum, *Ex opere operantis* omni alteri ſuffragio præponderat. Si non vacet tibi Miſſas dare, ad minùs devotè illis interſis, & plus offeres, quàm alia quæque offerendo; quia ſic Miſſam audiens, etiam ſacrificium offers. Ita Sacerdos in Eccleſia. primo ſuo *Memento*: *Et omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Inter illos magis principaliter offerunt miniſtri altaris, Diaconus, & Subdiaconus, quàm Clerici: plus Clerici, quàm Cantores, &c. de omnibus his verum eſt, quòd Divinum illum panem pro eſurientibus animabus offerentes, plus offerant, quàm omnibus aliis ſuffragiis. Docent Theologi, quòd omnis audiens Miſſam participet de valore *Ex opere operato* ſacrificii; quia cùm ille valor ſit fructus principalior, non eſt veroſimile, quòd Deus non daret ei indè partem, qui partem habet in offerendo. Omne aliud opus bonum, ſive caſtigationis corporalis, ſive eleëmoſynæ, ſive devotæ orationis habet valorem ab operante: qui autem devotè audit Miſſam, illius eſt particeps, quod Chriſtus operatur: ergò plus poſſumus juvare animas Miſſam audiendo, quàm omni alio ſuffragio. In probam.

XIII. 2. Reg. 24. Propheta Gad ex parte Dei ait ad David: *Tribus* 2. Reg. 24. *diebus erit peſtilentia in terra. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, de manè uſque ad tempus conſtitutum.* Septuaginta legunt: *De manè uſque ad* Septuaginta. *tempus prandii.* Si tempus conſtitutum fuerit trium dierum, & Angelus Dei non ultra tempus prandii percuſſerit populum, quomodò ergò percuſſiſſe dicitur uſque ad tempus conſtitutum? Subjungit S. Textus immediatè rationem: *Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebuſæi.* De hoc loco ait Joſephus Joſephus Hebræus. Hebræus: *Erat autem is locus, in quo Abraham filium, ut holocauſtomata faceret, adduxerat.* Aliam rationem dat S. Cyrill. Alex. Lib. 3. de Ador.

S. Cyrillus Alexand. *A manè mors depaſta eſt eos uſque ad horam prandii: ubi enim advenit nobis S. menſæ tempus, nimirùm illius Myſticæ, in qua veſcimur pane illo cœlitùs dato, quæ priùs erat terribilis, mors ceſſavit.* Hora prandii denotabat horam Communionis noſtræ, quâ nutrimur pane cœleſti, ad quam ita eſurientes animæ anhelant, ut pro ipſis Communicemus. In illa hora ceſſavit peſtilentialis plaga, & ſatisfactum eſt Divinæ juſtitiæ: *Uſque ad tempus conſtitutum.* S. Bonav. *Trahat ergò te*, inquit D. Bonaventura de Præpar. Miſſæ *ad communicandum, charitas, & compaſſio proximorum; cùm ad requiem defunctorum nihil efficaciùs interpellet.* Nibil efficaciùs, ut cadant catenæ de manibus earum.

XIV. Ad propoſitum noſtrum ſervit res mira, quæ contigit S. Martyri Georgio. Erat hic Sanctus in carcere, compedes, manicas, cippos perpeſſus; corpus undique habebat catenis circumdatum, & tormentis excarnificatum; hæc omnia pro fide ſuſtinens, lætabatur, quòd vinctus in carcere, haberet ſpiritus libertatem, levandi ſe ſupra ſe. Videns tandem mortis ſuæ horam inſtare, petebat à S. Theodoro, ſibi Corpus Chriſti adminiſtrari, quo, promptè allato, ante Communionem mandat carceris cuſtodi, ut vincula ejus ſolvat: at ille renuit: & ecce rem miram; in ipſa Communione ceciderunt catenæ, manicæ, & compedes, in terram. Nè ergò miremini NN. quòd viri tabernaculi Iob 31. Dei continuò clament: *Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur!* quòd *Una eis ſit pœna, hâc eſcâ privari.* Vincti ſunt catenis, in cippis ſunt: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus.* In Pſal. 149 8. hac eſca cadunt catenæ de manibus earum: juxta illud Pſal 145. *Dat* Pſalm. 145. *eſcam eſurientibus; Dominus ſolvit compeditos.* Notate ordinem, inquit D. Hieronymus: *Dat eſcam eſurientibus; Dominus ſolvit compeditos*: ut videat & intelligat unuſquiſque noſtrûm, quòd per devotam Communionem diminuantur pœnæ electi populi in Purgatorio: aut certè ſolvantur animæ compeditæ: *Ubi enim advenit nobis S. menſæ tempus, nimirum illius Myſticæ, in qua veſcimur pane illo cœlitùs dato, quæ priùs erat terribilis, mors ceſſavit*: & pro debito, ab animabus contracto, Divinæ juſtitiæ creditur ſatisfactum.

XV. Quærit D. Vincentius Ferrerius, Vinc. Ferr. S. Ordinis Prædicatorum ornamentum, Serm. 1. in Feſto Corporis Chriſti. quare hoſtia, in qua conſecratur Corpus Chriſti, ſit figuræ rotundæ? Reſpondet (aliis relictis rationibus) id fieri, quia in tali forma fiunt monetæ: ut hinc cognoſcant omnes, hoc Sacramentum non ſolùm inſtitutum eſſe, ut offeratur pro vivis ad gratiam, ſed & pro defunctis ad gloriam, qui, remanente reatu pœnæ peccatis debitæ, cùm non ſint ſolvendo monetâ proprii meriti, non poſſunt ſolvere quod ab eis exigitur, niſi per violentiam ſupplicii. Hinc pius & miſericors Dominus formavit monetam ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, ut indè Divinæ ſuæ juſtitiæ pro illis ab aliis ſatisfiat: undè à D. Petro Chryſologo, vocatur Euchariſtia: S. Chryſol. *Numiſma triticeum*: & à D. Paſchaſio: S. Paſchaſius *Denarius triticeus.* Quot Communiones feceris pro eis, tot mone-

monetas, tot denarios numeraveris in redemptionem earum. Sed, proh dolor! quàm pauci ſunt, qui in ſolutiónem debiti vel nummulum Deo offerunt? O durani ſortem!

XVI. Lucæ 15. Deſcribit Chriſto à ſecretis, miſeram Prodigi ſórtem, porcorum menſæ accumbentis. Hic cupiens præ inopia ſa-
Lucæ 15. turari de ſiliquis porcorum, *In ſe reverſus*, *ait*: *Quanti in domo patris mei abundant panibus, & ego hîc fame pereo!* N. N. videor animas defuncti patris veſtri, matris veſtræ, &c. audire præ inopia ingemiſcentes: *Quànti* filii, & filiæ, in domo quondam mea *abundant panibus, & ego hîc fame pereo!* Ditavi eos, & exaltavi, abundant divitiis, recreatiónibus, luſibus, canibus, porcis, meretricibus, quas nutriunt; *Et ego hîc fame pereo. Hîc*, in loco torrido; *hîc*, in ſpiritu ardoris, inter flammas ardentes; *hîc*, in tenebris inenarrabilibus *fame pereo.* Filii mei, uxor mea, fratres mei; ſinunt me fame perire, tamquàm canem: *Famem*
Pſalm. 58. 7. *patientur*, *ut canes*: non darent vel nummulum in eleemoſynam,
Thren. 1. 1. ut pro me legatur Sacrum *Ad refocillandam animam*: imò non darent ex ſacra Communione vel micam panis illius cœleſtis, *Ad refocillandam animam.* Et ipſi in domo Patris mei cœleſtis, qui non minùs Pater noſter eſt, quàm ipſorum, non mittunt nobis partem ex pane illo, cujus privatio unica nobis pœna eſt; cùm tamen ſciant, quòd panis ille *Patrem cogat miſereri*: ſic ut facilè tranſire poſſemus uſque ad domum Dei. N. N. ſi panem totum peterent, foret vobis fortè excuſatio aliqua; ſed ſolummodò micas petunt, & has negatis? O vos crudeles! auſim dicere: crudeliores Epulone, miſero mendico micas menſæ ſuæ denegante!

XVII. Lucæ 16. 20. Dives hic aſſidebat indies menſæ opiparæ: *Epulabatur quotidie ſplendidè.* Pau- Lucæ 16. 20.
per Lazarus tantùm micas deſiderabat, quæ cadebant de menſa ejus. *Et nemo illi dabat.* N. N. numquid vos eſtis, qui poteſtis indies divinæ menſæ in ſacra Communione aſſidere? Quot Lazari clamant ad januam cordis veſtri pro micis, quæ cadunt de menſa iſta? Parentes tui, amici tui fame & ſiti laborant: ne prætendatis cum Epulone, illas non premi neceſſitate (quæ enim poteſt eſſe major) ne dicatis: Panem ſuum lucrentur: operentur: *Jacebat Lazarus.* Jacent miſeri, manibus pedibuſque vincti, illâ nocte compediti, in qua nemo poteſt operari, & mereri. Non poteſtis dicere cum Divite: Non videmus eos; *Ante januam jacebat*: videtis Verſ. 21.
indies tumulos, oſſa, cranea, pulveres, &c. Dicetis fortè illos modò ſaturatos: quomodò ergò *Cupiunt ſaturari*? ne dicatis, quòd ſint nimis moleſti, quòd nimium à vobis exigant; quòd unâ non acquieſcant eleemoſynâ; quia ſolummodò *Saturari cupiunt de micis.* O quot micæ cadunt de menſa! Num intelligitis me? Quot ſuperſunt merita, quot gratiæ! quot ſubſidia de menſa illa SS. Sacramenti! Putatis vos totum hunc cœleſtem panem ſic ſumere, ut nullæ ſuperſint

micæ, quibus pauperes animæ reficiantur? An ita dignè divinum hunc panem manducatis, ut omnium meritorum, donorum, ac gratiarum, ità perfectè fiatis participes, ut nihil ſuperſit, quod ad animas illas tranſmittatis? Numquid Eccleſia partem tanti ſacrificii tranſmittit ad Purgatorium, dum Sacerdos in ſecundo *Memento*, pro defunctis apud Deum per hujus ſacrificii immenſa merita, tamquàm mediator intercedit? O quot millenæ micæ cadunt de menſa divitis illius Dei, quarum non eſtis participes, ob imperfectam veſtram præparationem! & paucas micas negabitis illis animabus? Damnamus omnes crudelitatem Epulonis, & non damnamus crudelitatem noſtram. Quomodò de ſimilibus conqueritur Jeremias Thren. 4. 4. *Parvuli petîerunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. Parvuli iſti gementes animæ ſunt Purgatorii; illæ petunt aliquot Sacra, aliquot Communiones, divinam hanc eſcam, illam hoſtiam, quæ Patrem cogit miſereri, & jam tamdiu petîerunt illum panem, *Et non erat, qui frangeret eis*. N. N. quare tam crudeles eſtis? *Frange eſurienti panem tuum, & mittite partem his, qui non præparaverunt ſibi*; his, qui modò in defectu panis ſunt: inquit Richard. à S. Laur. *Hic eſt panis, quem petebant parvuli: frange ergò eſurienti panem ſanctum, pro refectione famelicorum defunctorum.*

Thren. 4. 4.

Richardus à S. Laur.

XVIII. Scio Theologos ſimilem loquendi modum non approbare, cùm ſcholæ doceant, quòd Euchariſtia ſit *Sacramentum vivorum*: Pœnitentia autem *Sacramentum mortuorum*: eò quòd Pœnitentia, conferendo primam gratiam ſuavi calore charitatis, & fervorem ſpiritûs per peccatum amiſſum reſtituendo, mortuæ animæ vitam reddat: Euchariſtia autem ſupponat animam vivere per gratiam; valens quidem per ſe dare novum gratiæ augmentum, novam tamen vitam non item: & ideò Pœnitentia vocatur *Sacramentum mortuorum*: Euchariſtia autem *vivorum*. Attamen dico, hoc Sacramentum certo modo non tantùm *vivorum*, ſed & *mortuorum* eſſe Sacramentum; non quòd ex omnibus Sacramentis nullum aliud eis prodeſſe poſſit, ſed quòd reſpectivè magis ſit in conſolationem corporaliter mortuorum, quàm reliqua; & majorem inde fructum percipiant, quàm ex cæteris. Quomodò hoc Sacramentum, inquies, dici poterit *Sacramentum mortuorum*, ſi ſoli viventes huic menſæ accumbant? Viditne umquam aliquis Purgantem animam famelicam ad hanc menſam venire? Quis umquam Sacerdotum ad Purgatorium, hoc pane animas paſturus, miſſus eſt? Nos ſoli, qui vivimus, hoc ſpeciali privilegio ditati ſumus; quomodò ergò dici poteſt *Sacramentum mortuorum*? Sciendum, quòd Eccleſia inferior, non ſit ſeparata ab Eccleſia militante, quæ ſumus nos; ambæ ſtrictiſſimâ unione charitatis & fidei uniuntur, & defunctorum animæ, licet ſeparatæ à corpore, viva equidem membra ſunt nobiliſſimi corporis Eccleſiæ:

Multi

Rom.12. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Omnes unum corpus ſumus.* Rom. 12. 5. Undè Aug. de Civit.
S. Auguſtinus. Dei Lib. 10. *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti.* Sicut ergò in corpore humano fit, quòd cibus, qui ſumitur, digeſtus ſtatim per venas, tamquàm per canales, ad membra dimittitur, & dividitur; ſic panis ille ſuperſubſtantialis, à fidelibus ſumptus, & vi caloris charitatis digeſtus, ſtatim per membra myſtici corporis dividitur, & ut Sacramentum mortuorum communicatur animabus, eaſque confortat, & ſatiat; efficitque, ut videant Deum. Et hoc eſt, quod intendit Apoſt. Rom.
Rom.12. 13. 12. 13. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes.* Quaſi diceret: quoties Celebratis, quoties Communicatis, participes reddite eſurientes animas, quæ ſunt in Purgatorio.

XIX. Scitis rationem, cur Evangeliſtæ dicant, quòd Chriſtus, hanc eſcam inſtituens, illam fregerit? & cur Sacerdos in omni Miſſa S. Hoſtiam frangat in tres partes? jam antè ex Chryſoſtomo eam diximus: de Chriſto ait Matthæus
Matth.26. 26. Cap. 26. *Benedixit, & fregit:*
Marc.14. 22. Marcus 14. 22. *Gratias egit, &*
Lucæ 22. 19. *fregit:* Lucas 22. 19. *Fregit, & dedit eis:* ut nos doceret frangere, & partem dare defunctis. Non recedo ab altari, in quo indies eadem menſa ſtruitur, cui etiam ipſe Chriſtus, tamquàm principalis, aſſidet: ex conſecrata Hoſtia ante *Agnus Dei* fiunt tres partes; primò frangit Sacerdos Hoſtiam in duas partes, & ex una illarum frangit rurſus partem, quam in calicem mittit. Pars una in cœlum mittitur pro Beatis ad honorem: ſecunda datur vivis ad gratiam: tertia defunctis ad gloriam. Nunc quæro, an hîc Chriſtus dividatur? abſit: tantùm ſpecies Sacramentales franguntur: *Non confractus, non diviſus, integer accipitur.* Quid ergò Eccleſia. ſibi vult iſta ceremonia ſpecierum Sacramentalium? Si in Cruce noluerit permittere aliquam fractionem, *Non fregerunt ejus crura*: Joan 19. 33. quomodò in ſacrificio incruento franguntur, & dividuntur accidentia? Ut nos diſcamus, ex Communione noſtra partem mittere illis animabus, quibus *Una pœna eſt, hâc eſcâ privari*: ut per fractionem panis cadant catenæ de manibus earum.

XX. Lucæ 24. 16. Duo ex diſcipulis Jeſu ibant in caſtellum, nomine Emmaus, loquentes ad invicem de omnibus, quæ acciderant illis diebus. Appropinquans Jeſus ibat cum illis, ſed *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*; quamquàm ob ſermones ejus cor eorum Lucæ 24. 16. ardens eſſet in ipſis. Cùm appropinquantes caſtello rogarent eum, ut maneret cum illis, acquieſcens eis, & recumbens, *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat* Verſ. 30. *illis: Et aperti ſunt oculi eorum,* Verſ. 31. *& cognoverunt eum in fractione panis.* Animæ noſtræ captivæ, à cœlo peregrinæ, in via ſunt ad patriam; cor earum ardens eſt in ipſis, & oculi earum tenentur, ne Deum agnoſcant, ne videant faciem

ciem ejus: vinctæ ſunt catenis duabus; in manu veſtra eſt, ut cadant catenæ de manibus earum: audite per os M. P. Auguſtini in-
S. Auguſtinus. geminantes: *Flammam noſtram unus panis extinguit.* Frangite pa-
2. Eſdræ 8. 10. nem illum, *Et mittite partem his, qui non præparaverunt ſibi*: panis bic daturus eſt illis requiem æternam, & lucem perpetuam: *Aperiantur oculi earum in fractione panis.* Dum hâc horâ non licet panem frangere, dicite ad minùs: *Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Amen.

SERMO DECIMUS

DE CARCERE PURGATORII.

Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. Act. 12.

Animæ captivæ, ſuffragiis fidelium à vinculis ſolutæ, in Sanguine Teſtamenti de carcere eductæ, juxta illud Zachariæ 9. *In ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu*: pertranſierunt portam ferream carceris; relictis tamen ibi quaſi innumeris adhuc captivis, oblivioni traditis à parentibus, conſanguineis, & amicis; qui eis portam ferream carceris non ſolùm clauſam, ſed & oppeſſulatam tenent. Oſtenditur, quòd intolerabilis dolor ſit, oblivioni tradi à parentibus, cognatis, & amicis; & ſupplicium pati ab his, à quibus ſperabatur ſubſidium, & refrigerium.

1. QUod herì dixi, iterum dico cum D. Antonino: *Eu-*
S. Antoninus. *chariſtia eſt maximum ſuffragium pro defunctis in Purgatorio. Hæc hoſtia cogit Patrem miſereri.* Et ideò *Hanc oblationem ſpiritus mortuorum à viventibus petunt: & Una eſt ipſis pœna, hâc eſcâ privari*: undè clamant continuò: *Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur? Flammam noſtram unus panis extinguit*: panis qui de cœlo deſcendit, ut vivis eſſet ad gratiam, & nobis ad gloriam.
Exod. 12. N. N. mei, ſi Exodi 12. ad eſum agni in lege veteri aſſumendus erat vicinus, dum minor erat numerus, ut ſufficere poſſet ad veſcendum agnum: ſi Levitici 17. dixerit Deus Levit. 17.
quòd dediſſet populo ſuo ſanguinem, ut ſuper altare expiaret pro animabus ejus: per quem ſanguinem Doctor Angelicus intelligit, ut expiemus ſuper altare in Miſſæ ſacrificio pro animabus in Purgatorio: quidni evocandi ſunt à nobis in communionem tanti ſacrificii, qui vicini & propiores nobis ſunt, tamquam ejuſdem adhuc corporis membra?

membra ? quidni demus eis Sanguinem Chriſti, qui dederunt nobis ſanguinem ſuum ? Si non poſſitis in altari in redemptionem earum hanc ſacram hoſtiam Deo offerre, jubete pro eis aliquot Sacra legi, & aget Sacerdos ut inſtrumentum veſtrum, & ſacrificium laudis etiam à vobis offeretur, licèt à Sacerdote offerri videatur: ad minùs Communicate pro illis, ut cadant catenæ de manibus earum: juxta verba Pſalmiſtæ: *Dat eſcam eſurientibus, Dominus ſolvit compeditos.* Ideò S. Hoſtia figuram monetæ habet, & *Denarius triticeus* vocatur, ut deficiente eis monetâ meriti, debitum earum ſolvatis hoc denario. Non petunt totum panem; micis, quæ cadunt de divina illa menſa, ſunt contentæ: frangite ergò panem hunc, & mittite partem his, qui non præparaverunt ſibi. Præceſſit vos Chriſtus, qui fregit, & diſtribuit: frangit indies Sacerdos in altari, & partem mittit ad hunc carcerem, ut & vos frangatis; ut ſic aperiantur oculi earum in fractione panis, & porta ferrea, quæ hactenùs clauſa fuit, ultrò eis aperiatur. De hac dicturi, imploremus opem ejus, quæ à S. Ephrem *Redemptrix captivorum* dicitur; & per quam portæ æreæ confractæ ſunt; dicentes illi: *Ave Maria.*

Pſalm.145.

S. Vincentius Ferrerius.

S. Ephræm.

II. Petrus, per Angelicas percuſſiones à ſomno excitatus, cùm cecidiſſent catenæ de manibus ejus, ſurrexit velociter: & tranſiens primam & ſecundam cuſtodiam, venit cum Angelo ad portam ferream; quæ ultrò aperta eſt eis. N. N. Laus Deo, animæ noſtræ captivæ, pro quarum redemptione Communitas N. his diebus pulſavit cœlum precibus, & eſcam dedit eſurientibus, excitatæ ſunt à ſomno pacis: ita ut ceciderint catenæ de manibus earum, & Dominus non ſolùm ſolverit compeditas, ſed porta cœli, quæ hactenùs illis clauſa, & ferrea fuit, multâ facilitate ultrò aperta ſit illis, in fractione panis illius divini: juxta illud Pſalm.77. *Januas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* Videbar hodie in ſpiritu idipſum videre in hac redemptione animarum, quod fieri ſolet in redemptione captivorum à turcis: quando navis (*Redemptionis* dicta) appellit in Palæſtinam, non eſt, qui explicet gaudium, quo perfunduntur captiva mancipia, dum eminùs illam adventantem vident: cunctis ad redemptionem ſuam anhelantibus, prælegunt ur cambiales: à parentibus N. tot florenos: à fratre N. tot partes aureas: ab amico tali tantum, &c. quibus ſummis numeratis, ſolvuntur eorum vincula, & libertate donantur; aliis in ſervitute relictis. Videbar audire Angelum, captivis animabus prælegentem preces, eleëmoſynas, aliaque ſuffragia in redemptionem illarum Deo oblata; ſignanter Sacra, pro ipſis celebrata: à filio talis patris, viginti, quadraginta, ſexaginta Sacra: à tali filia pro matre ſua tot Sacra, tot Communiones, tamquàm denarios, quibus ſolvitur debitum illarum; ſic ut portâ ferrea, hactenùs clauſa, privans eas viſione beatificâ,

Pſalm.77.

ultrò eis aperiatur, & tranſeant ad requiem æternam, & lucem perpetuam; cæteris concaptivis animabus, ab amicis, qui tanta eis in vita promiſerant, in tormentis, & terra oblivionis relictis. Exhibeo hodie querelas animarum, ſuper iſta viventium crudelitate. Veſtras attentas aures humaniſſimè requiro; & incipio.

III. Thren. 1. Plorans Jeremias deſolationem Jeruſalem, inter alia
Thren. 1. ingemiſcens ait: *Audierunt* (ficti amici mei, & infideles; inquit
Ugo Card. Ugo) *quia ingemiſco ego; & non eſt, qui conſoletur me.* Veriùs hæc dixerit anima, adhuc in carcere Purgatorii detenta: *Audierunt quia ingemiſco ego; & non eſt, qui conſoletur me*: amici mei, proximi mei, conſanguinei audierunt, & ſciunt, in quo ſtatu ſim; *Quia ingemiſco ego. Audierunt* ex hac cathedra, per multas Octavas, à variis Concionatoribus, *Quia ingemiſco ego: Audierunt* quales pœnas patiar: *Audierunt* quid pœna damni; quid ſit, privari viſione beatificâ: *Audierunt* quàm facili modo me poſſint juvare: *Audierunt* adhuc herì lacrymas noſtras, ob improperium, quod facit nobis conſcientia: *Et non eſt, qui conſoletur me.* Illi, qui me poſſunt, imò debent juvare, quibus in vita tam multa præſtiti, modò me tradunt oblivioni, & relinquunt me hîc in terra oblivionis, clauſam tenentes portam ferream, quam facili modo poſſent mihi, & nobis omnibus aperire. Placet illa ipſiſſima verba audire ex ore captivæ, ſeu patientis animæ? Eccli. 51.
Eccli. 51. 9. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsùm*: & fidens promiſſis ab amicis mihi in vita factis, *Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* Novum inde patiuntur animæ Purgatorium, quòd ſic ab amicis illudantur.

IV. 2. Paralip. 35. Moritur Joſias Rex Iſraël, cum ingenti omnium luctu; præſertim tamen Jeremiæ: *Univerſus Juda, & Jeruſalem, luxerunt eum; Jeremias maximè: cujus omnes Cantores atque Cantatrices, uſque in præſentem diem, lamentationes ſuper Joſiam replicant.* 2. Paral. 35.
Quæro: Cur tot lacrymæ, cur tantus planctus ob mortem Joſiæ? Moritur David, moriuntur Salomon, Ezechias, & alii Reges; & nihil de illis ſimile legitur: cur ergò propter ſolum Joſiam tantus dolor? Rationem aſſignat Eccleſiæ Doctor S. Hieronymus, in Cap. 12. Zachariæ: *Spes omnis populi erat in Joſia; ideò, occiſo illo, magnus planctus in urbe commotus eſt*: mortuo Joſiâ, omnis in illis ſpes moriebatur. S. Hieronymus.
Quale vobis tormentum, Animæ captivæ, dum ab iis derelictas vos cernitis, in quibus omnem habebatis fiduciam? Quando filii Iſraël in ſervitute Babylonica ſubjacebant innumeris miſeriis, gemens & dolens Jeremias, & alii Prophetæ (ut ſcirent Iſraëlitæ hæc omnia ſibi eveniſſe, quia Deo vero dorſum verterant) ſubſannantes, & deridentes eos Deut. 32. dum adorarent idola, improperabant eis: *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Deut. 32. Ubi ſunt modò dii veſtri, in quibus habebatis omnem fiduciam veſtram? Cur modò non ferunt vobis ſuppetias? Cur non

non liberant vos ab iſtis miſeriis? *Surgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant*: ingrata Gens! non videtis deos veſtros tantùm ſimulacra eſſe? nihil poſſe, &c? Sed N. N. cur hi SS. Prophetæ hæc illis improperant? Lyranus dat rationem: *Ad augmentationem pœnæ*; ut hæc audientes, majori eos afficerent tormento. Quod Prophetæ Iſraëlitis, id ego vobis, captivæ Animæ: tot habuiſtis idola, quot amicos, quibus fidebatis, à quibus omne auxilium ſperabatis: conſcientia modò vobis improperat: *Ubi ſunt dii, in quibus habebatis fiduciam? Ubi eſt Deus tuus?* Ubi ille amicus, qui tanta & tanta pro vobis feciſſet? Ubi ſunt ſuffragia, quæ ab ipſo ſperabatis? Ubi ſacrificia, ubi eleëmoſynæ, quas dediſſent pro vobis? *Ubi ſunt dii, &c?* modò videtis, quòd mendaces ſint; quòd tantùm ſint amici, quærentes quæ ſua ſunt; hoc modò videtis, ſed, heu! *Ad augmentationem pœnæ*: modò videtis, quibus fideritis, & crediderîtis animas veſtras. Meliùs eſt N. N. ut hanc confeſſionem habeatis ab illa anima patiente, quam antehàc audiſtis non ſemel: ſed priùs verbum de Job.

Lyranus.

V. Job 19. Poſtquàm Deus ſatanæ licentiam dederat affligendi ſervum ſuum Job, ut magìs eluceſceret ſanctitas ejus, tendit hoſtis infernalis omnes nervos, ad debellandum invictum animum ejus: evocat de cœlo ignem, qui in cineres det domos ejus, totamque ſubſtantiam temporalem: vocat ad bellum Sabæos, eiſque tradit omnia armenta: ſuſcitat de cavernis Aquilonaribus impetuoſiſſimos turbines, & proſternunt Regium palatium: dat morti in cibum omnes filios, & filias ejus, ſimul lætè convivantes: exuit eum cunctis theſauris ſuis, & ad extremam reducit paupertatem: de throno præcipitat in fœtens ſterquilinium: lacerat carnem ejus ulcere peſſimo à capite ad calcem, ita ut vermes roderent ad medullam uſque: ſubtrahit omne medicamentum, teſtâ ſolâ relictâ, quâ ſaniem radebat; non ut temperaret, ſed magìs dolorem excitaret: à propria uxore irritatus, ab amicis paſſus improperia, ſedebat juſtus millies moriens: & ut his omnibus dolorem redderet magìs intolerabilem, & paſſionem magis aſperam, & intenſam, effecit, ut omnes amici ipſum fugerent tamquàm omnium peripſema, & ut ſordidiſſimas mundi fæces. *Fratres meos longè fecit à me; & noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti ſunt mei. Abominati ſunt me, quondam Conſiliarii mei; & quem maximè diligebam, averſatus eſt me.* Idipſum evenit animabus adhuc in Purgatorio relictis, & ab amicis in terra oblivionis oblivioni traditis. Una nomine aliarum hoc teſtetur: Quamquàm repletæ ſint, inquit, malis animæ noſtræ, & vita noſtra inferno appropinquârit: *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit*: quamquàm facie Dei ſimus privatæ: *Avertis faciè tuam à me*: quamquàm improperium exprobrantis conſcientiæ patiamur:

Job 19.

Pſalm. 87.

Pſalm.41. tiamur: *Ubi eſt Deus tuus?* quia tamen illa omnia ſuſtinemus ob neglectam pœnitentiam, & nimiam rebus creatis adhæſionem, fatemur nos juſtè à Deo puniri: ſed quòd proximi noſtri, parentes, conſanguinei, & amici nos modò deſolatas relinquant, indè nobis dolor intolerabilis. Regius Propheta David, quaſi lamentationes hujus animæ audiiſſet, conqueritur
Verſ.9. ejus nomine: *Longè feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem*
Agellius. *ſibi*: hoc eſt, inquit Agellius: *Ad mearum miſeriarum cumulum hoc deerat, quod ſummum eſt, ut ſic afflictum, & undique malis & calamitatibus circumceſſum, etiam amici & proximi desererent. Intolerabilis dolor*
S. Cæſarius. *erit*, ait D. Cæſarius, *ſi quis indè cauſas mortis incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuiſſet.* Et ideò ſubjungit: *Traditus ſum, & non egrediebar*: ipſi amici, & propinqui, me hic detinent, & portam ferream clauſam tenent, quæ dudum nobis ultrò aperta fuiſſet, ſi promiſſis ſtetiſſent, & ſuffragiis ſuis nobis
Verſ.10. ſuccurriſſent; ſed *Traditus ſum, & ideò non egrediebar. Traditus?* quid ſenſibiliùs, quàm ab amico tradi? teſtimonium de hoc præbeat Salvator ipſe.

VI. Quantùm deſideraverit nos mundare in Sanguine ſuo, notum eſt omnibus. Nihil frequentiùs in ore, nihil in corde crebriùs, quàm pati, & mori pro nobis. Hinc Pſal.
Pſalm.37. 37. dicebat per os Davidis: *Dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Mar-
Marc.9. ci 9. ex abundantia cordis, *Tunc dixit eis, quia oportet tradi Filium hominis in manus iniquorum.* Imò in ipſa transfiguratione in monte Thabor, cùm eſſet medius inter Moyſen & ELIAM, *Dicebant exceſſum ejus*; Luc.9. Præ deſiderio Lucæ 9.
patiendi videbatur crepare cor ejus: Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor donec perficiam illud!* De civitate Ephrem ve- Lucæ 12.
niens cum diſcipulis ad locum Paſſionis, Marci 10. *Præcedebat illos* Marci 10.
Jeſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant. Quid te movet, Salvator mi, ut præ ſolito tam celeri curſu ita tuos præcedas? reſpondentem audio: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud!* Vado mori pro homine, & ideò anhelans anhelo, & curro ad mortem. Quæ cùm ita ſint, quæro: Cur dicens Joannis 13. *Unus veſtrûm me traditurus* Joan.13.
eſt; Turbatus eſt ſpiritu? Rationem aſſignat S. Cyrill. N. Alexand. in S. Cyrillus
hunc locum: *Exhorruit Chriſtus*, Alexand.
& perturbationis ſignum oſtendit, quia adeò moleſte ferebat ſcelera illius, qui, cùm ejus panem manducaret, calcaneum contra ipſum elevavit. Inhorruit Chriſtus, & turbatus eſt ſpiritu, ſolo cogitatu, quòd diſcipulus, amicus, traditurus eſſet eum; & ideò in ipſo actu proditionis ait illi: *Amice, ad quid* Matth.26.
veniſti? Oſculo Filium hominis tradis? Quamquàm Divinitate ſit armatus, ita tamen turbatus eſt Chriſtus, ut per os Davidis Pſalm. 54. pandat toti mundo animi ſenſum:
Si inimicus meus maledixiſſet mihi, Pſalm.54.
ſuſtinuiſſem utique: & ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo: tu verò, homo unanimis, Dux

meus,

meus, & notus meus; qui ſimul mecum dulces capiebas cibos! Quantùm putatis ſentire animas, ſe in terra oblivionis ab amicis in flammis, & millenis tormentis detineri, tradi, & illudi? Quòd inimici aliquem offendant, & tradant, mirum non eſt; quia ideò inimici vocantur, quibus proprium eſt, malè agere: ſed quòd amici, olim eidem aſſidentes menſæ, quibuſcum converſatio quotidiana, & à quibus ſperaverant omne bonum, omne ſubſidium, quòd illi ſint cauſa tormentorum, quòd illi eas in carcere detineant, pœna eſt intolerabilis. Audiatur iterùm ſuper his æterna Veritas.

VII. Lucæ 21. Loquens Chriſtus de noviſſimis diebus, & iis, quæ tunc eventura ſunt mundo, ait inter
Lucæ 21. alia: *Trademini autem à parentibus, & cognatis, & amicis; & morte afficient ex vobis.* Tam terribiles erunt anguſtiæ, & dolores, quòd etiam trademini à parentibus, & fratribus, & amicis. Ugo Card. inquirit, cur Chriſtus inter omnes preſſuras, poſt terræ motus, peſtilentias, fames, terroreſque de cœlo, ponat, quòd parentes ſurgent in filios, matres in filias, frater in fratrem? Numquid ſufficientia motiva dederat ad incutiendum timorē, dicendo: *Surget Gens*
℣. 10. *contra Gentem, & regnum adverſus regnum; terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt?* Reſpondet
Ugo Card. doctiſſimus Ugo: *Hoc ſubditur ad exaggerationem preſſurarum; moleſtius eſt enim ſupplicium pati, à quo debent accipere beneficium.* Quòd à filiis parentes patiantur, à parentibus filii, fratres à fratribus, amici ab amicis, *Hoc ad exaggerationem preſſurarum ponitur.* Quales querelas dant indies animæ in Eccleſia? *Miſeremini* Job 19.
mei, Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei! Non dicunt ſimpliciter *Miſeremini mei amici mei*; ſed bis dicunt *Miſeremini*, & amicos interpellant, ut ſaltem ipſi miſereantur. Auderetis à me petere rationem? illam me meliùs dabit D. Dionyſius Carth. D.Dion.Carth.
Repetitio verbi, eſt indicium vehementiſſimi doloris. Si durum eſt, amicum ab amico tradi, & in carcere detineri; quàm durum erit hoc fratrem pati à fratre? Loquatur unus ex millibus.

VIII. Gen. 50. Moritur Jacob; Joſeph filius ejus luget mortem patris; Ægyptii quòque planxerunt amariſſimè, non uno, aut duobus, ſed diebus ſeptuaginta: *Flevitque* Gen. 50.
eum Ægyptus ſeptuaginta diebus. Notat D. Chryſoſtomus Hom. 67. in Gen. quòd plures lacrymas fuderint Ægyptii, quàm Joſeph ipſe: *Ipſe* S. Chryſoſt.
quidem quadraginta diebus, Ægyptus autem ſeptuaginta diebus eum luxit: neque hâc compaſſionis demonſtratione contenti, cùm Joſeph, patris voluntati ſatisfacturus, corpus paternum tranſportaret in terram Chanaan (indè longè diſſitam) ibidem ſepeliendum, *Ierunt cum eo omnes ſe-* ℣. 7.
nes domûs Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti. Et antequàm terræ mandarent, *Celebrantes exequias, planctu magno atque vehementi impleverunt ſeptem dies: quod cùm vi-* ℣. 10.
diſſent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus eſt iſte Ægyptiis: ita ut locus iſte vocaretur: *Planctus Ægypti.* Moritur tandem Joſeph; qualem putatis tunc inter

 Ægyp-

Ægyptios planctum fuiſſe? quantas celebratas exequias? crederetis? ſepelierunt eum in loco parvo, non ultrà illius recordantes: *Mortuus eſt, & repoſitus eſt in loculo in Ægypto.* Gen. 50. 25. Quinimò cùm ordinâſſet fratribus ſuis, antequàm moreretur, ut tranſportarent oſſa ejus in terram Chanaan, voluit illam tranſlationem differri uſq; dum exirent de Ægypto; ut remanente corpore ejus in Ægypto Ægyptii, memores obligationis erga Joſeph, majori humanitate fratres ejus tractarent: ſed econtrà accidit: Joſepho vix mortuo, duriſſimæ eos ſubjecerunt ſervituti. Cur, obſecro, tantus luctus, tantus planctus, tanta obſequia, comitatus, funeralia adeò ſolemnia pro Jacob; & pro Joſeph exigua, aut nulla? Nulla à Jacob beneficia receperant, à Joſeph autem innumera; in tantum, ut ſalvatorem eum dicerent: *Joſeph enim octoginta annis*, juxta S. Chryſoſt. D. Chryſoſtomum *præfuit toti terræ Ægypti.* Audite jam Abulenſem in Abulenſis. Cap. 50. Gen. *Ad Ægyptios nihil attinebat lugere Jacob; ſed amore Joſeph fleverunt eum tamdiu; quia Joſeph erat Præpoſitus Ægypti.* Plangebant Jacob, celebrabant exequias illius, non quia verè amabant eum, ſed ob intereſſe, cùm Joſeph primus eſſet à Rege. Intellexiſtis hæc omnia NN.? Non eſt quòd hìc multum moraliſem: ſcitis, & fortè meliùs me ſcitis, quid boni poſt mortem ſit ab amicis exſpectandum. Unus hoc teſtetur Moyſes, qui inter omnes benefactores, quos mundus novit, facilè palmam tulit.

IX. Quis populum Iſraël in manu forti eduxit de dura ſervitute Ægypti? Quis diviſit mare rubrum, Exod. 13. 9. populo Iſraël viam, Ægyptiis ſe- Exod. 14. Exod. 17. 6. pulchrum præbens? Quis de petra Num. 21. 7. 8. fontem eduxit aquarum? Quis duxit Iſraëlitas per deſertum? Quis defendit eos à morſu ſerpentum? quid cætera memorem? virum nôſtis. Unum dico, quod factum eſt Exodi 33. Ob horrendam Idololatriam, ob adoratum vitulum, volebat Deus, & juſtè, delere populum: at Moyſes preces ſuas interponens, intrepidè ait Domino: *Aut dimitte eis* Gen. 33. *hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Tantam objecit charitatem*, inquit D. S. Ambroſ. Ambroſius, *ut faciliùs impetraret.* Putatis memoriam tanti beneficii deleri poſſe, quâcumque etiam poſſibili oblivione? audite & obſtupeſcite. Moritur Moyſes, & ut ſacræ Paginæ teſtantur: *Non cognovit* Deut. 34. 6. *homo ſepulchrum ejus.* Neſcivit hic populus, nec curavit ſcire, ubi humatum eſſet corpus Moyſis; ac ſi numquam fuiſſet in rerum natura. Crediidiſſem ego, quòd, ad perpetuam ejus memoriam, non ſolùm celebrâſſent ſolemniſſima funeralia, ſed Epitaphium erexiſſent, & præclara Moyſis opera exarâſſent; ut etiam ipſi lapides poſteritati tuliſſent de ipſo teſtimonium: ſed econtrà: *Non cognovit homo ſepulchrum ejus*: ab obitu ejus non eſt vel unus ex tot millibus, qui inquirat, ubi ſacri hi cineres requieſcant; ut ſubindè illis precarentur unum *Requieſcant in pace.* Ite, ite, & confidite amicis! *Nolite, nolite confidere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.*

X. Lucæ 16. Famoſus Epulo, ſepultus in inferno, alio modo purpurâ indutus, quàm dum viveret,

totus

Lucæ 16. totus in flammis, ait ad Abraham: *Pater Abraham miſerere mei, &c. quia crucior in hac flamma.* Non habebat Epulo fratres ſuperſtites? habebat certè; dicit enim ipſe: *Habeo enim quinque fratres.* Non recordabantur ejus fratres illi? Legite S. Evangelium, ſi vel unum aliquâ erga eum miſeratione ductum inveneritis; dum ipſe econtrà, inter tormenta adeò afflictus & miſerabilis, eorum recordatus, rogat Abraham pro ſalute ipſorum:

℣. 28. *Habeo quinque fratres; rogo te, Pater Abraham, mitte Lazarum, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* O rem miram! frater mortuus recordatur fratrum vivorum, & vivi non recordantur fratris defuncti, ſed ab eis relinquitur tamquàm extraneus;

Pſalm. 68. 9. non ſolùm in terra oblivionis, ſed & in tormentis: *Extraneus factus ſum fratribus meis.* Extraneus factus fratribus, inter quos tanta intercedit ſimilitudo? Verbis utor Valerii Maximi:

Valerius Max. *Quàm copioſa ſuavitatis hæc recordatio eſt: In eodem domicilio, antequàm naſcerer, habitavi; in iiſdem cunabulis infantiæ tempora peregi; eoſdem appellavi parentes; eadem pro me vota fecerunt; parem ex majorum imaginibus gloriam traxi!* & poterit locus dari oblivioni, ubi adeò naturalis & fortis dilectio eſt? Heu! quàm fallimur! Si qui ſint, quibus poſt mortem minùs fidendum eſt, hi fratres ſunt. Hoc aſſerit Propheta

Pſalm. 68. Regius Pſal. 68. *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Non loquitur ibi Propheta in propria perſona, ſed nomine animarum Purgantium; ut ait Gloſſa:

Gloſſa. *Qualibet anima poteſt conqueri, & dicere: Extraneus factus ſum fratribus meis.* Nolite confidere in adjutorio fratrum veſtrorum; quia, factâ poſt mortem veſtram bonorum diviſione, fratres non ultrà fratres ſunt; adeò fiunt extranei, & peregrini, acſi numquam vos noviſſent. Fratres & ſorores hujus ſeculi, quomodò conſcientia veſtra ſimilia digerit? Legite Paulinam (ſi viſus in vobis adhuc integer eſt) & dum legitis, pudore ſuffundamini.

XI. Hebræorum 11. De Moyſe loquens, ait: *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Hebr. 11. Hæc ultima verba non parùm videntur intellectu difficilia: *Temporalis peccati habere jucunditatem.* Si dicat Apoſtolus peccatum eſſe, filium haberi filiæ Pharaonis, nec non vivere in aula; quale peccatum eſſe poſſit, planè ignoro; cùm Joſeph, Daniel, & alii non pauci, Regia palatia, etiam barbarorum, & idololatrarum, abſque nota peccati inhabitârint, cœleſti protectione, & divinæ gratiæ auxilio muniti: quale ergò Moyſi peccatum fuiſſet, ſi manſiſſet in aula Regia? Primatius Uticenſis in Cap. 11. ad Heb. reſpondet: Primat. Utic. *Peccatum reputavit, ſi maneret in aula Regis temporali lætitiâ fruens, ſuoſque fratres in tribulatione relinquens: non affligi, inquam, cum aliis, peccatum reputavit.* Quod Moyſes peccatum, & quidem grande, reputavit, non tam fuit in aula Regia feſtivè excipi, quod ſine peccato fieri poterat; quàm videre, quòd reprehenſione dignus eſſet, ſi, ſub duro ſervitutis jugo ingemiſcentibus fratribus,

tribus, delitiaretur ipſe in aula: *Non affligi cum fratribus, peccatum reputavit.* Et tu peccatum non reputas, non ſolùm non affligi cum fratribus tuis, captivis ſcilicet animabus in Purgatorio; ſed, cùm in manu tua ſit, illas ſuffragiis tuis de carcere liberare; in carcere eas detinere, & portâ ferream illis clauſam tenere? O durum fratrem! Ne miremini NN. quia de quibus Deus dixit: *Erunt duo in carne una*; & : *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; illis fit mors mater oblivionis: ſic tractant invicem maritus & uxor.

XII. Gen. 3. Eva, à ſerpente ſeducta, urget maritum ad eſum vetitum: hic, ne (ut Auguſtinus loquitur) contriſtaret delitias cordis ſui, divinum tranſgreditur mandatum: & ecce: *Venit Dominus igneum habens gladium*, inquit Mellifluus; iratus clamans: Ubi eſtis, divini mandati tranſgreſſores? quomodò auſi eſtis extendere manus veſtras ad pomum vetitum? Quid hîc faciet Adam? videt in ſe, & dilectiſſimam uxorem ſuam Deum iratum, igneum habentem gladium: non avertet ab ipſa gladium, ne percuſſa intereat? Ne contriſtaret eam, perdidit ſe, & mundum univerſum: non ſe modò igneo iſti gladio opponet? non excuſabit eam? non allegabit infirmitatem ejus, & inadvertentiam, culpam in ſe ſolum conjiciens? econtrà: omnem in eam culpam conjicit: *Mulier, quam dediſti mihi, &c. Gladius hic, ignis Purgatorius eſt*; inquit Rupertus Abbas; dum Adamum auxiliari uxori oportebat, accuſator ejus effectus eſt. O inſignem mariti amorem! D. Bernardus

Gen 3. D. Bern.

ỳ. 12.

Rupertus.

Adamum alloquitur: *Venit Dominus, igneum habens gladium; oppone te diſcrimini: dic: Domine, mulier infirmior eſt; in me ſolum vindicta procedat. O perverſitas! delinquere nullo modo, ſatisfacere pro ea debuiſti.* Duo mala fecit Adam, inquit Bernardus: ſcilicet peccando, ut placeret uxori, quod facere non poterat: & poſteà non ſatisfaciendo, nec orando pro illa, quod facere debuiſſet. O perverſitas! Quot hujus farinæ mariti, qui, ne contriſtarent delitias ſuas, Deum offendunt, omnem uxoribus pompam indulgendo; aliena injuſtè retinendo, aut rapiendo; & dum poſt mortem ſub igneo Divinæ juſtitiæ gladio in flammis Purgatorii gemunt, in animæ redemptionem ne vel unum Sacrum, aut unam Communionem pro eis habent: imò vix unum *Requieſcant in pace*; clauſam tenentes portam ferream. O perverſitas! Sint fratres & ſorores ingrati, & defunctos fratres ſuos in carcere detineant; ſaltem non poterunt filii parentes, nec parentes filios tradere oblivioni. D. Bernard.

XIII. Joannis 11. Reſuſcitaturus Jeſus Lazarum, ut vidit Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant cum eo, plorantes, etiam ipſe cum eis *Lacrymatus eſt Jeſus*: & ſimul Ioan. 11.35. venientes ad monumentum, ait adſtantibus: *Tollite lapidem*: quo ỳ. 39. ſublato, *Elevatis ſursùm oculis dixit*: ỳ. 41. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* A Patre exauditus legitur; oràſſe Patrem non legitur. Quid ergò eſt, quòd Patri gratias agat, quoniam audivit eum, ſi nihil à Patre rogàſſe legatur? Hîc ſolitam ſuam effundit Ambroſiam Eccleſiæ

Doctor

S. Ambroſius. Doctor D. Ambroſius: *Inter Patrem & Filium non intercedit neceſſitas ſupplicandi*: videbat Pater lacrymas Filii, mortuum reſuſcitaturi; & vidiſſe, ſatis eſt Patri, ut exaudiat Filium; inter Patrem & Filium alia non intercedit neceſſitas ſupplicandi. Quot patres & matres ſecurè tranſeunt ad vitam alteram, omnem habentes fiduciam in filiis, quòd poſt mortem in animarum ſuarum refrigerium jubebunt Sacra legi, in pauperes eleëmoſynas diſtribui, &c. dicentes: Non eſt, quòd ipſos ad hoc obligemus: *Inter patrem & filium non intercedit neceſſitas ſupplicandi*: gratitudo nobis debita, ad hæc præſtanda ſatis illos obſtringet: O ſtultum patrem! ô ſtultam matrem! Vereor, ne filii veſtri idipſum faciant vobis, quòd filius ille, de quo Lucæ 9. Dixerat ei Salvator: *Sequere me*: at ille: *Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Sepelire patrem? Cur flexis genibus non rogat Chriſtum, ut patrem de morte ad vitam revocet, & reſuſcitet eum? ſat illi erat, bona paterna poſſidere; de anima minimè ſollicitus erat. Idipſum, Patres & Matres, veſtro damno edocti, modò experimini in duro carcere Purgatorii, in quo jacetis adeò à filiis quoad animas oblivioni traditi, acſi numquam in rerum natura fuiſſetis. Non ſic egit Tobias cum parentibus ſuis vivis, ſicut filii hujus temporis cum parentibus ſuis defunctis.

Lucæ 9.

XIV. Tobiæ 11. Moras faciente Tobiâ, causâ nuptiarum, ſollicitus erat pater ejus, ubi tamdiu moraretur, aut quare detineretur: unde: *Cæpit contriſtari nimis, ipſe, & Anna*

Tobiæ 10. 3.

uxor ejus cum eo; & cæperunt ambo ſimul flere, eò quòd ſtatuto die non reverteretur: *flebat autem mater ejus irremediabilibus lacrymis*, & nullo modo conſolari poterat; ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur; ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem: cùm verò Archangelus Raphaël adhuc detinere eum vellet, dicebat illi Tobias: *Ego novi, quia pater meus, & mater mea modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.* Filii, expectant, & ardenter deſiderant veſtra ſuffragia parentes veſtri; in flammis & pœnis ſuis computant non ſolùm dies, ſed horas, ſed momenta, & atomos, ut vos, qui fuiſtis lumen oculorum ipſorum, procuretis eis illuminationem cæcitatis eorum; & tardatis ad dies, ſeptimanas, menſes, annos, & ultrà. *Spiritus eorum cruciatur in ipſis.* Tot anni ſunt, à quibus in igneo iſto carcere torquentur; innumeræ ſunt conjecturæ eorum, quibus ſe ſperabant vel aliquo ſuffragio veſtro de carcere ſuo liberandos; & ex omnibus filiis ne vel unus cogitat de illis: *Conſolantem me quæſivi*, inquiunt, *& non inveni.* Hinc cruciatur ſpiritus eorum in ipſis. Filii, qui ſcitis animas parentum veſtrorum per vos in tam duro carcere detineri, non timetis, quòd de vobis verificabuntur verba Sapientis Sapientiæ 4. *Condemnat juſtus mortuus vivos impios, quia iniquè agunt?*

℣. 4. ℣. 9. Sapientiæ 4.

XV. 2. Paralip. 21. Poſtquàm S. P. Meus Elias curru igneo raptus eſſet in Paradiſum, eique revelâſſet Deus ingratitudinem, & impietatem

pietatem Regis Joram, ſcribit ipſi litteras comminatorias : *Allata ſunt ei litteræ ab* Elia *Propheta* ; in quibus ſic ſcriptum erat : *Hæc dicit Dominus Deus patris tui* : *Quoniam non ambulaſti in viis Joſaphat patris tui, & in viis Aſa Regis Juda; ſed inceſſiſti per iter Regum Iſraël, & fornicari feciſti Judam, & habitatores Jeruſalem . . . . Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ, cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, univerſaque ſubſtantia tua. Tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies.* Contentum litterarum illarum exponerem pleniùs, ſed alias habeo vobis prælegendas, quæ hodie in ſpiritu mihi allatæ ſunt, non ex Paradiſo, ſed ex Purgatorio, in flammis à parentibus veſtris ſcriptas, cum inſcriptione ad vos : ſi ſcirem, quòd non ſuffunderemini pudore, illas vobis publicè prælegerem : nihilominùs cùm id à me requirant animæ, non poſſum tantillum ipſis denegare. Audite ergò, quid ſcribant vobis : Ingratiſſimi, & degeneres filii, quorum cauſâ nos, pater veſter, & mater veſtra cruciamur in his flammis, ut vos ditaremus; numquam induxiſſemus in animum noſtrum, quòd parentes veſtros ſic traderetis oblivioni, & in hoc duriſſimo carcere detineretis. Ut quid tantæ nobis curæ fuiſtis? Ut quid pro vobis à manè ad veſperam laboravimus? Ut quid in ſudore vultûs noſtri operati ſumus, ut nummulum pro vobis conquireremus? reliquimus vobis millia, quibus modò dominamini, ab obitu noſtro vix noſtri memores : copias noſtras tenetis in aulis veſtris, & originale finitis flammis aduri : vix traditi ſumus ſepulturæ, vix campanæ ſiluerunt, & periit memoria noſtra cum ſonitu : pro tot millibus, quæ reliquimus vobis, vix unum Sacrum pro animabus noſtris legi juſſiſtis, & ne vel aſſem in eleëmoſynam dediſtis : experimur modò verum eſſe dictum Davidicum : *Filii alieni mentiti ſunt mihi* : recordemini proteſtationum nobis factarum, dum extrema agebamus: modò vix legeretis pro animabus noſtris unum *Pater* & *Ave*; imò vix unum *Requieſcant in pace*. Hæc ſcribimus, & condemnamus vos vivos impios, afflictiſſimi parentes. Quid ad hæc NN? Habetiſne vel verbum contrà? Numquid confuſione pleni debetis fateri, contentum harum litterarum nimis verum eſſe? Quàm durum ſit parentibus pati à filiis, teſtabitur pater omnibus notus.

2 Paral. 21. 12. ℣. 13. 14. 15. 16. Pſalm. 17. 46.

XVI. Rex inter Prophetas, & Propheta inter Reges, ut toti mundo innoteſceret, quàm ei ſenſibile fuerit pati ab Abſalone filio ſuo, componit deſuper integrum Pſalmum ; eſt 118. Pſalmum modò non tango, neque contentum ejus ; ſolummodò attendite ad titulum, quem ei præfigit: tantùm ponit tres litteras : *Sim* ; quod verbum latinè interpretatur : *Super vulnus*. S. Amb. Serm. 21. in hunc Pſalmum ſolitâ ſuâ ſubtilitate quærit : *Super vulnus, quid eſt, niſi medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigatur?* Quaſi diceret Propheta Regius : Tam crudele vulnus, tam acuta & penetrans plaga dilacerat cor meum, ut medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigetur, ſit mihi neceſſarium ; ne alioquin

Pſalm. 118. S. Ambroſ.

alioquin moriar Quale illud vulnus David, ut inter omnes dolores illud ſolum perferre non valeas? Edicit ipſe: *Principes perſecuti ſunt me gratis*. Quinam, obſecro, ſunt Principes illi, qui adeò te affligunt, & perſequuntur? An fortè Philiſthæi, capitales inimici tui? An fortè Gens quædam barbara, contra te bella movens? non, inquit David: alii ſunt, qui vulnerant cor meum. S. Ambroſius novit illos, & etiam nominat: *Si veterem repetamus hiſtoriam, Saül, & Abſalom, ſanctum David perſecuti ſunt.* Unus erat filius; alter millenis titulis Davidi obſtrictus, ob recepta ab eo beneficia; ſignanter ob regni, & vitæ conſervationem. Hæc conſiderans David, incipiens Pſalmum, ponit in Capite: *Super vulnus*: hoc vulnus totam transfigit animam meam; hîc mihi neceſſaria ſunt medicamina: non eſt dolor ſuper hunc dolorem, nec vulnus adeò ſenſibile, quàm filium videre perſequentem me; & inſidiantem vitæ meæ illum, qui millenis beneficiis mihi obſtrictus eſt: hoc pœnale, hoc ſenſibile nimis. Quando proponitur animabus, & idipſum recogitant, quòd in vivis reliquerint filios, quos genuerunt, & amicos alios, quibus innumera beneficia præſtiterunt, & quòd illi modò ipſis nec compatiantur, nec ullas ſuppetias ferant, ac ſi numquam eas noviſſent; imò quòd ſcienter & volenter in carcere ipſas detineant; cogitate, an ſimiles filios & amicos meritò non condemnent ut crudeles, & impios: ita, ita: *Condemnat juſtus mortuus vivos impios*: quidni & perſecutores ſuos eos vocent?

Pſ. 161. S. Ambroſius.

XVII. Job 19. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* S. Gregorius Eccleſiæ Doctor quærit, in quo conſiſtat iſta perſecutio? in eo, inquit, quòd *Una cum Deo cauſa etiam pro eis agitur, non tamen voluntas una ſervatur; quia Omnipotens Deus amando purgationem exhibet; miniſtrorum pravitas ſæviendo malitiam exercet.* Sententia pœnalis juſtè à Deo prolata eſt; à Deo, tamquàm juſto vindice; ab illis, tamquàm iniquis perſecutoribus, & carnibus eorum ſe ſaturantibus. Degeneres Filii, à quot annis obiit pater veſter, mater veſtra? à ſex, octo, decem annis: ab illo tempore, à celebratis exequiis, quas ad oſtentationem ſeu pompam potiùs, quàm in animarum ſubſidium celebràſtis, quid refrigerii habuerunt à vobis? puderet vos ipſos hîc publicè eloqui; patre veſtro, & matre exprobrantibus vobis: *Quare carnibus meis ſaturamini?* divitiæ, & facultates, quas poſſidetis, cenſus quos expenditis, domus quas inhabitatis, convivia, quæ ad luxum celebratis, panis, quem comeditis, vinum, quod bibitis, numquid carne & ſanguine noſtro conſtitêre, ut vos opulentos, & abundantes faceremus? *Quare ergò carnibus meis ſaturamini?* Quare ergò voſmetipſos paſcitis ſubſtantiâ noſtrâ, etiam uſq; ad gulam; &, defectu alicujus ſuffragii, jejunas linquitis animas noſtras? *Quare carnibus meis ſaturamini?* Saginatis vos carne & ſanguine noſtro, & tamquàm alienos relinquitis nos, in terra oblivionis.

Job 19. S. Gregorius.

XVIII. Lucæ 13. refertur parabola fici, quam quidam planta-

verat in vinea ſua: quærens fructum in illa, & non inveniens, dicit cultori vineæ: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergò illam; ut quid etiam terram occupat?* Purpuratus Cajetanus loco: *Ut quid terram occupat?* legit: *Ut quid terram onerat?* Vellem ſcire, in quo conſiſtat onus, quod terræ affert arbor illa infructuoſa? reſpondet Cajetanus: *Significatur enim quòd onus eſt terra, ſugens illam, & tamen fructum ſuum non reddens.* Notate verba: *Sugens illam.* Sugere velle hominem uſque ad ſanguinem ejus, onus eſt non leve: *Ut quid terram onerat?* Videte Filii, ne idipſum Deus faciat vobis: ſuxiſtis ſanguinem parentum veſtrorum, hæreditâſtis omnem facultatem eorum, modò à vobis fructum aliquem expectant, in refrigerium animarum ſuarum aliquot ſuffragia petunt; ſi non detis, *Sugens, & non reddens*, videte ne dicat Deus: *Succide illam; ut quid patrem onerat?* &, quod alteri ficulneæ dixit: *Maledicta ficulnea.* Sed quomodò maledicitur, ſi non fuerit tunc tempus ficorum? Theophilactus Lib. 2. Cap. 8. dicit hanc ficulneam ſymbolum eſſe filiorum, qui, parentibus ingrati, ex abundantia beneficiorum ab illis receptorum deteriores fiunt. Ficulneæ proprietas eſt, quòd, *Dum irrigatur, deteriores fructus faciat.* Ingrati Filii, quot beneficia, quot blanditias à die nativitatis veſtræ uſque in præſens tempus à parentibus recepiſtis? Quis collocavit vos in ſtatu, in quo eſtis? Quis vos divites fecit? & intereà quos fructus facitis? *Irrigati, deteriores fructus facitis*; diſſolutionibus, delitiis, & crapulæ indulgetis; parentes veſtros oblivioni tradentes, imò animas eorum in igneo carcere detinentes. *Infideles Filii!* Non timetis, ne Deus tandem maledicat ficulneæ, & fiat arida à radicibus, ſic ut *Numquam ex illa naſcatur fructus in ſempiternum*, & remaneat truncus inutilis? ne ſcilicet privet vos divitiis, quibus abundatis, & ad nihil ſerviatis, niſi in eſcam flammæ devoratrici in inferno? *Maledicta ficulnea, quia, dum irrigatur, deteriores fructus facit.* Audiant me illi filii, qui adeò crudeliter tractant parentes ſuos, ut ſæpè, calcantes ſepulchra eorum, non dignentur animas eorum vel uno *Pater noſter*, imò ne vel uno *Requieſcant in pace.* De his audiendus iterum Propheta Regius, in ſimiles indignatione plenus.

Luca 13.

Cajetanus.

Theophilac.

XIX. Pſal. 128. *Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini ſuper vos*; ne unam quidem requiem ſalutarem apprecati ſunt, ſed ita indurati, ut non minùs, imò pejùs agant cum animabus, quàm Joab cum cadavere defuncti Abſalonis 2. Reg. 18. Poſtquam Joab inflixerat 3. lanceas in cor *Abſalonis pendentis de quercu, tulerunt & Abſalom, & projecerunt eum in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum*: omnes, qui tranſibant ſepulchrum ejus, mittebant lapidem in ſepulchrum ejus. Sic multi hodie filii, & conſanguinei, mittunt lapides ſupra ſepulchra mortuorum, dum corde lapideo incedunt, & calcant ſepulchra parentum; itaut ingratâ ſuâ duritie privantes parentes debitis ſuffragiis, non ſolùm eos in duro

Pſalm. 128.

2. Reg. 18.

illo carcere captivos detineant, ſed ſummò gaudio & conſolatione repleant diabolum, animarum inimicum.

XX. Summi Pontifices, & Phariſæi timentes plebem, non audebant in Chriſtum manus injicere, neque occidere eum: undè maximè gaviſi ſunt, videntes Judam (qui, teſte Theophilacto in Cap. Theophilactus. 22. Lucæ, *Erat ex maximis familiaribus Chriſti*) machinari proditionem ejus: ita Marci 14. 10. Marci 14.10. *Judas Iſcariotes abiit ad ſummos Sacerdotes, ut proderet eum illis:* Verſ. 11. *qui audientes, gaviſi ſunt. Gaviſi* Euthymius. *ſunt*, inquit Euthymius ibi, *Quòd à ſuis diſcipulis odio haberi inciperet.* Ita diaboli, invidentes animabus Purgantibus omne bonum, & omne eis optantes malum, cùm eas in Purgatorii carcere punire, ſeu torquere non poſſint, gaudent, & complacent ſibi, quòd filii & amici earum dereſinquant eas, & oblivioni tradant, ac in carcere detineant, ut ibidem diutiùs crucientur, & tardiùs gaudeant viſione beatificâ. Videte ergò Filii, quid agatis; quorum vos miniſtros faciatis; quibus conſolationi ſitis; inimicis nempe infernalibus. Quid vobis mali fecerunt parentes & amici veſtri, ut reddatis eis tantum malum? Si ita amaverint vos, cur odio adeò crudeli illos perſequimini? Si benefecerint vobis in vita, cur modò relinquitis illos in carcere iſto igneo? M. P. Auguſtinus indignatur: *Clamant quotidie, qui* S. Auguſtinus. *jacent in tormentis; ululant, & non eſt, qui conſoletur. Clamant, qui dum viverent multa pro vobis ſuſtinuerunt, nec eis ſubvenire curatis.* Ipſi gemunt, vos duri; ipſi clamant, vos inflexibiles; ipſi plorant, vos ſine compaſſione: dum in craſtinum graviora contra vos meditor, rogo, ne de templo hoc exiveritis, niſi interea ad minùs dixeritis: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. Requieſcant in pace. Amen.*

SERMO UNDECIMUS

DE CARCERE PURGATORII.

Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta eſt eis. Act. 12.

Portam ferream carceris Purgatorii miſeris captivis animabus oppeſſulatam tenent filii, & hæredes, non adimplentes pia legata in redemptionem & refrigerium animarum ſuarum relicta, à Deo tamquàm fures, & animarum necatores puniendi: ipſis incarceratis contra ſimiles vindictam clamantibus; quam Deus ſolet inferre citò.

I. SI durum fuit Prophetæ Job, inter adverſa ab amicis deſeri; ipſo teſtante: *Noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti ſunt mei, & abominati ſunt me*: certè durius eſt animabus captivis, in igneo carcere Purgatorii detentis, ab amicis deſeri, & tradi oblivioni; ipſis lamentantibus: *Vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. Longè feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem ſibi*; & clauſam tenent portam ferream, quæ ultrò nobis aperta fuiſſet, ſi ſuffragiis ſuis nobis ſuccurriſſent. N. N. credidiſſetis umquam, quòd defuncti, etiam benefactores ſummi, ita à viventibus traderentur oblivioni, ut nulla ultrà habeatur memoria eorum? Cogitâſſet aliquis veſtrûm, quòd Ægyptii ita egiſſent cum Joſeph? Moritur Joſeph, & Ægyptii tantæ eum tradunt oblivioni, ac ſi numquam eum noviſſent, quem tamen ſalvatorem ſuum vocaverant: *Mortuus eſt, & repoſitus eſt in loculo in Ægypto*: nullâ factâ mentione funeralium. Credidiſſet aliquis, quòd filii Iſraël Moyſen, incomparabilem benefactorem ſuum, ita ſepeliiſſent in terra oblivionis, ut dicat Scriptura: *Non cognovit homo ſepulchrum ejus*? Ne vel unus ex tot millibus inquirit, ubi ſacri ejus cineres requieſcant. Quid mirum, quòd tunc amici invicem tradant oblivioni, ſi nec frater fratris, nec ſoror ſororis poſt mortem ultrà recordentur? imò nec uxor mariti, nec uxoris maritus, nec filii parentum? Deberem vobis denuò litteras prælegere, quas herì ex parte defunctorum parentum contra crudeles & degeneres filios ex Purgatorio recepe ram: certè ſi tales filii ſtarent ad portas

Job 19. 13.
Eccli. 51. 9. 10.
Pſalm. 87.
Gen. 50. 25.
Deut. 34. 6.

Job 19. 22. portas Purgatorii, audirent animas eis exprobantes: *Quare perſequimini me, & de carnibus meis ſaturamini?* Saginatis vos carne & ſanguine noſtro, & tamquàm alienos relinquitis nos in carcere, in tanta cordis duritia, ut, calcantes ſæpè ſepulchra noſtra, ne vel ſemel
Pſalm. 128. 8. diceretis pertranſeuntes: *Benedictio Domini ſuper vos.* Econtrà; ſummo gaudio afficitis diabolum, exultantem in hoc, quòd à filiis noſtris odio habeamur; quòd oblivioni nos tradatis; quòd in carcere detineatis, portam ferream nobis clauſam tenentes. Sed cùm hodie me oporteat de crudelioribus filiis agere, antequàm illos nominem, priùs imploro opem B. Mariæ Virginis, quæ S. Birgittæ dicta eſt:
Revel. S. Birgittæ. *Conſolatio eorum, qui ſunt in Purgatorio. Ave Maria.*

II. Portam ergò ferream non ſolùm clauſam, ſed inſuper oppeſſulatam tenent filii, & hæredes, qui vi teſtamenti ſuccedentes in hæreditatem bonorum, ſub onere adimplendi legata, in animarum ſuarum refrigerium relicta, illa non adimplent; ſed tamquàm fures, & animarum necatores, animas parentum aut amicorum privant ſuffragiis, quibus ſuæ redemptioni conſuluerant; ſicque illas in carcere detinent, & cœli portam claudunt, donec per ſatiſpaſſionem Divinæ juſtitiæ ſatisfecerint. Hodie ago contra iſtos crudeles animarum necatores. Dignemini me magnâ attentione, quia rem magnam dico. Deo auſpice incipio.

III. Non dantur verba magìs moventia, quàm verba ultima morientis amici, ſignanter patris. Gen. 50. 16. Mortuo Jacob, ſepultoque in terra Chanaan, timentes fratres Joſeph, ne fortè memor eſſet injuriæ, quam paſſus erat, & redditurus eis malum, dicunt ei: *Pater* Gen. 50. 16.
tuus præcepit nobis antequàm moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Quibus auditis flevit Joſeph. Filii, quando ſtabatis ad lectum morientis patris veſtri, ſcitis quàm debili & ſemi-mortuâ voce dixerit vobis: Orate pro me, Proles; commendo vobis animam meam: videbatur frangi cor veſtrum: audientes hæc, faciebatis mille proteſtationes, promittebatis montes aureos; quinimò jam elinguem factum inclamabatis, oculis magis, quàm ore: Pater, ſi tibi adhuc auditus, aut intellectus eſt, ſi aliquid adhuc deſideres, preme manum; da vel minimum ſignum, & exequemur: & modò, dum ardet in igneo carcere, relinquitis illum ardere, non ſolùm ultimorum verborum ejus, ſed & debitæ parentibus pietatis obliti: imò denegantes ea, quæ ultimæ ejus erant voluntatis. Non ſic Joſeph; non ſic fratres ejus. Præceperat eis Jacob:
Sepelite me cum patribus meis in Gen. 49. 29.
ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron. Fecerunt ergò, inquit S. Textus, *filii Jacob, ſicut præceperat eis.* Nonnulli à patre acria verba retulerant, dum vitia ipſorum moriens reprehenderat; & tamen, licèt læſi, eum condignè honorare, & debita ei ſolvere voluerunt: quin-

quinimò memores pietatis parentibus debitæ, nullis pepercerunt expenſis, labores nullos neglexerunt, cunctaque itineris pericula contempſerunt: *Ut diſcant hinc filii*, inquit Oleaſter, *implere quæ parentes in ſuis teſtamentis mandârunt; quod tamen rarò fit.* Audiant hæc filii, qui parentes ſuos, à quibus millia hæreditârunt, more nobilium (ut ajunt) cum rheda ſero veſpere, canum inſtar, ſepeliunt; vix lecto uno *Pater noſter*. Si verè filii eſtis, Chriſtum Salvatorem noſtrum imitemini; qui, appropinquante die mortis ſuæ, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*: illico pro nobis offert ſacrificium Corporis & Sanguinis ſui, in cæna incruentum, & in Cruce cruentum: ut vos, Proles, diſcatis, ſicut *Omnia dedit vobis pater in manus*, voſque omnium bonorum ſuorum hæredes reliquit, ita indilatè in refrigerium parentum veſtrorum offerri jubeatis ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini, & legata eorum adimpleatis: utpotè qui ſecundùm Chryſoſtomum: *Bona paterna petunt, non tua; quæ tibi commiſſa ſunt ipſorum gratiâ: da quæ accepiſti, ut uſum eorum tibi conceſſum in lucro ponas.* Petunt, non ut veſtris, ſed facultatibus ſuis vobis relictis, eis ſuccurratis. Dico vobis cum Sapiente Prov. 3. *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere; cras dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare.* Quoties dicitis requirentibus legata ipſis relicta (etiam dum otioſas habetis pecunias) *Vade, & revertere: cras dabo tibi*; & interim cum veſtro *Cras dabo* tranſeunt ſeptimanæ, menſes, & fortè anni: & interim ardent in flammis parentes ſuffragiis privati. S. Gregorius Nazianzenus vos alloquitur: *Miſericordiam tuam, ne nox quidem intercipiat: ne dixeris: In craſtinum dabo; ne quid fortè accidat inter propoſitum & beneficium, quo verè impediatur.* Hoc à vobis requirit S.M. Eccleſia, inſtituens Miſſæ ſacrificium *In die Obitûs.* Neque hìc ſiſto.

Oleaſter. Joan. 13. 3. S. Chryſoſtomus. Prov. 3. S. Gregorius Naz.

IV. Judicum 11. 40. Mulieres hebrææ in luctu & planctu ſolemnizabant diem anniverſarium mortis filiæ Jephte; nec ſolùm illæ, quæ erant de familia, aut civitate, in qua illa ſepulta erat, ſed etiam de diſſitis civitatibus: neque hæc pietatis ſigna duobus tantùm aut tribus annis demonſtrabant, ſed tamdiu continuârunt, ut facta ſit conſuetudo numquam intermiſſa: *Conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Jephte*: & tamen nec facultates ejus poſſidebant, nec ullum ab ea beneficium receperant. Quantò magìs oporteret filios, & hæredes, à defunctis tam pingui hæreditate ditatos, in redemptionem eorum, qui fortè propter illos ardent in flammis, celebrare diem anniverſarium, cùm juxta D. Clementem Lib. 8. Conc. Apoſt. Cap. 48. *Anniverſarius dies pro memoria ipſius celebretur, deturque de ipſius facultatibus, pauperibus in commemorationem ipſius.* Deut. 14. tenebantur omnes ſeparare decimam partem fructuum ſuorum: *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus, qui naſcuntur in terra*

Judic. 11. 40. S. Clement. Deut. 14. 22.

per

per annos ſingulos : & hoc, juxta Interpretes, in uſum pauperum: ut ſic viſitare eis liceret tabernaculum Dei, eique offerre ſacrificium. Date mihi, ſi poteſtis, ab orbe condito pauperiores, quàm ſint captivæ animæ in carcere Purgatorii: ardent deſiderio adeundi *Tabernaculum Dei altiſſimi*; quod ut intrent, per ſuffragia, per Miſſæ ſacrificia, &c. aperienda eſt porta ferrea illis clauſa. Si etiam pro extraneis danda erat annuè decima pars fructuum, quantò magis in redemptionem & refrigerium parentum? Ante conſecutam hæreditatem, dum infirmabatur pater aut mater, viſitabatis, ſerviebatis, ſubminiſtrabatis eis omne auxilium; & modò per mortem eorum illam conſecuti, non ſolùm eorum obliviſcimini, ſed injuſtè bona illa poſſidendo, de quibus diſpoſuerant ad cauſas pias, oppeſſulatam tenetis portam ferream. Audite quàm vivis coloribus depingat vos Propheta Regius.

Pſalm. 77. 36. V. Pſalm. 77. 36. *Dilexerunt eum in ore ſuo; & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei.* Qualem affectum non oſtendunt filii infirmis parentibus condentibus teſtamentum? Promittunt ſe promptè executuros ultimam voluntatem eorum, non quoad ea ſolùm, quæ in teſtamento continentur, ſed multò plura pro animabus eorum ſe facturos pollicentur: *Dilexerunt eos in ore ſuo.* Sed quomodò baptizandus eſt amor ille? *Linguâ ſuâ mentiti ſunt ei.* Sunt promiſſa fallacia; quia *Cor eorum non eſt rectum cum eis*; non parentes, aut teſtatores, ſed hæreditatem eorum amantes: ideòque (quod peſſimum eſt) *Nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus*: quomodò hoc? *Quia non fecerunt ea, quæ in teſtamento præcipiebantur*; inquit Ugo Card. Hinc Pſalmiſta, qui filiorum agendi modum noverat, ut omnes teſtatores cautos redderet, Pſalm. 145. 3. ait: *Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Cavete vobis fidere in illis, quia *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam*: morientur illi, & terræ tradentur, & quid tum? *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*; non attendentes, *Quod hæreditas tranſeat cum onere.* Econtrà: *Periit memoria eorum cum ſonitu*: cum quo ſonitu? *Cum ſonitu campanarum*, inquit Ugo Card. ibi; & dat rationem: *Quia ſicut ſonitus ille citò tranſit, ſic memoria citò deletur* eos juvandi per ſuffragia, quamquàm ab ipſis ante mortem ordinata, & in teſtamento præſcripta: *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Dicite mihi, obſecro, degeneres Filii, quid vobis mali fecerunt parentes veſtri, quos modò detinetis in igneo carcere Purgatorii? Si adeò ingrati eſtis, ut oblivioni tradideritis quanta vobis dederint bona, refricabo vobis tantiſper memoriam. Pauper pater veſter vix habuit in vita horam quietis, ut vobis requiem procuraret; in medio commoditatum vixit incommodè, ut vos viveretis commodè; jejunavit non ſemel, ut vobis eſſet lautiùs; pauperem quodammodò vitam duxit, ut abundaretis magìs, & divitiis afflueretis. Quanta à

Verſ. 37.
Ugo Card.
Pſalm. 145. 3.
Verſ. 4.
Pſalm. 9. 8.
Ugo Card.

vobis paſſa ſit mater veſtra, melius me ſcitis: quidquid eſtis, quidquid habetis, à parentibus venit: & horum omnium obliti, adeò ingrati eſtis, ut relinquatis patrem, & matrem ardere in flammis? imò ut obſeretis eis portam ferream, quæ jam dudum illis forte aperta fuiſſet per pia ipſorum legata, ſi ea adimplevìſſetis? Si ſecundùm D. Chryſoſtomum *Divinas leges planè violet, & jura naturæ, qui negligit ſuos*: quomodò divinas leges, & jura naturæ violant, qui à patre & matre ſubtrahunt legata ab ipſis relicta? & tamen audite quid Doctor Gentium dicat:

S. Chryſoſtomus.

VI. 1. Cor. 4. 2. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Diſpenſator fidelis, inquit D. Chryſoſtomus, eſt ille, qui fideliter diſpenſat, quod fidei ſuæ commiſſum eſt. *Diſpenſatoris eſt* (ſunt verba ejus) *quæ ſuæ fidei commiſſa ſunt, ea fideliter diſpenſare, nec res Domini ſuas facere; ſed econtrà, ſuas Domini.* Eſtiſne vos tales diſpenſatores ſuffragiorum parentum veſtrorum, Filii & Filiæ? Eſtiſne vos tales, quicumque hæreditatem adiſtis cum onere fideliter legata adimplendi, & loco quòd adimpleretis, cavillationibus, & aſtutiis, ſolutionem ſubterfugitis? *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Vix enim aliquem virum putantes eſſe fidelem*, inquit D. Thomas hîc. Difficile eſt hodie invenire fidelem diſpenſatorem legatorum animarum defunctarum: difficulter inter fratres & ſorores, quia in diviſione hæreditatis *Omnis frater ſupplantans ſupplantabit*; difficulter inter amicos, quia

1. Cor. 4. 2.

S. Chryſoſtomus.

D. Thomas.

Omnis amicus fraudulenter incedit: difficulter inter domeſticos, quia *Inimici hominis domeſtici ejus*: difficulter inter nobiles & divites, quia *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Quot diſpenſatores, qui non faciunt ſcrupulum lites movendi, teſtamenta non aperiendi, & quantum poſſunt differendi ſolutionem piorum legatorum, licèt etiam Miſſarum? Audite de his loquentem Pſalmiſtam Pſalm. 62. 11. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Habent homines tria bona: corpus, animam, & bona temporalia: quoad corpus, *Introibunt in inferiora terræ*: quoad animam, *Tradentur in manus gladii*; in manus Divinæ juſtitiæ: bona temporalia tranſeunt ad hæredes: *Partes vulpium erunt*: hi enim, tamquàm vulpes, ſtudent ſe exonerare ab obligatione legata adimplendi, legatoribus ſuis defunctis oppeſſulatam tenentes portam ferream; impedientes ne habeant requiem æternam, & lucem perpetuam. Quis eorum auderet dicere patri & matri, quod Pſalmiſta Pſalm. 43. 18. *Neque obliti ſumus te, neque iniquè egimus in teſtamento tuo?* Econtrà: *Dilexerunt enim in corde ſuo*; ſed *Linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. Cor eorum non erat rectum cum eo*: ſoli inhiant hæreditati; & ideò *Nec fideles habiti ſunt in teſtamento ſuo*: quia, inquit Ugo Card. *Non fecerunt ea, quæ in teſtamento præcipiebantur.* Quid videtur N. N. numquid meritò dicit Apoſtolus: *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur? Vix enim aliquem*

Jeremiæ 9. 4.

Mich. 7. 6.

Philip 2. 21.

Pſalm. 62. 11.

Pſalm 43. 18.

Ugo Card.

aliquem virum putantes eſſe fidelem; quia non ſatisfaciunt ſuffragiis, ipſis debitis, & in teſtamento ſuo ordinatis: *Nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus. Quia non fecerunt ea, quæ in teſtamento præcipiebantur.* Vultis eorum agendi modum videre ad oculum?

Eccli. 29. 5. VII. Eccleſiaſtici 29. 5. *Donec accipiant, oſculantur manus dantis; & promiſſionibus humiliant vocem ſuam: & in tempore redditionis poſtulabit verba tædii, & murmurationum, & tempus cauſabitur:* donec gaudeant donatione, aut promiſsâ hæreditate, veri videntur amici, reverentiales, humiles, obſequioſi, liberales, ſolliciti, faciles in promiſſis, prompti in exequendis: ſed, an etiam tales futuri ipſis defunctis? in adimplendis legatis quomodò ſe habent? *In tempore redditionis poſtulabit tempus ſolvendi:* ſi de ſolutione
Verſ. 6. requirantur, *Loquetur verba tædii:* reſpondebunt verbis tædioſis, ut oſtendant tantam ſollicitudinem ipſis diſplicere: & ſi illi redeant, & urgeant, *Loquetur verba tædii, & murmurationum:* prorumpent in verba indignationis, & murmurationum contra teſtatores, & exactores; contra illos, eò quòd tale onus illis reliquerint: contra hos, tamquàm nimis importunos: *Et tempus cauſabitur:* allegabunt mala tempora. Subjungit Eccleſiaſti-
Verſ. 7. cus: *Si autem potuerit reddere, adverſabitur:* movebunt tales lites, quòd cogent legatarios ad accordandum: ſed ad quantùm? *Solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quaſi inventionem:* vix ſolvent medietatem: ſi autem non habeant promptam commoditatem ſolvendi, *Fraudabit illum pecuniâ ſuâ; & poſſidebit illum inimicum gratis:* Verſ. 8. utentur fraude, & deceptione, & defunctum benefactorem tamquàm inimicum tractabunt: & quod peſſimum, *Convitia & maledicta reddet illi: & pro honore &* Verſ. 9. *beneficio reddet illi contumeliam:* pro beneficio obtentæ hæreditatis reddent opprobria, & contumelias. Hanc Eccleſiaſtici Prophetiam videmus indies adimpleri; & ipſi defuncti ſummo ſuo malo & dolore ejus veritatem experiuntur, dum animæ eorum cruciantur, ingratis interim hæredibus gaudentibus, & bibentibus ſanguinem eorum.

VIII. 2. Reg. 23. 15. David in campo ardentiſſimâ ſiti corripitur, optans hauſtum aquæ de ciſterna, quæ erat in Bethleem. Victus ab illa paſſione Rex inviɛtiſſimus, exclamat: *O ſi quis mihi daret potum* 2. Reg. 23. 15. *aquæ de ciſterna Bethleem juxta portam!* Tres generoſiſſimi milites audientes hæc, *Irruperunt caſtra Phi-* Verſ. 16. *liſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethleem, & attulerunt ad David.* Aviditate magnâ aquam accipiens, dum tremulâ manu eam ori apponit, *Noluit bibere; ſed libavit eam Domino.* Quid? inquit: Egone bibam aquam iſtam? abſit à me: & ecce in conſpectu totius exercitûs, effudit aquam in terram, dicens: *Num ſanguinem virorum* Verſ. 17. *iſtorum, & animarum periculum bibam? Noluit ergò bibere.* Ponebat ſibi ob oculos periculum, cui ſe, vitamque ſuam expoſuerant tres

illi milites, qui irruperant caſtra Philiſtinorum; undè aqua, quam tenebat in manu, non tam aquam, quàm ſanguinem virorum illorum conſiderabat: Egone militum meorum ſanguinem bibam? *Noluit ergò bibere:* inquit D. Ambroſius; *ſuavitatem enim bibendi habere non poterat aqua, quæ propoſitæ mortis horrore conſtabat.* Non dicam modò, quòd bona, quæ poſſidetis, ſanguis ſit pauperum, quem ſuxiſtis uſuris, & multis aliis modis illicitis; non loquar de periculo animarum veſtrarum, quod incurritis hæc facientes: *Sanguinem, & animarum periculum*: dico, quòd ſit ſanguis parentum veſtrorum, qui, ut vos divites facerent, ſe exhauſerunt, & eviſcerârunt. Quomodò hæc cogitantes poteſtis ea poſſidere, & expendere inutiliter? Quomodò horrore non concutimini? *Num ſanguinem illorum, & animarum periculum bibam?* Ne vel minimum expendentes in refrigerium illorum; ſed contra omne dictamen rationis, contra legem naturalem, & divinam, legata, quæ in refrigerium animarum ſuarum reliquerunt, recuſantes adimplere: ſic eos detinentes in carcere, & Divinæ juſtitiæ portam ferream eis oppeſſulatam tenentes? Utinam ſimiles caperent, quàm grave peccatum committant, & quàm evidenti periculo æternæ damnationis animas ſuas exponant, non ſatisfaciendo legatis Miſſarum, ſeu eleëmoſynarum, à teſtatoribus ordinatis; ſeu ex parte tantùm, & non integrè eis ſatisfaciendo; ſeu differendo pluſquàm oporteat! Ad cognoſcendam gravitatem furti, non ſolùm conſiderandum eſt id, quod aufertur, ſed & perſona, à qua aufertur, & damnum, quod illi infertur: utpotè cùm certum ſit, quòd gravius ſit furtum, tollere aliquid à paupere, quàm à divite; quia quantò major eſt paupertas illius, à quo quis furatur, tantò majus eſt furtum; & eò magis peccaminoſum; conſiderato etiam damno, quod patitur ille, à quo aliquid furto aufertur: quia ſæpè furtum leviſſimum, & minimi valoris, erit peccatum graviſſimum; eò quòd patiens furtum graviſſimè damnificetur: ſic ut reſtitutio proportionaliter fieri debeat, non ſolùm conſiderato valore rei ablatæ, ſed & damni illati. Ex his colligite gravitatem culpæ eorum, qui non adimplent integrè, nec plenè ſatisfaciunt piis legatis defunctorum. *O qualis & quanta eſt mendicitas Purgantium!* exclamat S. Bonav. Serm. de Animabus. Et ſi conſideretur damnum, quod patiuntur, dum non ſatisfit legatis eorum, ſignanter quoad Miſſas, quis in hac vita poteſt ſimiliter damnificari? Auferatur à valde divite omnis inæſtimabilis theſaurus ejus; auferantur omnia, quæ poſſidet; vulneretur, quantum poſſibile; damnum illud nullum eſt, reſpectu damni, quod ſit animabus defunctis per dilationem aut diminutionem legatorum; quia ſic detinentur in ſuo carcere, & porta cœli manet eis clauſa, privanturque viſione beatificâ: undè peccatum illud adeò grave eſt, ut veniâ indignum dici poſſit.

S. Ambroſius.

S. Bonaventura.

Matt. 12. 32. IX. Matt. 12. Dicit Salvator: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur neque in hoc ſeculo, neque in futuro*: vult dicere, quòd qui offenderit Filium Dei, obtenturus ſit veniam; ſed qui offenderit Spiritum ſanctum, non ſit veniam conſecuturus, neque in hac, neque in altera vita. Numquid tam Filius Deus eſt, quàm Spiritus ſanctus? Numquid utroque modo offenditur idem Deus? Quare ergò qui Spiritum S. offendit, veniâ dicitur indignus? Filius eſt *Verbum & ſapientia Patris*: Spiritus ſanctus eſt donum; quia ab eo procedunt dona gratiæ, beneficia, & omnes theſauri cœleſtes: meritò ergò veniâ indigni ſunt, qui peccant contra Spiritum S. quia ingratos ſe præbent illi, à quo ſunt omnia beneficia. Conſiderate jam NN. quales pœnæ illos maneant, qui à defunctis ditati, non ſolùm non correſpondent, eis in tormentis ſuccurrendo, ſed detinent illos in carcere; & portam tenent eis obſeratam, non adimplentes ultimam voluntatem eorum. Ego illos tam magnos fures dico, ut non putem ſub cœlo dari majores: nec fures tantùm, ſed *Animarum necatores*. Non eſt, quod ego hoc probem; dudum illud declaratum eſt à Spiritu ſancto.

Prov. 28. 24. X. Prov. 28. *Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*: tribus modis poteſt filius committere hoc furtum, & homicidium: vel furtivè ſummam notabilem, aut rem aliam ſubtrahendo: vel in neceſſitate non ſuccurrendo: vel poſt mortem eorum, in toto, vel in parte, piis eorum legatis non ſatisfaciendo. Dum hæc faciunt, putant aliqui ſe non peccare; quia furando à parentibus, quorum debent eſſe hæredes, perſuadent ſibi licitum id capere, quod equidem cum tempore illis continget. Non ſuccurrendo in neceſſitate, ſtultè ſibi perſuadent, quòd ſibi poſſint providere. Et non ſatisfaciendo piis legatis, quæ condiderunt, allegant impotentiam, mala tempora, &c. Quid dicit de ſimilibus Spiritus ſanctus? *Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*. Hoc eſt, inquiunt D. Dionyſ. Carth. & Lyranus: *Homicidæ ſimilis eſt in peccato*. D. Dionyſ. Carth. Lyranus. Sed quare peccatum hoc potiùs ſimile dixit peccato homicidæ, quàm peccato furis? Quia pejus eſt peccato furis. Filius, dum furatur à parentibus, non ſolùm illos affligit ob amiſſionem bonorum, ſed ob pravam inclinationem, vitam diſſolutam, & bonorum dilapidationem, quæ in ſudore vultûs ſui acquiſiêrunt; ſignanter autem, quia, à parentibus furando, facilè etiam ab aliis furabuntur; & ſic cum infamia familiæ fortè tandem ſuſpendentur; ideò *Homicidæ ſimilis eſt in peccato*; quia transfigit mortali dolore corda parentum. Si ille tam graviter peccet, graviùs peccat, qui ſubtrahit, aut negat patri, aut matri, neceſſariam ſuſtentationem; quia quoad ſe exponit illos mortis periculo: ſicque non ſolùm homicidæ, ſed *Parricidæ ſimilis eſt in peccato*. At qui ſubtrahit patri, aut matri, poſt mortem

ſuffragia, quæ per adimpletionem
legatorum conſequerentur, non ſo-
lùm *Homicidæ ſimilis eſt in peccato*,
quoad corpus, ſed quoad ani-
mam; & ſi ſubtrahens patri,
& matri, neceſſaria quoad corpus,
dici poſſit homicida corporis; ille,
qui ſubtrahit animabus eorum poſt
mortem ſuffragia, occiſor anima-
rum dici poteſt; quia ejus culpâ
diutiùs torquentur in Purgatorio, &
privantur viſione beatificâ: de qua
Pſalm. 83. 11. David: *Melior eſt dies una in atriis
tuis, ſuper millia*: meliùs uno die
gaudere vitâ beatâ, quàm mille an-
nis temporali. Hinc in multis con-
ciliis, ut occiſores animarum, ſimiles
excommunicantur: ita Conc. 1. Va-
ſenſe Cap. 1. *Qui oblationes defunēto-*
Conc. Vaſenſ. *rum retinent, & Eccleſiis tradere de-
morantur, ut infideles, ſunt ab Eccleſia
rejiciendi; & quaſi egentium necatores,
nec credentes judicium Dei, habendi
ſunt.* Ita Conc. Carthag. 4. N. 95.
Qui oblationes defunctorum aut negant
Conc Carthagin. *Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt,
tamquàm egentium necatores excom-
municentur.* Ita Conc. Agatenſe
Cap. 1. N. 1. *Qui oblationes paren-*
Conc. Agatenſe. *tum, aut donatas, aut teſtamento reli-
ctas, retinere perſtiterint, ſancta Synodus
conſtituit, ut velut necatores pauperum,
quouſque reddant, excludantur ab Ec-
cleſiis.* S. Antoninus Part. 3. Tit.
32. Cap. 2. ℣. 5. in fine. *Non ſol-*
S. Antoninus. *ventes legata, facta ad cauſas pias,
debent excommunicari, tamquam neca-
tores animarum.* Ipſæ animæ tali eos
vocant nomine.

XI. Apoc. 6. S. Joannes in di-
vinis revelationibus ſuis videt ſub-
tus altare multitudinem animarum,
clamantium altâ voce juſtitiam à
Deo, contra interfectores ſuos: *Vidi* Apoc. 6. 9.
*ſubtus altare animas interfectorum; &
clamabant voce magnâ, dicentes: Uſque-
quò, Domine, non judicas, & non vin-
dicas ſanguinem noſtrum, de iis qui ha-
bitant in terra?* Lyranus: *Per animas,* Lyranus.
*hic clamantes contra ſuos interfectores,
ſignificantur animæ exiſtentes in Pur-
gatorio; quæ clamant contra detinentes
bona executionum ſuarum.* S. Joannes
vocat *Animas interfectorum*; quia,
cùm non ſolùm ſit occiſor, qui ef-
fundit ſanguinem alterius; ſed etiam
qui tollit alienas facultates, ſine
quibus ſuſtentari non poteſt, nec
vivere; qui non exequitur pia lega-
ta, ſubtrahit defunctis ſuſtentatio-
nem, quâ gauderent vitâ gloriæ:
etenim ſi ſtatim ea mandarent exe-
cutioni, *Animæ transferrentur ad vitam
gloriæ; propter quod*, inquit Lyranus,
tales fraudatores puniuntur, ſicut ani- Lyranus.
marum homicidæ. Videte Filii, &
Hæredes, ad qualem crudelitatem
deveniatis; quando ſic agitis cum
illis, à quibus tâ multa hæreditâſtis.
Licèt nihil habuiſſetis à parentibus
veſtris, equidem natura vos co-
geret.

XII. Gen. 25. Moritur Abraham
plenus dierum in ſenectute bona;
dicit Scriptura: *Et ſepelierunt eum
Iſaac & Iſmaël filii ſui in ſpelunca du-* Gen. 25. 9.
plici, prope uxorem defunctam. Ne
exiſtimetis, fruſtra hic nomen Iſ-
maëlis exprimi; habet hoc myſte-
rium ſuum: noviſtis Iſmaëlem?
Ipſe eſt, de quo Sara: *Non enim erit
hæres filius ancillæ, cum filio meo Iſaac*: Gen. 21. 10.
ille tamen non defuit officio patri
debito, ſolâ eum ſtimulante naturâ.
Ergò, Hæredes, *Seminate in juſtitia*; Oſee 10. 12.
inquit Oſeas 10. ne differatis ſolu-
tionem

tionem piorum legatorum per menſes, & annos, ſed ſine mora, omni poſſibili feſtinatione, poſt mortem teſtatoris eis ſatisfacite: ad hoc enim tenemini ex juſtitia, & in conſcientia; ita ut, ſi habentes commoditatem ſolvendi, non ſolvatis, peccetis mortaliter; & licèt ad ſatisfaciendum aliis legatis concedatur annus, iſta dilatio minimè conceditur, ut ſatisfiat piis legatis; ſed in ſubſidium animarum adeò afflictarum obſtringimini, illis ſuccurrere in omni feſtinatione: ita ordinant leges, & communiter docent Theologi; quia, ut notat Angelicus
D. Thomas. Quodlib. 6. Art. 13. *Remedium mortuo non adhibetur, dum ſuffragia differuntur, ex quibus plurimùm juvarentur.* *Seminate* ergò *in juſtitia*, adimplentes legata, ſine litibus, ſine contradictionibus, quamquàm expreſſa in teſtamento à Notario non ſignato, nec teſtibus firmato, nec aliis ſolemnitatibus, à legibus civilibus requiſitis, munito; quia nulla horum neceſſaria ſunt pro validitate legatorum *Ad cauſas pias*, quæ debent impleri, licèt teſtamenta ſint invalida, quia leges requirunt iſtas ſolemnitates in foro externo, ſolummodò ad evitandas fraudes, & deceptiones; & ad conſtringendos hæredes ut exequantur voluntatem teſtatoris. *Seminate* ergò *in juſtitia*: adimplete legata defunctorum, quia tenemini ex juſtitia, & in conſcientia: & niſi feceritis, Deus vindicabit. Do verba Salvatoris noſtri.

Lucæ 18. 7. XIII. Lucæ 18. *Deus faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte; & patientiam habebit in illis: dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* De quibus electis hîc loquitur Salvator? An de Beatis? Hos noſtræ non lædunt injuriæ, cùm jam gaudeant felicitate æternâ. Numquid de juſtis in hac vita degentibus? Illis injuriæ proficiunt ad gloriam. Quinam ergò iſti electi, qui vindictam clamant? S. Vincentius Ferrerius Serm. 2. Dom. 15. poſt Pentec. reſpondet, quòd ſint animæ Purgatorii, quæ petunt juſtitiam contra non adimplentes legata earum: Deus, ſollicitus pro defenſione earum, *Faciet vindictam electorum ſuorum*; *ſcilicet animarum in Purgatorio, clamantium ad ſe die ac nocte.* Clamant vindictam, *Non voce*, inquit Angelicus, *ſed ratione*: *ſicut vox ſanguinis Abel clamabat de terra contra Cain.* Juſtæ rationes, quas habent contra vos, eſt obligatio, quâ tenemini illis ſuccurrere, non ceſſant clamare continuò in tribunali Divinæ juſtitiæ, ut caſtigemini Et ideò Deus *Citò faciet vindictam*: & ſicut citò Cain punivit, ita & vos ingratos filios, & hæredes puniet citò. *Ideò multi*, inquit Vincentius Ferrerius, *habent maledictionem, quia detinent bona mortuorum.* Multi non verentur fraudare mortuos debitis ſuffragiis, perſuadentes ſibi, quòd, ſecretò defraudando, non ſit qui vindicet: ſed quantum decipiuntur tales! Fieri non poteſt, ut non verificentur verba Chriſti: *Dico vobis, quia citò faciet vindictam*: & faxit Deus, ne morte puniantur æternâ: quia *Ideò multi habent maledictionem, quia detinent bona mortuorum.* Teſtatur Moyſes Deut. 32. quod Deus non deſinat vindicare ſe, de effundentibus ſanguinem ſervorum

S. Vinc. Ferr. D. Thomas. S. Vinc. Ferr.

Deut 32. 43. vorum ſuorum: *Sanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum.* David, qui ſemper dilexit inimicos ſuos, Pſal. 78. orat Deum, ut vindicet ſe de perſecutoribus ſervorum ſuorum: *Innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt. Sanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum*: & tamen tantùm agebat de amiſſione hujus miſeræ mortalis vitæ: quantò ergò major vindicta timenda offenſoribus animarum ſanctarum, & immortalium, quas fraudulentiâ ſuâ, ſive negligentiâ, in carcere detinent, & privant fruitione vitæ glorioſæ, & beatæ? *Tales fraudatores*, inquit Lyranus in Cap. 6. Apoc. *punientur, ſicut animarum homicidæ.* Et in probam refert ipſe Lyranus rem miram de milite quodam exercitûs Caroli Magni. Hic tendens ad caſtra, rogat commilitonem ſuum, ut, caſu quo occideretur in conflictu, omnia ſua venderet, & in ſolatium animæ ſuæ in pauperes diſtribueret: Deo ſic diſponente, occiditur. Amicus ſuperſtes inter alia reperiens inſignem equum, non eum vendere, ſed ſervare ſibi voluit, etiam nullo pro equo perſoluto pretio. Quid factum? *Anima defuncti*, inquit Lyranus, *apparuit ei, arguens eum de infidelitate; & quod ipſa diutiùs fuiſſet detenta in gravi pœna: eique denuncians, quòd gravius punireiur*: & ſta im auditæ ſunt voces horribiles, *Quaſi ferocium beſtiarum; & ille miſerabiliter expiravit.* Quid hìc unum produco? do millia ob eandem cauſam punitorum.

Pſal 78. 10. 11. (margin)

Lyranus. (margin)

Idem. (margin)

XIV. Quis Moyſe mitior, de eo dicitur, erat *Mitiſſimus*: & ab Eccleſ. 45. laudatur: *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum*: & tamen Exod. 32. lego Moyſen in tantam furiam actum, ut de populo ſuo, adeò electo, auxiliantibus Levitis, occiderit in ore gladii viginti tria millia. Undè in viro adeò miti, ſancto, & manſueto tanta crudelitas? Quia videbat populum ſuum non ſolùm idololatrantem, ſed comedentem & devorantem ſacrificia mortuorum. Pſalmiſta, Pſal 105. enumerans delicta, in deſerto contra Deum & Moyſen commiſſa, inter præcipua ponit: *Initiati ſunt Beelphegor; & comederunt ſacrificia mortuorum: id eſt, ventri ſuo*, inquit Armandus: comedebant ſacrificia mortuorum. Quot hodie comedentes ſacrificia mortuorum? Quot comedentes, & conſumentes pecunias, ad Miſſas celebrandas relictas? reditus, ad ſolvenda pia legata relictos, ut ſint in refrigerium & cibum animarum in Purgatorii carcere detentarum, comedentes, illis jejunis manentibus, & abſq; minimo refrigerio? Quid mirum, quòd veniant illis miſeriæ & afflictiones? *Multiplicata eſt in eis ruina. Ideò multi habent maledictionem, quia detinent bona mortuorum.* Erat David manſuetus in tantum, ut ipſe de ſe dicat: *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus*: nihilominùs legite Pſalmum 108. ſi non ſteterint comæ, & vox faucibus hæreat præ ſtupore: *Conſtitue*, inquit, *ſuper eum peccatorem; & diabolus ſtet à dextris ejus.* Quis ille, obſecro, cui tanta auguratur mala? Dat rationem, & nominat eum: *Quia perſe-*

Num. 12. 3. (margin)

Eccli 45. 4. (margin)

Exod. 32. 28. (margin)

Pſal. 105. 28. (margin)

Armandus. (margin)

Ibid. 29. (margin)

Pſal. 131. 1. (margin)

Pſal. 108 6. (margin)

Pr. 17. *perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum mortificare:* legunt alii: *Quia perſecutus eſt hominem onuſtum doloribus, & compunctum corde morti tradere:* illæ maledictiones adeò horrendæ cadunt ſuper eos, qui perſequuntur illas pauperes mendicas, pauperes illas captivas, in carcere Purgatorii detentas: cadunt ſuper illos, qui comedunt ſacrificia mortuorum. Dum videtis domos exterminatas uſque ad fundamenta, nobiles familias ad extrema redactas, cœlum ſuper illas pluere flagella, dicite, quòd forſan in illis ſit aliquis, *Qui perſecutus eſt hominem mendicum, hominem onuſtum doloribus;* qui ſævit in mortuos, & comedit ſacrificia mortuorum. Filii, ſi adhuc in vobis animi ſenſus ſit, pater veſter vos alloquitur.

XV. Job 30. *Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me:* Iob 30. 20. *mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manûs tuæ adverſaris mihi.* Notat D. Gregorius Hom. 40. Lazarum mendicum, inter omnes miſerias maximè fuiſſe afflictum, quòd videret Epulonem aſſidere menſæ opiparæ, & ſe adeò famere, ut micas, quæ cadebant de menſa divitis, habere non poſſet. Do verba S. Gregorius. Magni Doctoris: *Se deprimi vulneribus, illum affluere acceptis rebus; ſe egere, illum nolle largiri. Quantus, putamus,* concludit Gregorius, *tunc in corde pauperis tumultus fuit, cui certè ad pœnam ſufficeret paupertas, etiamſi ſanus fuiſſet?* Et tamen Lazarus non ſubminiſtraverat Epuloni divitias, Luca 16. quibus *Epulabatur quotidie ſplendidè, & induebatur purpurâ, & byſſo:* non ipſe ſe depauperaverat, nec ad tantas miſerias redegerat, ut Epulonem ditaret; & tamen tantâ afflictione opprimebatur, quia non compatiebatur, nec ſuccurrebat ei ille, qui erat in abundantia & delitiis. Quantò ergò magis debet affligi defunctus parens veſter, videns vos epulari quotidie ſplendidè ex facultate vobis à ſe relicta; ſe autem in neceſſitate, incomparabiliter magis extrema, ne unâ quidem eleëmoſynâ, aut unâ miſſâ dignari à ſuis? Clamo *ad te,* Fili, *& non exaudis me: ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manûs tuæ adverſaris mihi.* Ad te recurro, chare Fili, adjutorium tuum humiliter invoco, non ſemel tantùm, non uno die, ſed continuò per menſes, & annos, *Et non exaudis me.* Sum in extrema neceſſitate, ardeo in flammis, lumen cœli non video, privatus ſum viſione Dei mei, undique cinctus horrendiſſimis tormentis, *Et non reſpicis me;* & numquam convertis ad me cogitationes, ut recorderis mei. Ubi gratitudo pro tot à me receptis beneficiis? Ubi promiſſa mihi facta, de habenda ſemper memoria animæ meæ? Undè tibi iſta crudelitas? *Mutatus es mihi in crudelem.* Adeò me tibi præſtiti liberalem, ut ad ditandum te me depauperaverim; & tu tam avarus es erga me, non ſuccurrendo mihi in his tormentis: quin imò: *In duritia manûs tuæ adverſaris mihi:* non adimplendo legata mea, oppeſſulatam tenes portam ferream carceris mei. Ita conqueritur, & meritò, de tua duritia defunctus parens tuus, dum illum bonorum, quæ tibi reliquit, non reddis participem. Si te hæc patris tui verba

non moveant, ſaltem verba Chriſti te moveant.

Matt. 15. 4 XVI. Ponderans D. Chryſoſtomus Chriſti verba: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*: exclamat: *Horribile ſupplicium contemnentibus parentes Chriſtus poſuit: nam ſi, qui verbo parentibus injuriantur, morte plectuntur, quo ſupplicio digni eſtis vos, qui reipsâ, & opere violatis?* Si in patrem & matrem ſolo verbo offendentes, Deus fulminet ſententiam mortis, quale erit ſupplicium, quod fulminabit in eos, qui opere offendunt, non in corpore, ſed in anima, negando, aut differendo ipſorum ſuffragia, & ita eos in ardentiſſimo carcere relinquentes? Sapiens Prov. 22. unumquemque noſtrûm monens, ait: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt; neque conteras egenum in porta: quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus*: non ſolùm nos hîc monet, ne malè tractemus pauperes in hac vita, ſed maximè, ne pauperes defunctos, quorum animæ in Purgatorio in extremis vivunt miſeriis: *Non facias violentiam pauperi*: ne offendatis, aut malè tractetis qualemcumque pauperem animam in Purgatorio, privando eam concupitis ſuffragiis: *Neque conteras egenum in porta*: hoc eſt, uti exponunt Interpretes: *Ne litem illi injuſtam moveas, ut illius, etiam per vim, bona diripias*. Noli movere litem, ne ſolvas pia ejus legata, &c, quantum potes, ſubtrahas: *Quia judicabit Dominus cauſam ejus*: vel ut Hebræus habet: *Quia litigabit Dominus litem ejus*: non relinquetur anima à Deo dilecta, ab te aſ-

S. Chryſoſt.

Prov. 22. 22.

Hebræus.

ſumpta in ſponſam, & Reginam regni cœleſtis, privata Advocato, & defenſore, qui protegat cauſam ejus: Deus ipſe erit litigans, & judex ejus. Ne perſuadeas tibi, quòd inauratis rationibus tuis in tribunali ſeculari favorabile decretum obtinendo, non obligeris ad implementionem legatorum, & quòd in divino tribunali ſis abſolutus, quia: *Dominus litigabit litem ejus: Dominus judicabit cauſam ejus.* Vide, & attende quid agas: humanum judicem decipere potes, Divinum non potes. Et ut cognoſcas ſeveritatem ſententiæ tuæ, & pœnam graviſſimam, quæ te manet, audi M. P. Auguſtinum: *Diligenter vide, quid Veritas dicit: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: ex hac ſententia format Auguſtinus hoc argumentum: *Si in ignem mittetur, qui eſurienti non dedit panem ſuum; putas ubi mittendus eſt, qui tulit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non veſtit; ubi mittendus, qui veſtitum ſpoliavit? Si cum diabolo damnatur, qui hoſpitibus non præbuit domum; putas ubi mittendus eſt, qui tollit alienum? Si periturus eſt, qui carcerem non viſitavit; quid de illo fiet, qui fortè in carcerem miſit?* Si in ignem æternum mittetur, qui non ſubminiſtrat indigenti famelico panem ſuum; quantò major erit ignis, in quem mittetur, qui animabus captivis in Purgatorio, quæ eſuriunt & ſitiunt (*Anima eorum in ipſis defecit*) ſubtrahit panem Angelicum, & Divinum Miſſæ ſacrificium? Si flammis cingendus eſt, qui nudum non veſtit; quales ſubibit ardores, qui ſpoliat animas ſuffragiis ſuis, vi quorum jam dudum veſtitæ forent ſtolâ

S. Auguſt.

Pſal. 106. 5

ſtolâ gloriæ? Si cum diabolis hoſpitabitur, qui pauperem peregrinum non hoſpitatur in domo ſua; quantò magis timendum eſt, quòd in conſortio monſtrorum infernalium per ſecula æterna puniendus ſit, qui, non adimplendo legata earum, ad annos privat animas feliciſſimâ manſione cœleſti? Si ſeverè punietur, qui non viſitat incarceratos; quantò punietur ſeveriùs, qui animas in igneo carcere detinet, & oppeſſulatam illis tenet portam ferream, quæ alioquin illis dudum aperta fuiſſet? *Dominus judicabit causam ejus*: Juſtus & Omnipotens Deus cauſæ iſtius judex erit; *Et configet eos, qui confixerunt animam ejus*: vel ut Simmacus legit: *Torquebit eos, qui torquebant animam ejus.* Vultis ſcire, degeneres Filii, & ingrati Hæredes, quomodò configatis animas, illas in carcere detinendo? Audite, & contremiſcite.

Simmacus.

XVII. Dilectus Salvator noſter, à Judæis inhumanâ feritate captus, & vinctus, nullum ab æterno Patre ſuo petivit ſuccurſum, ut ab his inferni miniſtris liberaret eum: quinimò Petrum, ad ejus defenſionem paratum, & actu miniſtrum juſtitiæ percutientem, impedivit, ne ultrà percuteret: *Mitte gladium tuum in vaginam*: injuſtè calumnias paſſus, falſis accuſationibus coram judicibus infamatus, non rogat Patrem, ut ſuum defendat Filium: flagellis dilaceratur, acutiſſimis ſpinis caput transfigitur, deluditur, conſpuitur, ad mortem injuſtè condemnatur, & non ſupplicat Patrem, ut de bono Advocato ei provideat: at dum vidit crucifixores ſuos dividere inter ſe veſtimenta ejus, ne vel minimam partem ſcrutorum ſubminiſtrantes ad tegendam nuditatem ejus, tunc exclamavit: Pater *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea; & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem! Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice!* quaſi abſque ſpeciali Patris adjutorio hanc inhumanitatem non ſuſtinens. Majora tormenta patitur pater veſter, degeneres Filii, quando tantâ aviditate intenditis diviſioni hæreditatis, & bonorum ejus; & animæ ejus obliti, non ſolùm non tranſmittitis aliquid ſubſidii, aut refrigerii, ſed econtrà, comedentes ſacrificia, & legata ab ipſo relicta, illum in carcere, & portam ei clauſam tenetis: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, hoc eſt, hæreditatem meam; *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, expendentes legata mea (quibus poteram veſtiri ſtolâ gloriæ) in luxum, in luſum, in carnales delicias: ideòque ad Patrem cœleſtem ſe convertens, de vobis conqueritur, invocans contra vos divinum ejus auxilium: *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.* Ergò Hæredes, quotquot eſtis, conſulite vobis & animabus veſtris: rogo vos, ne ultrà comedatis ſacrificia mortuorum: ne ultrà detineatis animas in carcere: ſatisfacite legatis ab eis relictis; aperite illis portam ferream, quam tamdiu clauſam tenuiſtis; & ad minùs, antequàm hinc abeatis, dicite: *Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in Pace.*

Joan. 18. 11.

Pſal. 21. 19.

SERMO DUODECIMUS

DE CARCERE PURGATORII.

Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12.

Animæ adhuc in carcere Purgatorii detentæ, ab amicis oblivioni traditæ, & ab hæredibus ſuis deceptæ, miſerâ ſuâ ſorte monent viventes, ne fraudent animas ſuas, illas amicis & hæredibus ſuis commendantes; ſed ipſi faciant opus: ipſi ſibi in vita provideant, ne juſtè egeant tempore egeſtatis in Purgatorio, otiantes tempore ubertatis in mundo.

I. SIc eſt: vos, vos Filii & Hæredes, vos eſtis, qui legata defunctorum differendo, ſeu non adimplendo, in carcere illos detinetis, & portæ ferreæ peſſulum obditis: dilexiſtis eos ore veſtro, & linguâ veſtrâ mentiti eſtis eis: cor veſtrum non fuit rectum cum eis, nec fideles fuiſtis in teſtamentis eorum; *Quia non feciſtis ea, quæ in teſtamentis præcipiebantur*: ita ut meritò iterum cum Apoſtolo dicere poſſem: *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*, qui fideliter diſpenſet, quod fidei ejus commiſſum eſt. Eò hodie deventum eſt, ut filii parentes, & omnis frater ſupplantans ſupplantet; & omnes ferè, tamquàm vulpes, ſtudeant ſe exonerare ab obligatione legata adimplendi. De illis locutus eſt Eccleſiaſticus: *Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & promiſſionibus humiliant vocem ſuam; & in tempore redditionis poſtulabit verba tædii, & tempus cauſabitur*; pro beneficio obtentæ hæreditatis reddentes opprobria & contumelias: ſic ut iterum vos dicam *Necatores animarum*: quia *Qui ſubtrahit aliquid à patre & matre, particeps eſt homicidæ*; id eſt, homicidæ & parricidæ ſimilis eſt in peccato: conſequenter tales, ſecundùm Concilia, tamquàm *Animarum necatores* ſunt excommunicandi. Et hinc eſt, quòd ipſæ animæ defunctorum vindictam clament: *Uſquequò, Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum?* Uſquequò non vindicas nos de interfectoribus noſtris, detinentibus bona noſtra, & ſuſtentationem, quâ gauderemus vitâ gloriæ? Hæredes, ſi cupitis, ne Deus vindictam ſumat de vobis, *Seminate in juſtitia*; ne differatis ſolutionem legatorum in menſes, aut annos, ſed ſatisfacite voluntati teſtatoris omni poſſibili feſtinatione; ad hoc enim tenemini ex juſtitia, & in conſcientia: alioquin *Deus faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte. Dico vobis: Citò faciet vindictam illorum.*

Ugo Card. — 1. Cor. 4. 2. — Eccli. 29. 5. — Prov. 28. 24. — Apoc. 6 — Oſeæ 10. 12. — Lucæ 18. 7.

rum. Non eſt, quòd diu expecte- tis; quia *Ideò multi habent male- dictionem, quia detinent bona mor- tuorum*: quia comedunt ſacrificia mortuorum, ideò *Multiplicata eſt in illis ruina.* N. N. mei, ſi ita eſt cauſa animarum Purgantium, ſi ſic tractentur à viventibus, etiam ab hæredibus, habeo hodie rem magnam ad vos, quam non tan- gam, niſi invocatâ & ſalutatâ eâ, quæ ſecundùm S. Petrum Chryſo- logum Serm. 142. *Sic Deum in ſui pectoris recepit hoſpitio, ut vitam mortuis pro ipſa domûs exigat pen- ſione. Ave Maria.*

S. Vincentius Ferrerius.

S. Chryſologus.

II. Petrus, neſciens quia verum eſt, quod per Angelum fiebat, exi- ſtimanſque ſe viſum tantùm vide- re, ut Angelum diſceſſiſſe cogno- verat, ad ſe reverſus, dicebat: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Animæ captivæ, quibus per ſuffragia veſtra aperta eſt porta ferrea, de carcere ab An- gelo liberatæ, gaudio plenæ, lau- dantes Deum, dicunt: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſu- um, & eripuit me de manu* Divinæ juſtitiæ. Dum animæ liberatæ ob ſuam liberationem exultant, quan- tum putatis affligi animas adhuc in carcere detentas, ab amicis obli- vioni traditas, & ab hæredibus de- ceptas? N. N. mei, ſi defuncto- rum tam miſera ſors eſt, rogo vos, ut conſulatis animabus veſtris; ne- que perdatis eas, confidentes illas amicis, & hæredibus veſtris: quia promitto vobis, ſupplantantes ſup- plantabunt vos. Dum veſtra res a- gitur, ſpecialem veſtram requiro attentionem. Incipio.

Act. 12.

III. Eccleſiaſtes, poſtquàm om- nia, quæ deſideraverant oculi ejus, non negâſſet eis; dediſſetque cordi ſuo, ut omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in omnibus, quæ præparaverat; convertiſſetque ſe ad univerſa opera, quæ fecerant manus ejus, & ad labores, in qui- bus fruſtra ſudaverat; & vidiſſet in omnibus vanitatem, & afflictio- nem ſpiritûs; inter alia ait Cap. 6. *Eſt & alind malum, quod vidi ſub ſole; & quidem frequens apud ho- mines: vir, cui Deus dedit divi- tias, nec dedit ei poteſtatem, ut co- medat ex eis, ſed homo extraneus vorabit eas; miſeria magna eſt.* Po- terant captivæ animæ, antequàm morerentur, ditare ſe ſuffragiis; ſed, ut divites haberent hæredes, depauperârunt ſe (quod adhuc ho- die eſt malum peſſimum, & quidem frequens apud homines) Quan- tus modò illis indè dolor? Quanta miſeria? *Miſeria magna eſt* ſe depauperâſſe, ut hæredes divites redderent: hæredes ingratos, diſ- ſolutos, & Dei offenſores: hære- des, ne vel in minimo eis ſuccur- rentes, & divitias temporales, ab ipſis relictas, in delicias, & illici- tas voluptates conſumentes: cùm tamen prophetizâſſet eis Propheta Regius: *Simul inſipiens & ſtultus peribunt, & Relinquent alienis di- vitias ſuas.* Quærit M. P. Augu- ſtinus quinam ſint hi inſipientes & ſtulti? & reſpondit in eumdem Pſalmum ſcribens: *Qui non ſibi proſpiciunt in futurum*: hi ſunt pa- rentes, qui, ſcientes ſe Deum offen- diſſe ſæpiùs, nec debitâ factâ pœ-

Eccle. 6. 2.

Pſalm. 48. 11.

S. Auguſtinus.

nitentiâ Divinæ juſtitiæ debitores, ſibi de neceſſariis providere neglexerunt; ſolummodò attendentes, ut filiis ſuis de pingui hæreditate providerent: & proh dolor! morte ſuperveniente, *Relinquent alienis divitias ſuas.* Alienis? relinquent filiis. Alieni, ſuntne filii? quærit Auguſtinus; ſunt: *Iniquorum filii, alieni ſunt*: quam ob rem? *Si quis enim ſuorum ſibi nihil prodeſt, alienus eſt*: concludit Auguſtinus. Parentes ſtulti, & inſipientes, qui, ut filiis de multis divitiis providerent, animas ſuas depauperârunt; & ne gravarent illos piis legatis, debitis cum Divina juſtitia contractis non ſatisfaciunt, licèt contriti moriantur: relinquunt illis divitias ſuas, qui ſe erga ipſos, tamquàm alienos præbent; in pœnam inſipientiæ eorum ab illis tractati, quaſi numquam cognoviſſent: *Relinquent alienis divitias ſuas. Iniquorum enim filii, alieni ſunt.* Ad deplorandam ſortem infelicem ſimilium divitum, inclamat omnes viventes D. Chryſoſtomus in Cap. 1. Epiſt. ad Philipp. Hom. 3. *Deplorate eos, qui in divitiis mortui ſunt, & nihil conſolationis ſuis ipſorum animabus ex divitiis ſuis procurârunt.* Hanc dementiam etiam in ſe expertus Salomon, tandem deteſtatus eſt.

S. Auguſtinus.

S. Chryſoſtomus.

Eccle 2, 18, 19. IV. Eccleſ. 2. 18. 19. *Deteſtatus ſum, inquit, induſtriam meam, quâ ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi; habiturus hæredem poſt me, quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit; & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi: & eſt quidquam tam vanum?* & parùm poſt: *Nonnè meliùs eſt, oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis?* Verſ. 24.
Quot hodie Salomones, qui omnes nervos tendunt, ſe totos in accumulandis divitiis impendunt, ſtudioſiſſimè laborant, divitem filium, aut hæredem habituri! quem tamen neſciunt, *Utrùm ſapiens, aut ſtultus futurus ſit*; utrùm conſervator, aut diſſipator bonorum; virtuoſus, aut vitioſus; gratus, aut ingratus. Sed quot cum Salomone mente perpendunt, *Non eſſe quidquam tam vanum*? Quot, qui animæ ſuæ conſulentes, ſeriò dicunt: *Nonnè meliùs eſt oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis*? Quid tu ſperas à filio, Pater, aut ab hærede tuo, quod tu ipſe non præſtas animæ tuæ? Nunc potes illi facili modo prodeſſe, & ſuccurrere, & negligis, & confidis hæredem tuum pro te magìs futurum ſollicitum? *Et eſt quidquam tam vanum*? Cur non meliùs conſulis tibi cum Salomone Cap. 4. *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis*? Eccle. 4. 8. Quomodò poſſibile, quòd tui ipſius exemplum te cautum non reddat, & in te fraudes non detegas, in quibus verſaris? Quantum laborârunt parentes tui, ut te Chriſtianè educarent, bene inſtruerent, ad divitias, dignitates, & honores promoverent; & quam tu eis mercedem, quod refrigerium retuliſti? fortè indies Miſſas, jejunia frequentia, largas eleëmoſynas, orationes continuas? Utinam horum omnium vel minimum! Si tu defunctis benefactoribus tuis adeò ingratus es, quomodò non cogitas pejus tecum acturos hæredes tuos? Cur ergò non

non dicis tibi: *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Audi quid tibi Olympiodorus in Cap. 2. Eccl. *Melius eſt per ſe ipſos, dum ſumus in hac vita, diſpenſare divitias noſtras in pauperum & egenorum neceſſitates, ut theſaurum indeficientem in cœlis nobis comparemus, quàm aliis in hæreditatem tranſmittere, qualeſcumque eos fore contingat,* & quantumcumque perfectos, & gratos: imò meliùs eſt quàm ab illis in Purgatorio incertum refrigerium expectare. *Quis mendicet victum ſuum per domum alienam, in ſua abundans panibus?* inquit Mellifluus Bernardus. Succurrite ergò quicumque eſtis, dum adhuc vivitis, ſuccurrite animabus veſtris; purificate pœnitentiis, eleëmoſynis ditate, ſanctis operibus ornate; ne poſt mortem veſtram de hæredibus veſtris ſerò conqueramini. Iterum audiendus eſt Eccleſiaſtes, ut ſciatis quid de vobis ſentiat, & quibus vos comparet; imò pejores faciat. Cap. 6. ſic loquitur: *Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturâque careat,* id eſt, inquit Hieronymus, *quòd nihil boni facti, & honoris egerit, ex quo ſibi quærat apud poſteros memoriam comparare;* ſi quis centum haberet proles, & ut illis benè provideret, animam ſuam neceſſariis privaret ſuffragiis; *De hoc,* inquit, *ego pronuncio, quòd melior ſit abortivus.* Quare ſimilem patrem pejorem abortivo dicit, priùs mortuo quàm nato, imò illo pejorem? addit rationem: *Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus:* in vanum natus eſt filius ille; quia vadit ad tenebras, & nullus ei auxilium porriget. Sic in vanum oſtendit ſe vivere, qui non providet animæ ſuæ; quia poſt mortem ab omnibus oblivioni traditur, nec eſt, qui illi ſuccurrat, licèt centum haberet filios: *Oblivione delebitur nomen ejus.* Quid ad hoc N. N. qui animas veſtras amicis committitis? qui in teſtamentis veſtris ne vel unam Miſſam legatis? Eſtis ſecuri, confiſi quòd hæredes veſtri futuri ſint ſolliciti; & interim obliviſcentur veſtri, & anima veſtra manebit in flammis. Si ſapitis, audite Apoſtolum exhortantem vos:

Olympiodorus. S. Bernardus. Eccle. 6. 3. S. Hieronymus. Verſ. 4.

V. Galat. 6. 4. *Opus ſuum probet unuſquiſque; & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero: unuſquiſque enim onus ſuum portabit.* Conſideret quiſque actiones ſuas; & curet diligenter, ut pœnitentiæ non æquali tantùm, ſed menſurâ ſuperabundanti commiſſis culpis correſpondeant; ut ſatisfactio Divinæ juſtitiæ, ob debita cum illa contracta ſit æquivalens: & ſic *In ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero.* Debet unuſquiſque bonis operibus ſuis animæ ſuæ opportunum dare remedium, ut citò poſt mortem conſequatur gloriam; & non fidere in adjutorio alieno: qui ſecùs fecerit, inquit M. P. Auguſtinus Serm. 24. de Verb. Apoſt. *Onus ſuum portabit:* quod onus? *Onus illius, paupertas eſt.* In pœnam, quòd ſibi ante mortem non providerit, manebit fruſtratus ſuffragiis, non liberandus

Gal. 6. 4. S. Auguſtinus.

beraudus ab onere ſatisfactionis, Deo ob offenſas debitæ; conſequenter remanſurus in carcere, donec per ſatiſpaſſionem ſatisfecerit: Pſalm. 87. 16. deplorando ſemper: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea:* ut filios, & hæredes meos ditarem, adeò me pauperem feci, ut jam non habeam, unde me ſublevem, & contracta cum Deo debita ſolvam, ab hæredibus meis deceptus, à quibus ſperabam omne ſubſidium, & refrigerium. N N. quotquot hîc eſtis, rogo, obteſtorque: nolite negotium animarum veſtrarum hæredibus veſtris, aut amicis confidere; vos ipſi vobis conſulite: cum Salomone vos alloquor: Eccli. 14. 17. *Ante obitum tuum operare juſtitiam:* antequàm vos mors invadat, facite opera bona, congregate cumulum meritorum, de peccatis veſtris pœnitentiam agite, ne magnis veſtris expenſis cogamini illam facere in altera vita. Vos ipſi opus veſtrum facite, Hebræos imitantes.

VI. 2. Eſdræ 4. 21. Cùm Hebræi reædificare templum, & muros civitatis Jeruſalem intenderent, variis varia opinantibus, num opus tanti molimnis aliis committi oporteret, nec ne, tandem concludunt: 2. Eſdr. 4. 21. *Nos ipſi faciamus opus:* non agamus de advocandis Architectis, aut perſonis in arte peritis: *Nos ipſi faciamus opus:* nos ipſi, non alii pro nobis. S. Bonaventura. *Bene ajunt ædificantes*, inquit D. Bonaventura in Specul. Virg. Cap. 1. *Nos ipſi faciamus opus;* ſic nulli committentur errores, ſic ſecuri erimus, quòd fabrica ædificabitur ad intentum noſtrum: *Nos ipſi faciamus opus:* quod opus? niſi de quo Apoſtolus dicit: Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum. Nos ipſi; non amici, non fratres, non parentes, non filii, nec hæredes*, inquit idem Seraphicus: non confidamus in auxilio alieno; non committamus negotium animarum noſtrarum alienis; nos ipſi ædificemus ſtructuram bonorum operum, & meritorum, donec Divinæ juſtitiæ factum ſit ſatis, & citò liberemur de carcere Purgatorii. *Nos ipſi faciamus opus.* Non quòd dicam ſuffragia, quæ ab aliis fiunt, non prodeſſe defunctis; abſit: profunt, & multùm quidem: ſed quòd pœnitentiæ, quas ipſi facimus, efficaciores ſint, quàm quæ ab aliis fiunt pro nobis; ut bene Oleaſter: Oleaſter. *Plùs nobis ad miſericordiam valent fletus noſtri, quàm amicorum, & aliorum pro nobis.* In pœnitentiis, jejuniis, orationibus, ſuſtinemus nos pœnam; in qua conſiſtit formalis ſatisfactio: conſequenter magìs ſatisfacimus bonis operibus noſtris, quàm alienis, in quibus non nos, ſed ipſi ſentiunt moleſtias: & ideò *Plùs nobis ad miſericordiam valent fletus noſtri, quàm amicorum:* & quod omnium peſſimum eſt, amici, conſanguinei, & hæredes, poſt mortem veſtram omnes obligationes, affectum, amorem, naturam, ipſum ſanguinem tradunt oblivioni; juxta illud Pſalmiſtæ: Pſalm. 30. 13. *Oblivioni datus ſum, tamquàm mortuus à corde.* Defunctis ſepultis, unà ſepelitur omnis affectus; luminibus funeralibus extinctis, omnis, qualiſcumque exigua, ſcintilla compaſſionis

paſſionis pariter extinguitur. Non alios teſtes, nec alios judices volo, quàm vos ipſos: ſi vos ipſi cunctemini, dum ſani eſtis, ſi negligatis animas veſtras, numquid, ut ſuprà dixi, ſtultum eſt ſperare ab aliis, quod vobis ipſis (quorum tamen intereſt) non præſtatis? *Nos ipſi faciamus opus*, non filii, non hæredes; Nos, nos, dum tempus habemus, operemur bonum; nec alteri committamus animas noſtras. Propono premens argumentum, quod attentionem requirit.

VII. Iſaiæ 6. 8. 9. Statuerat Pater æternus humanam redemptionem; at quia opus erat arduum, proponit altiſſimo concilio: *Quis ibit nobis?* Audit Patris Verbum: *Ecce*, inquit, *ego; mitte me*: offert ſe Dei Filius, ut, factus homo, morte ſuâ Divinæ ſatisfaciat juſtitię. Quamquam doceant Theologi, quòd ratione juſtitiæ commutativæ non potuerit noſtra redemptio de condigno fieri, niſi ab homine-Deo, & actione, quam *Theandricam* vocant, ut ſatisfactio eſſet æqualis offenſæ; tamen ſecundùm Dei potentiam abſolutam, & divinam diſpenſationem, poterat fieri de congruo à quacumque creatura, ſignanter ab Angelo. Quæro ergò, cur hoc opus non commiſerit Angelo, cùm in lege veteri omnia fermè per Angelos facta ſint? Angelus dat legem Moyſi: Angelus ducit populum Iſraël per deſertum: Angelus occidit exercitum Sennacherib: verbo dictum, omnia fiunt per Angelum. Cur ergò hoc opus ſimiliter non committit Angelo? Opus ſalutis, & redemptionis noſtræ tanti ei ponderis erat, ut noluerit fidere alteri, nec Seraphim, nec Cherubim, nec Thronis, nec Principatibus; ſed ipſe Dei Filius, nullo habito reſpectu ad Divinam excellentiam, omni exutâ Majeſtate, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*; & ſanguinosâ, ac clavis transfixâ manu opus redemptionis noſtræ operatus eſt. Siſtite hîc N. N. Si Deus ſummæ Majeſtatis redemptionem noſtram, & negotium ſalutis noſtræ noluerit alteri committere, non dico homini, ſed ne Cherubim quidem, aut Seraphim; ſed ipſe tanto labore, tanto ſudore & ſanguine, imò ipsâ morte illam in ſe ſuſcipere voluerit; Deus bone! rem tanti momenti, qualis eſt ſalus animæ veſtræ, committetis, non Angelo, ſed homini ſocordi, ingrato hæredi, diſſoluto nepoti, poſt mortem veſtram vix veſtri memoriam habituris? O ſtultam reſolutionem!

Iſaiæ 6. 8. 9.

Eccleſia.

VIII. Lucæ 23. 4. 6. Salvator noſter jamjam acturus animam, *Clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Mellifluus Bernard. Serm. de Paſſ. Dom. Cap. 15. quærit: *Quid eſt, quòd ille coæternus, & conſubſtantialis Patri Filius animam ſuam ita manifeſtè Patri commendabat, cui non minùs commendata etiam eſſet, ſi hoc non dixiſſet?* Numquid Patri ſemper commendata erat anima unigeniti Filii ejus? Numquid ſciebat Chriſtus, quòd ſanctiſſima anima ejus poſt triduum uniretur corpori immortali? ſciebat

Lucæ 23. 4. 6.

S. Bernardus.

 utique:

utique: cur ergò illam ita in manus Patris commendat, ut, etiam clamans voce magnâ, dicat: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*? Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet Mellifluus: *Ut erudiret nos, qui terra ſumus, & cinis, ut ſpiritum noſtrum diſceremus Patris æterni manibus commendare.* Non dicit: Mater, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*: Joannes dilecte Diſcipule, *in manus tuas commendo, ſpiritum meum*: & vos N. N. animam acturi, dicetis patri veſtro terreno: Pater, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*? Mater, *in manus tuas commendo ſpiritum meum?* Frater, Soror, Amice mi, *in manus tuas commendo ſpiritum meum?* Vos animas veſtras illis fidetis, relicto Patre cœleſti, in cujus manus commendat animam ſuam Filius Dei? O ſtultam reſolutionem! Ipſis Salvatoris verbis vos alloquor Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*: Vos, vos *Facite*, & vobis *Facite amicos*, non fraudulentos, ſed qui *Recipiant vos in æterna tabernacula*: facite vos, vel citò obligate eos, ut poſt mortem nihil deſit animabus veſtris: *Unuſquiſque in fratre ſuo non habeat fiduciam; quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet* Jeremiæ 9. 4. *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt; non quæ Jeſu Chriſti*: ne quidem pater habeat fiduciam in filio. Ad rem noſtram do caſum ſtupendum.

Idem. Lucæ 16 9. Jeremiæ 9. 4. Philip. 2. 21.

IX. Gen. 47. 29. Videns Jacob ſe redactum ad ultimos vitæ ſuæ terminos, volenſque conſulere animæ ſuæ, vocat ad ſe dilectum ſuum Joſeph, rem magnam ab eo petiturus: *Fili*, inquit, *ſi inveni gratiam in conſpectu tuo . . . facies mihi miſericordiam, & veritatem.* Non petit ab eo confortantia ſuam debilitatem; non rogat, ut æternæ oblivioni tradat offenſam fratrum ſuorum; non ut promoveat eos ad honores, & dignitates, eoſque ditet divitiis multis; non requirit, ut cum pompa ſepeliat eum, præparetque exequias, & funeralia ſolemnia; animæ ſuæ ſollicitus, rogat eum: *Facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto; ſed dormiam cum patribus meis, condaſque me in ſepulchro majorum meorum*: neque ſatis illi erat, quòd Joſeph ſanctè ei promitteret, ſe in omnibus, & per omnia adimpleturum voluntatem patris: *Ego faciam, quod juſſiſti*; ſed petivit ab eo juramentum: *Jura ergò mihi*: quo præſtito, plenus conſolatione debitas Deo egit gratias: *Quo jurante, adoravit Iſraël Deum.* Quis hîc cum Ruperto non obſtupeſcat? *Quid Patriarcha ſanctus*, inquit ille Lib. 9. in Gen. Cap. 21. *civis cœli, cui viventi totus mundus exilium fuit, tantoperè de corpore ſuo curavit; & ſeriò ſcire voluit, quo loco pulvis in pulverem, & cinis in cinerem reverteretur*? Quis hîc exiſtimet Jacob, Patriarcham adeò virtuoſum, ſanctum, & à Deo illuminatum, abſque myſterio hanc gratiam tam calidis precibus dilecto ſuo Joſeph ſupplicâſſe, & quidem cum juramento? Non corpori, ſed animæ ſollicitus hanc ſibi

Gen 47. 29. Verſ. 30. Verſ. 31. Rupertus.

ſibi gratiam fieri voluit: ſciebat, quòd in terra Chanaan majori cultu, quàm in Ægypto, adoraretur Deus; probè noverat, quòd futurus Meſſias ibi naſceretur, moreretur, & reſurgeret; quòdque Sanguine ſuo redimeret, & theſauro gratiarum ditaret electos; & ibidem offerrentur Deo victimæ, & ſacrificia in ſolatium vivorum, & mortuorum: undè, ut tantorum bonorum redderetur particeps, & poſteris ſuis exemplum daret providendi ſibi de ſepultura in locis, ubi Deus majori cultu adoratur, & mortui majora ſuffragia recipiunt; ſupplicabat, ibi, & non in Ægypto

Gloſſa. ſepeliri: ita Gloſſa: *Quia Jacob de loco ſepulturæ ita fuit ſollicitus; inſtruuntur ſapientes, eſſe ſolliciti de ſepultura ſua in loco ſacro, & ubi copia ſuffragiorum habetur.* Hinc Joſeph, à patre edoctus, rogavit filios, & fratres, ut, redituri in terram Chanaan, ſimiliter oſſa ipſius

Gen. 50. 24 aſportarent: *Deus viſitabit vos; aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto*; quia ibi majorem copiam ſuffragiorum ſperabat: *De loco ſepulturæ ſuæ fuit ſollicitus; ubi copia ſuffragiorum habetur.* Diſcite N. N. ab his duobus, animabus veſtris de copia ſuffragiorum providere, dum adhuc in vivis eſtis; & non commendare illas in manus conſanguineorum, & hæredum veſtrorum: vel ad minùs Davidem imitemini.

X. Pſalm. 38. 14. Ad Deum converſus, humiliter illum ſuppli-

Pſalm. 38. 14. cat: *Remitte mihi, ut refrigerer, priuſquàm abeam; & ampliùs non ero*: da mihi, Domine, ut bonis operibus, pœnitentiis, & ſatisfactionibus meis refrigerem ignem Purgatorii; *Priuſquàm abeam*, antequàm moriar, antequàm tranſeam ad alteram vitam, modò, modò; ſic ſecurus ero: *Et ampliùs non ero* in periculo ignis, pœnarum, & tormentorum; ſed *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei*: nec contentus totam vitam ſuam tranſigere in planctu, & pœnitentiis, (ut teſtatur Pſalm. 30. 11. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*) volens ædificare templum Domino, quod in cunctis regionibus nominaretur, *Ante mortem ſuam omnes præparavit impenſas*: quales? *Auri talenta centum millia*: auri talenta, quorum ſingula faciunt duodecim cum dimidio milliones librarum auri; eſtque ſumma integra, mille & ducenti milliones aureorum francicorum: tantumdem inſuper reliquit ei in argento; ſcilicet mille millia talenta argenti: quæ faciunt totidem; ſcilicet mille, & ducentos milliones aureorum francicorum: olim enim una libra auri valebat decem libras: univerſim ergò reliquit ei, bis mille quadringentos milliones aureorum francicorum: æris verò, & ferri, non eſt pondus; vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides, præparavit ad univerſa impendia: plurimos quòque artifices, latomos, & cæmentarios: artifices lignorum, & omnium artium, ad faciendum opus prudentiſſimos, in auro, & argento, & ære, & ferro, cujus non eſt numerus. Quomodò tantos tibi theſauros accumulâſti Rex

Pſalm. 41. 5.

Pſalm. 30. 11.

1. Par. 22. 5.

 magne?

Verſ.14. magne? *Ego*, inquit, *in paupertate præparavi impenſas domûs Domini*: parcè vivendo, quamquàm Rex eſſem Iſraël. Ex tot victoriis de inimicis ſuis fecerat prædam opulentam: recipiebat reditus annuos quaſi innumeros; præter gabellas, & vectigalia, quæ non expendit in luxum, pompam, convivia, aut cætera hujuſmodi; modicam partem ſervans in victum, & expenſas neceſſarias domûs ſuæ: reliqua, partim in eleemoſynas pauperum, partim in dicti templi ſtructuram reſervabat: nec ſufficiebat illi, quòd ad hanc ſtructuram obligâſſet filium ſuum Salomonem, Verſ.17. *Præcepit quòque David cunctis Principibus Iſraël, ut adjuvarent Salomonem*: *Conſurgite, & ædificate ſanctuarium Domino Deo.* Rationem hujus præcepti dat Abulenſis ibi, Quæſt.15. Abulenſis. *Eò quòd mortuo David, ſi Salomon non faceret, quod juſſerat ei David, Principes, qui interfuerant huic juſſioni, poſſent increpare eum*: ſic voluit Rex ſanctus in vita cavere teſtamento, & quantùm neceſſe, proſpicere, ut poſt mortem adimpleretur pium legatum ejus de ædificando templo. Ille eſt verus modus proſpiciendi animabus veſtris, Chriſtiani; illas ante mortem pœnitentiis mundare, eaſque refrigerare ab ardoribus Purgatorii, divitias veſtras (dum adhuc vivitis) in animæ potiùs, quàm corporis bonum impendendo, Miſſarum, aliorumque bonorum operum ſuffragia, quæ ab hæredibus velletis poſt mortem adimpleri, tam arctis ligare vinculis, ut ea differre non valeant: *Remitte mihi, ut refrigerer, priuſquàm abeam; & ampliùs non ero. Nos ipſi faciamus opus.* Si non velimus decipi, nos ipſi, non fratres, non ſorores, non conſanguinei, non amici, *Nos ipſi faciamus opus.* Abſalonem Davidis filium, quamquàm perverſum, ad ſubjectam materiam ob oculos pono.

XI. 2. Reg.18. 18. Hic patrem ſecutus, ſibi ante mortem conſulens, erexerat ſepulchrum, ſolemni inſcriptione ornatum: *Porrò Abſalom erexerat, cùm adhuc viveret, titulum, qui eſt in Valle Regis.* 2. Reg.18.18. Quid? Abſalom in flore ætatis, robuſtus, dum arcus triumphales, dum palatia potiùs fabricare oportebat, ſepulchrum erigit? Dum non niſi vivere, & regnare nititur, mortem meditatur? Dum de patris vertice coronam tollere machinatur, de ſepulchro, de monumento cogitat? res ſanè mira! Quid, obſecro, Abſalonis animum movit, ut vivens, ſepulchrum ſibi fabricaret? Quid? *Dixerat enim non habeo filium*; non habeo filium, qui hanc mihi gratiam præſtet poſt mortem meam; undè neceſſe eſt, ut in vita mihi ipſi provideam. Quid hoc eſt? Abſalom non habet filium? Quale mendacium! Ejuſdem Libri Cap.14. apertiſſimis terminis habetur: *Nati ſunt autem Abſalom filii tres, & filia una, nomine Thamar, elegantis formæ.* 2. Reg.14. 27. Quomodò ergò dicit: *Non habeo filium?* Ne quis veſtrûm Abſalonem ut mendacem traducat; non dico, inquit, me non habere filios; habeo, & quidem tres, quos etiam amo teneriimè: ſed attendens ad naturalem

naturalem filiorum conditionem, qui mortuos parentes ita tradunt oblivioni, quaſi ab ipſis non eſſent geniti, ideò, quamquàm dicere poſſim: *Habeo filios*, qui dividant inter ſe paternam hæreditatem, & ſubſtantiam meam; *Habeo filios*, qui ſtatim mittant manus ſuas in ciſtas meas, & computent partes aureas, & argenteas; *Habeo filios*, qui ſubſtantiam meam diſſipent, & dilapident in luxus; & luſus; *Non habeo* tamen *filios*, qui poſt mortem meam mei recordabuntur: *Non habeo filios*, qui mihi ſuccurrent & refrigerabunt animam meam: *Non habeo filios*, qui poſt mortem meam erigent titulum, in mei memoriam; ideò adhuc vivens ego ipſe erigo. Patres & Matres, licèt quatuor, quinque, ſex, aut fortè plures habeatis filios, aut filias, dicite audacter, & bene dicetis: *Non habeo filios*; quia fortè nullus eorum poſt mortem veſtram veſtri recordabitur: *Non habeo filios*, qui ſatisfacient legatis noſtris, qui extinguent flammas noſtras, qui nobis compatientur: *Non habeo filios*, qui extendent manus ad faciendas eleëmoſynas. Audite me, Parentes, & diſcite confidere in filiis. Quidam præpotens & dives Italus ab annis non multis, accumulandis divitiis totus exhauſtus, morti proximus, convocat duos filios ſuos, diſpoſiturus de pingui, & copioſa ſua facultate; declaratque ambos æqualiter hæredes. Quid factum? Vix emiſerat ſpiritum, & oculos clauſerat, & ecce facta eſt inter eos contentio magna: primogenitus, offenſus quòd natu minor æqualis declaratus eſſet hæres, voluit ſubjicere fratrem omnibus expenſis funeralibus; quo ſuſtinente, quòd onera deberent eſſe paria, ubi partes hæreditatis ſunt æquales, tanta in barbaris his cordibus invaluit avaritia, & perfidia, ut, paternâ domo relictâ, abierint, & tamdiu cadaver inhumatum reliquerint, donec ex intolerabili fœtore vicini moniti, & pietate moti, cadaver in foſſam quandam projecerint. Numquid hîc dicere poterat: *Non habeo filios*? Ite, ite Parentes, & confidite filiis veſtris, & hæredibus veſtris; ſed videte, ne expenſis veſtris, & ad computum tormentorum in Purgatorio probetis poſteà, quàm vanæ fuerint fiduciæ veſtræ. *Nos ipſi faciamus opus. Omnis frater ſupplantans ſupplantabit: omnis amicus fraudulenter incedet. Omnes in ſanguine inſidiantur; vir fratrem ſuum venatur.* Michææ 7. 2. Si non velitis in Purgatorii carcere diutiùs puniri, ſed in cœlo quantocyùs gaudere, providete cunctis neceſſitatibus animarum veſtrarum, neque confidite in aliis.

XII. Apoc. 14. Audit Joannes in cœlo concentum muſicum: *Audivi*, inquit, *vocem Citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Apoc. 14. 2. Non ſufficit ei dicere: *Audivi vocem ſicut Citharœdorum*; ſed addit: *Citharizantium in citharis ſuis.* Ob quam rationem? Dicat illam Mellifluus Bernardus in Apol. ad Guiliel. Non auſcultat Deus ad citharizantes in citharis alienis: *Væ Citharœdis, citharizantibus non ut illi de Apocalypſi, in citharis ſuis, ſed alienis!* D. Bernard. Væ eis, qui confidunt in operibus alienis! Si vultis verè gaudere, & cantare in cœlo, & non flere, nec cruciari in Purgatorio, ſitis ſicut Citharœdi, ci-

tharizantes in citharis ſuis; placate iram Dei melodiâ bonorum operum veſtrorum: ſitis ipſi Cantores, in orationibus offerentes ſacrificia: ſitis eleëmoſynarum elargitores; ne exſpectetis, donec alii ſatisfaciant pro vobis: *Væ Citharœdis, citharizantibus non ut illi de Apocalypſi, in citharis ſuis, ſed in alienis!* In aliis confidentibus non deerunt pœnæ, afflictiones, & væ. De cœlo ad infernum deſcendamus. Lucæ 16. Mortuus Dives, & ſepultus in inferno, videns mendicum Lazarum in ſinu Abrahæ conſolatione plenum, ſupplicat Abraham: Fac mihi miſero in his tormentis hanc gratiam: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.* Fili, vanæ ſunt cogitationes tuæ, inquit Abraham; non poſſum concedere, quod petis; non poteſt te Lazarus aquâ refrigerare; ratio exigit, ut ille non deſerat ſinum meum, in quo exultat; & ut tu non recipias aliquam conſolationem, recordatus, quoniam recepiſti bona in vita tua, Lazarus verò mala; dignum, & juſtum eſt, ut ipſe modò conſoletur, tu verò crucieris. Certè S. Scripturæ myſteria, & S. Spiritûs oracula non conſideranti, mira & magna hîc Abrahæ inhumanitas videbitur: quid aquæ gutta? quid poſſet minùs dare? Petrus Cellenſis de Panib. Cap. 15. detegit latens myſterium: Notate, inquit, verba miſeri: *Ut intingat extremum digiti ſui*: in ly *ſui* totum latet myſterium. Dum viveret, malè operabatur manibus ſuis, ſperans poſt mortem juvari manibus alienis. Oportebat eum bene operari manibus ſuis, & non confidere in manibus Lazari; exſpectare debebat refrigerium à digitis ſuis, non à digitis ejus: *Digiti tui, & non ſui. Conſcientia de gravibus confitentibus, non alterius, ſed proprio digito debet amovere pœnam*; inquit Bleſenſis: quem locum ſimiliter premens D. Paulinus Epiſt. 3. ſic loquitur: *Non eget aliena manûs digito refrigerante, qui propriis digitorum ſuorum roribus, id eſt, ſuæ dexteræ operibus confiſus eſt.* Mi chare Chriſtiane, ſi vis ſalvare animam tuam, eamque liberare de carcere Purgatorii, noli confidere aliis; noli confidere orationibus, jejuniis, & eleëmoſynis alienis; fac tu ea, quæ ab aliis velles fieri pro te; tuæ ſint orationes, tuæ eleëmoſynæ, tua jejunia; quia invenies te deceptum, ſi ab hæredibus, ab amicis refrigerium exſpectes: ipſi comedent, & bibent, & tu fame, & ſiti cruciaberis: ſi ſapis, *Non alterius, ſed proprio digito amovebis pœnam. Nos ipſi faciamus opus*; non hæredes, non fratres, non amici.

Lucæ 16. 24

Petrus Cell.

Pet. Bleſenſ.

S. Paulinus.

XIII. Chriſtiane, te iterum appello: Cujus magis intereſt ſalus animæ tuæ, tui, vel hæredis? certum eſt, quòd magis tui interſit; quia agitur de ſalute animæ tuæ: ſi tu non cogites, nec procures pœnitentiis, Indulgentiis, eleëmoſynis tollere pœnas tibi debitas, quomodò erunt ſolliciti, ut hæc omnia pro te faciant, quorum non intereſt? Vera ſtultitia! Potes modò operibus bonis Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, & mavis mitti in carcerem Purgatorii, ubi non poteris vel minimum operari meritoriè, & animam tuam com-

committere voluntati alienæ? Intereſſe animæ ſuæ debet unicuique cordi eſſe, non aliis committi. Filii mei, inquies, ſunt boni, timorati, obedientes, ſemper dilexi eos, & ipſi dilexerunt me; ſcio, quòd non tradent me oblivioni: quos hæredes inſtitui, ſunt bonæ conſcientiæ; amici mei, quibus feci pia legata, ſunt animæ piæ, religioſæ, ſtudentes perfectioni; non facient mihi tantam injuriam; non derelinquent me. Quam bene diſcurris! Noli confidere! noli, quia decipieris: attendent illi ad alia, cogitabunt de bonis à te relictis, & relinquent te in igne ſatiſpatientem pro debitis tuis. Credis, quòd hæredes tui rore ſuffragiorum extinguent ignem fornacis? Credis, quòd cum auro in manu, & ſacrificiis te de carcere ſint redempturi? falleris, dum illos putas tamquàm Habacuc allaturos tibi panem Euchariſticū: ô quàm cæcutis, dum iſta credis! Hæredes tui alia cogitabunt: dicam tibi quales futuræ ſunt hæredum tuorum cogitationes: tu eris in carcere; torquebitur anima tua; deplorabis dementiam tuam; petes adjutorium; & tunc hæredes tui cogitabunt ædificare ædificia ſuperba: dum tu dormies, aut, ut meliùs dixero, ardebis ſuper lectum igneum, illi ſuper lectum molliſſimum requieſcent: dum tu in refrigerium animæ tuæ cum Epulone aquæ guttam petes, aſſidebunt illi menſæ opiparæ, comedentes cibos delicatos, & bibentes vina exquiſita. Hæ, hæ hæredum tuorum cogitationes erunt, Chriſtiane: confide ergò in manibus eorum animam tuam; ſed antequàm id abſolutè reſolvas, audi adhuc verbum ex M. P. Auguſtino in Pſal. 48. *Ventri ſuo ſerviunt homines, non ſpiritibus mortuorum;* facient tecum hæredes tui, inquit Magnus Præſul, quod hæredes Epulonis; *Inebriabant ſe in memoriam ipſius, nec deſcendebat una gutta ſuper linguam ipſius ardentem. Ventri ſuo ſerviunt homines, non ſpiritibus mortuorum.* S. Auguſt.

XIV. Quod antè non ſemel, iterum quæro: Cur omnem fiduciam tuam in amicis, & hæredibus tuis colloces? An quia illos obſtrictos putas, ut te ament? Quis tibi major amicus, quàm tuipſe tibi? Quis magìs tibi obſtrictus? Perſuades tibi, quòd alius plùs te diliget, quàm tu teipſum? deciperis. Quis amor illi comparandus, quem quiſque erga ſe habet? hinc ſpeciali mandato præcipitur nobis, ut diligamus Deum, patrem, matrem, filios, fratres, proximum, etiam inimicos; ſed nec lex naturæ, nec divina præcipit, ut nos-ipſos diligamus; quia ſupponunt tamquàm indubitatum, & quaſi impoſſibile, ut quiſque ſe non amet, & proprium quærat bonum. Si tu ergò, qui ita te amas, tam malè provideas animæ tuæ; & non ſolùm non verifices illud Job: *Cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua;* ſed Iob 2. 4. econtrà, totum relinquas hæredibus, & quaſi nihil pro anima tua; ſperas quòd aliquis eorum illam amabit, illi providebit, & majorem compaſſionem habiturus ſit, quàm tu habes? Quomodò tibi potes perſuadere ſimilia? Magna dementia eſt, ſibi negare omnia, & hæredi ſuo procurare; qui eò plùs gaudebit de tua morte, quò plùs à te acceperit.

Magìs

Magis te premo. Errares turpiter, ſi in cauſas pias, & in bonum Eccleſiarum teſtareris, & ita legares omnia bona tua, exhæredando filiós tuos; quia peccares contra legem naturæ, quæ te obligat ad providendum filiis tuis, dum potes: undè M. Auguſtinus Serm. 49. de Diverſ. & Serm. 52. ad Fratres in eremo. *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere* S. Auguſtin. *Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imò, Deo propitio, nullum inveniet.* Quod etiam intelligitur de filiis, reſpectu parentum, & conſanguineorum: quia leges civiles, licèt non adſtringant teſtatores benefacere uxori, fratribus, ſororibus, & ſimilibus; tamen ſi verè illi indigeant, eadem lex naturæ, quæ illos obligabat ad alimentandum, dum viverent, obligat illos poſt mortem, providere eis de ſufficienti ſuſtentatione: undè S. P. Auguſtinus, teſte Poſſidonio in Vita S. Aug. Cap. 24. in ſimilibus caſibus non ſolùm reſtituebat filiis hæreditatem à parentibus, ſed & ab aliis conſanguineis, Eccleſiis relictam. Ex his formo argumentum: Si ſit obligatio ſuccurrere egentibus conſanguineis, quantò magis teneris occurrere indigentiæ animæ tuæ? Si in æquali neceſſitate ſemper te debeas alteri qualicumque præferre, cur non conſulis, & proſpicis graviſſimis malis, quæ animam tuam manent in Purgatorio, magis quàm illis, quæ in hac vita pati poſſent conſanguinei tui? *Miſerere* Eccli. 30. 24 *animæ tuæ*, inquit tibi Eccleſiaſticus Cap. 30. *placens Deo*: tu, qui places Deo, ac bonam habes in Deo conſcientiam, ac proinde gravioris mali minimè conſcius, meritò debes miſereri animæ tuæ. Beneordinata charitas obligat te, primò providere neceſſitati propriæ; deindè alienæ: undè Purpuratus Ugo: *Miſerere* Ugo Card. *animæ tuæ, non alienæ; ſicut multi faciunt, qui bonum, quod aliis exhibent, ſibi magis indigentibus denegant*, aliis pii, ſibi impii; ut filios ditent, animas ſuas depauperant; & ut illos de levi præſenti calamitate eripiant, non curant ſe pœnis intolerabilibus in altera vita ſubjicere. Et quòd tu, Chriſtiane, unus ex illis ſis, hoc deploro. Sed cùm adhuc tempus ſit, ut tanto malo occurras, conſulit tibi Spiritus ſanctus.

XV. Eccleſiaſtici 14. *Ante obi-* Eccli. 14. 17. *tum tuum operare juſtitiam; quoniam non eſt apud inferos invenire cibum*; præpara animam tuam operibus bonis; ne expectes, donec mors veniat; donec mittaris in carcerem Purgatorii; quia non invenies ibi, niſi pœnas, & tormenta: *Ante obitum operare juſtitiam*: dum vivens, & ſanus es, ciba animam tuam; quia non invenies in iſto carcere cibum: exiguum ſuccurſum, & refrigerium ibi invenies: ne expectes, donec cadas in infirmitatem, in illa tormenta; quia non invenies ibi Medicos, qui ſubminiſtrent medicamenta: *Ante languorem adhibe medica-* Prov. 18. *menta* Prov. 18. Idem Sapiens non patiens ſocordiam, & craſſam mortalium ignorantiam operandi virtuosè, mittit te, tibique ſimiles, non ad homines ſenſatos, & doctos, non ad Academiam Athenienſem, Lovanienſem, aut Duacenam; non ad Ariſtotelem, aut Platonem; ſed ad formicam: *Vade*, inquit, *ad formicam* Prov. 6. 6. *ô Pi-*

ô Piger; & conſidera vias ejus, & diſce: & dum benè conſideraveris, excla- ma cum D. Chryſoſtomo: *Formica- rum facti ſumus diſcipuli.* Et verè, ſi attendamus formicarum vivendi modum, habemus undè ab illis diſ- camus: multa quidem ab ea diſcere poſſumus; ſed, aliis relictis, unum nobis ob oculos ponit Salomon ad rem noſtram: formica *Parat in æſtate cibum; & congregat in meſſe, quod com- medat*: prudentiſſima formica in æſtate, dum liberè poteſt ire, & redire, & dum obvias habet ſpicas, & granula, attendens ad hiemis in- jurias, pluvias, nives, gelu, ſpretis ardentibus ſolis radiis, nec attentis laboribus, & fatigationibus, dum cætera animalia, & homines, pigrè ſub umbra quieſcunt, illa tota ſolli- cita, ſibi providet; non curat calo- rem æſtatis, ne in hieme moriatur fame: *Vade*, Chriſtiane, *ad formicam.* M. Auguſtinus his verbis pauca ad- dit ex ſuis: *Eſto prudens, & proſpice tibi impoſterùm in cælo: imitare for- micam; reconde in æſtate, ne eſurias in hieme*: his ſubſcribit D. Hieronymus in hunc locum: *Si tantillum animal naturâ duce ſibi providet impoſterùm, multò magis tu, ad imaginem Dei con- ditus, debes in præſenti bonorum fructus congregare, quibus in æternum vivas.* Hæc eſt æſtas noſtra; prata Eccleſiæ rident; ſpicæ Sacramentorum matu- ræ, ſignanter Sacramenti altaris, quod verè eſt *Frumentum electorum*; ſuperabundant viatica Indulgentia- rum, & operum pietatis; hic eleë- moſynæ, & jejunia ad manum, quo- rum ne vel minimum reperitur in Purgatorio, ubi ſumma egeſtas: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis*; inquit Salomon Prov. 10: Seraphicus Bonaventura Serm. de Purg. applicat hæc verba Purgatotio, dicens: *Dignum eſt, ut qui otiantur tempore ubertatis hujus mundi, egeant tempore neceſſitatis in Purgatorio*: vult dicere: Qui in hac vita ſtat otioſus, qui dormit tempo- re ubertatis, tempore à Deo con- ceſſo ad mundandam animam, & faciendam proviſionem pro tempore neceſſitatis, quando mittetur in car- cerem Purgatorii, ubi verè indigebit refrigerio bonorum operum, ſumma tormenta paſſurus, juſtè, & dignè cruciabitur; quia pati noluit tempo- re debito: *Dignum eſt, ut qui otiantur tempore ubertatis hujus mundi, egeant tempore neceſſitatis in Purgatorio.* Hinc naſcitur confuſio, in qua ſe reperiunt adhuc incarceratæ animæ; videntes infortunium ſuum oriri ex eò, quòd tempore ubertatis fuerint otiatæ, & non providerint ſibi: *Qui autem ſter- tit æſtate, filius confuſionis*: undè me- ritò, ſuam agnoſcentes dementiam, dicere poſſunt cum Auguſtino: *Quantum ſtulta iniquitas geſſit, tantum ſapiens pœna deſævlet.* Magna demen- tia eſt, bene vivendo & operando divinam amplecti poſſe miſericor- diam, & malle potiùs in Purgato- rium mitti, & Divinæ juſtitiæ ſubire flagella. Hoc, teſte D. Hieronymo, modò malo ſuo experiuntur patien- tes animæ: *Maximo dolore torquetur anima, cùm, in pœnis conſtituta, jam ſerò dolet, ſe tunc negligentem fuiſſe, quando per bona opera ſibi potuit ſubve- nire. Ante languorem adhibe medici- nam.* NN. mei, ſi vos hactenus

Marginalia: S. Chryſoſt. — ℣. 8. — S Auguſtinus. — S. Hieron. — Zachar. 9. 17. — 2. Cor. 6. 2. — Prov. 10. 5. — S. Bonavent. — S. Auguſtin. — S. Hieron.

verba mea non moverint, moveant ſaltem verba Angelica.

XVI. Apoc. 10. Videt Joannes Angelum, publicantem ſupremi tribunalis irrevocabile decretum: ut
Apoc. 10. 1. Joannes omnes attentos habeat, deſcribit Angelum: *Vidi Angelum Dei, fortem, deſcendentem de cælo*, tamquàm potentem miniſtrum ſupremi Monarchæ: *amictum nube*: ad indicandum cum majeſtate, candorem naturæ, & doctrinæ ſuæ cœleſtis: *& iris erat in capite ejus*; quia volebat ſuper viventes nimbum dare gratiarum, & reconciliare eos Deo: *& facies ejus erat ut ſol*; tenebras ignorantiæ, & peccati eliminaturus, & divinis nos doctrinis inſtructurus:
℣. 2. *& habebat in manu ſua libellum apertum*; tamquàm omnium ſcientiarum
℣. 3. altiſſimus Profeſſor: *Et clamavit voce magnâ*; *quemadmodum cùm leo rugit*; ut audirent attentiùs, quod ex parte Divinæ juſtitiæ erat publica-
℣. 4. turus: *& cùm clamâſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*; ut in terrore magìs apprehenderetur pondus divini decreti; tandem *levavit ma-*
℣. 5. 6. *num ſuam in cælum, & juravit per viventem in ſecula ſeculorum*. Mira apparitio! Audite modò irrevocabile divini tribunalis decretum: *Tempus non erit ampliùs*: irreparabiliter denegabitur tempus, vivis, & defunctis: vivis, qui tot temporalibus lucris intenti, bonorũm æternorũ obliti, & incurii inſurdeſcunt ad divinos clamores: quia illis non erit tempus, quo auxiliis ſpecialibus à Deo donentur: *Tempus non erit ampliùs* defunctis: quia non ampliùs habituri ſunt tempus ſatisfaciendi debitæ ipſis pœnæ operibus meritoriis, neque providendi animæ ſuæ de qualicumque ſubſidio. Ergò, antequàm concludam, iterum vos rogo cum Eccleſ. 9. *Quodcumque facere* Eccleſ. 9. 10.
poteſt manus tua, inſtanter operare: aſſignat rationem: *Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos*; quod non ſolùm de damnatis in carcere criminali ad æternam mortem, ſed & de animabus, ob debita cum Deo contracta in carcere Purgatorii detentis, juxta SS. Patres communiter intelligitur. Plura ibi patiuntur animæ in ſuo carcere uno die, quàm potuiſſent hîc pati ſeculis multis: plus mereri potuiſſent unico ſuſpirio in hac vita, quàm omnibus tormentis, quibus modò cruciantur, uſque ad finale judicium: quia ibi tempus non erit ampliùs ad merendum: undè meritò vos monet Eccleſiaſticus: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos* in Purgatorio, ſcilicet ad merendum. Dum ergò animæ adhuc in carcere detentæ ſibi ultrà conſulere non valent, ſaltem vos rogate Deum pro illis: *Requiem æternam dona eis, Domine. Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace.* Amen.

SERMO

SERMO DECIMUS-TERTIUS

DE CARCERE PURGATORII.

Conſideranſque venit ad domum Mariæ, matris Joannis; ubi erant multi congregati, & orantes.
Act. 12.

Animæ, viventium ſuffragiis de carcere Purgatorii liberatæ, redemptoribus ſuis agunt gratias; ſpondentque ſe oraturas pro eis, ut Deus faciat cum eis miſericordiam, ſicut fecerunt ipſi cum mortuis; & ut, dum in eodem fuerint carcere, iiſdem mediis ex illo eos eruat, ſicque animæ eorum citò fruantur viſione beatificâ.

I. VOs adhuc Viventes, dum captivas animas non ſolùm ab amicis oblivioni tradi, ſed & ab ipſis hæredibus derelinqui, his diebus audîſtis; iterum rogo vos, ut non depauperetis animas veſtras, neque eas neceſſariis ſuffragiis privetis; ne alioquin poſteà cum Salomone deteſtemini induſtriam veſtram, quâ ſtudioſiſſimè laborâſſetis, habituri hæredes poſt vos, quos ignoratis utrùm ſapientes, an ſtulti futuri ſint, & dominaturi laboribus veſtris, quibus deſudâſtis. Credite mihi, non
Eccleſ. 2 18. eſt quidquam tam vanum. *Meliùs eſt oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis*, & ſibi cum Salomone con-
Eccleſ. 4. 8. ſulere, dicendo indies: *Cui laboro, & fraudo animam meam?* qui ſecus fecerit, de illo cum Sapientiſſimo
Eccleſ. 6. mortalium *Ego pronuncio, quòd melior ſit abortivus*. Si ſapitis, & animabus veſtris conſulitis, Apoſtolum audie-
Gal. 6, 4. tis: *Opus ſuum probet unuſquiſque; & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero: unuſquiſque enim onus ſuum portabit*. *Nos ipſi faciamus opus*, 2. Eſdræ 4. 21.
non parentes, non filii, non fratres, nec hæredes; Salvatorem noſtrum in hoc imitati, qui animam ſuam, non Matri, non Joanni dilecto Diſcipulo, ſed Patri commendavit: *Pa-* Lucæ 23. 46.
ter, in manus tuas commendo ſpiritum meum; ut erudiret nos, ſpiritum noſtrum Patris æterni manibus commendare. *Facite vobis amicos de* Lucæ 16. 9.
mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula. Vos, vos facite, & vobis facite amicos; non fraudulentos, ſed qui recipiant vos in æterna tabernacula; amicos, qui refrigerent vos in flammis, ut recipiamini in æterna tabernacula. Dicite indies Deo cum Davide; *Remitte mihi, ut* Pſalm. 38. 14.
refrigerer priuſquàm abeam; & ampliùs non ero in ſtatu merendi. Filium ejus Abſalonem imitemini, qui erexerat, cùm adhuc viveret, titulum, ſeu ſepulchrum, dicens: *Non habeo filios*, 2. Reg. 18. 18.
qui hanc mihi gratiam præſtent poſt

mortem; licèt tamen tres filios haberet, & filiam unam. Erigite vobis titulum cùm adhuc vivitis; ne, animas veſtras filiis committentes, & illi eas negligentes, cogamini poſteà dicere: Non habeo filium, qui refrigeret animam meam; qui mei recordetur; qui ſatisfaciat legatis, & extinguat flammas meas.

D. Bern. *Nos ipſi faciamus opus*: quia *Væ Citharœdis, citharizantibus, non ut illi de Apocalypſi, in citharis ſuis, ſed in alienis!* Non eget alienæ manûs digito refrigerari, qui propriis digitorum ſuorum roribus, id eſt, ſuæ dexteræ operibus confiſus eſt. *Ante obitum*

Eccli. 14.17. ergò *operemini juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos*, in Purgatorio, *invenire cibum* ad refocillandam animam.

Prov. 6. Formicam imitemini, *quæ parat in æſtate cibum, & congregat in meſſe*: recondite in æſtate, ne eſuriatis in

S. Bonav. hieme: quia *Dignum eſt, ut qui otiantur tempore ubertatis hujus mundi, egeant tempore neceſſitatis in Purgatorio.* Undè rogo vos iterùm iterùmque cum Ec-

Eccli. 9. 10. cleſiaſtico: *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos*: verbo dictum:

Apoc. 10. 7. *Tempus non erit ampliùs.* Siſto hîc NN. Adſum vobis hodie in qualitate Legati, ex parte animarum ſuffragiis veſtris ex carcere liberatarum. Commiſſionem meam non exordior, niſi priùs eâ invocatâ, de qua D. Bernardinus Senenſis Ser. 3. de Nom. Mariæ Artic. 2. Cap. 3. *Ab*

S. Bernardin. *his tormentis liberat B. V. maximè devotos ſuos. Ave Maria.*

II. Petrus, qui ex carcere liberatus exiſtimaverat ſe viſum videre, tandem verâ, reali, & experimentali notitiâ deprehendens, ſe non extaſim paſſum, ſed de ſua liberatione certũ, necdum eſt ſecurus: undè *Conſiderans venit ad domum Mariæ, matris* Act. 12. 12.
Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati & orantes. Quid venit huc factum? actum gratias pro fuſis precibus: *Oratio au-* ꝟ. 5.
tem fiebat ab Eccleſia pro eo: erant ibi congregati, qui pro ipſo oraverant; quorum precibus erat verofimiliter de carcere liberatus. NN. cùm vos omnes hîc videam congregatos, qui pro incarceratis animabus oràſtis, quæ, ut ſpero, ſuffragiis veſtris modò requieſcunt in pace, nomine illarum vobis gratias ago: certiores vos faciens, quòd orabunt pro vobis; quòdque multæ tum ſpirituales, tum temporales benedictiones propterea vos maneant. Audite attentè, quæ nomine illarum dicturus ſum. Deo auſpice incipio.

III. Laus Deo: exauditæ ſunt Eccleſiæ preces, quibus ſupplicabat Deum: *Deus, cui omnia vivunt, te* Eccleſia.
ſupplices deprecamur, ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui, vel famulæ tuæ, per manus ſanctorum Angelorum deducendam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ. Quanto putatis gaudio Angelos repleri, dum animas, pro quarum liberatione à vobis ſuffragia poſtulàrunt, de carcere liberatas, ad cœlum ducunt? Scitis quid factum ſit in morte Lazari mendici, Lucæ 16. *Factum eſt ut moreretur mendicus,* Lucæ 16. 22.
& portaretur ab Angelis. Ab Angelis? A quot, obſecro? Quæro, quot Angeli gaudeant, quando Luc. 15. Euangeliſta dicit: *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore?* Lucæ 15. 7.
hoc eſt NN. *Omnibus Angelis Dei*: quia,

quia ratio eadem reſpectu omnium, & ſic, *Indefinitum æquivalet univerſali*: ita eſt, inquit S. Chryſoſt. *Gaudet unuſquiſq; Angelorum*: unuſquiſque, abſq; excluſione ullius. Res mira! Cur pro una anima tot milliones Angelorum? Non ſufficiebat unus? Unus ſolùm venit, ut confortaret Chriſtum, in horto præ triſtitia in terram proſtratum; & omnes veniunt, ut portent animam unius ſervi? Unus ſolus portabat Habacuc in capillo capitis, velut leve ſtramen; & omnes adſunt, ut unam portent animam, quæ nullius eſt ponderis? Unus Angelus totum mundum vertit; & hic adſunt tam multi? ſic eſt: *Gaudet unuſquiſque Angelorum.* Gaudium, quod habent Angeli, dum de carcere liberant, & portant animam in cœlum, tantum eſt, ut quaſi certatim advolent; ut unus non videatur alteri cedere, ut tanto interſint gaudio, quod tunc eſt in cœlo; omnes quaſi offerunt manus: *Gaudet unuſquiſque Angelorum*: vel, ut meliùs dicam: gaudium, quod habet Angelus cuſtos, portans animam in cœlum, tantum eſt, & tam immenſum in uno ſolo Angelo, ut non tantùm ad lætificandum unum, duos, centum, mille, ſed univerſum eorum cœtum ſufficiat. Primum ergò, quod faciunt animæ liberatæ, eſt, quòd laudent, & benedicant Deum, quòd per Sanguinem Filii ſui eas liberaverit; gratias agentes Deo pro Sacris, quæ ipſe Agnus incruentè in altari per Sacerdotem obtulit: de quo Apoc. 5. *Vidi*, inquit Joannes, *agnum ſtantem tamquàm occiſum*: *& audivi vocem Angelorum multorum, dicentium: Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & gloriam. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt; & ſuper terram, & ſub terra, audivi dicentes: Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula.* Quòd illi, qui in cœlo, & qui in terra ſunt, dent gloriam, benè: ſed quòd illi, qui ſub terra, quid hoc? Hector Pintus dicit eſſe animas Purgatorii; quæ liberatæ gratias agunt agno occiſo: quam ob rem? *Quoniam redemiſti nos, in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum*: quia per Miſſæ ſacrificia, Communiones, &c. pro nobis facta, liberatæ ſumus. Illas gratias dabunt Deo in æternum. Secundò agunt gratias liberatoribus ſuis, qui ſunt ſuper terram.

S. Chryſoſtomus. — Apoc. 5. — ℣. 6. & ſeqq. — Hector Pintus.

IV. Matth. 9. 30. Duo cæci vivâ fide veniunt ad Chriſtum, ab eo illuminandi; quos Chriſtus ſolitâ ſuâ benignitate, & miſericordiâ illuminavit: *Aperti ſunt oculi eorùm: & comminatus eſt illis Jeſus, dicens: Videte, ne quis ſciat.* S. Chryſoſt. ibi, notat, *Quòd non ſimpliciter juſſerit, ſed cum multa vehementia: comminatus eſt enim eis*: illi vix domum erant egreſſi, quin mox incœperint altâ voce clamare Dei miſericordiam, & manifeſtare iſtius patriæ incolis obtentam à Chriſto gratiam: *Illi autem exeuntes, diffamaverunt illum in tota terra illa.* Cur non obſervant ſibi factam inhibitionem? S. Hieronym. in dictum locum ad hoc reſpondet: *Dominus quidem propter humilitatem, fugiens jactantiæ gloriam, hoc* pre-

Matth. 9. 30. — S. Chryſoſtomus. — Verſ. 31. — S. Hieronymus.

p acceperat ; ſed illi, propter memoriam gratiæ, non potuerunt tacere beneficium. N. N. qualis proportio inter horum cæcorum illuminationem, & animarum Purgatorii, viſione Dei privatarum, quarum oculi in amaritudinibus morantur? Aliâ viſione, aliâ felicitate gaudent illæ in cœlo. Si cæci illi, quibus impoſitum fuerat ſilentium ſuper illuminatione ſua miraculoſa, non potuerint tacere, tacebuntne liberatæ, & illuminatæ animæ? Si illi illuminati voluerint omnes excitare, ad agendas gratias illuminatori ſuo, quantò magìs animæ divulgabunt omnibus Sanctis gratiam ſibi factam à Deo, & per ſuffragia veſtra obtentam? Quòd orent Deum pro vobis, hoc juxta D. Thomam 2. 2. Qu. 106. Art. 16. certum; quia cùm ſint animæ ſanctæ, non poſſunt eſſe ingratæ: hinc M. P. Auguſtinus ait: *Orate pro defunctis, ut, cùm fuerint in vita æterna, pro vobis orent.* In ſenſum Auguſtini etiam abit Richardus à S. Victore: *Animæ ereptæ de Purgatorio, dum adſunt cœleſti gaudio, miro modo interpellant exorando pro his, qui eis ſubvenerint in hoc ſeculo: Deus enim nihil eis negat.* Non poſſunt animæ liberatæ non orare pro liberatoribus ſuis, gaudentes æternâ requie, adeò ab ipſis deſideratâ: quantò enim anima eſt glorioſior, tantò charitate plenior; quia ex illo objecto beatifico magìs Beatorum perficitur *Charitas*, quæ *numquam excidit.*

S. Auguſtinus.

Richard. à S. Vict.

1. Cor. 13. 8

V. Chriſtus mundo oſtenſurus, quòd non homo tantùm, ſed etiam Deus eſſet; quòdque ſub pallio humanitatis noſtræ, lucem haberet Divinitatis, aſſumpſit Petrum, Joannem, & Jacobum in Thaboris verticem; ibique ſe transfigurans, *Reſplenduit facies ejus, ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba, ſicut nix.* Petrus, tenuem Divinitatis radium intuitus, præ cæteris tanto gaudii torrente exundabat, ut in hæc verba prorumperet: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* O conſolationes! ó delicias cœleſtes! non diſcedam hinc in æternum! *Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Vix Petrus ſermonem finierat; *Ecce nubes lucida obumbravit eos: & ceciderunt in faciem ſuam.* Et addit Lucas Evangeliſta, quòd Petrus neſciret, quid diceret: *Neſciens quid diceret;* utpotè ab affectu inordinato, & amore proprio ſeductus. Quid poterat Petrus, Divinâ facie recreatus, minùs dicere, quàm: *Bonum eſt nos hîc eſſe?* S. Paſchaſius Lib. 8. in Matth. opinatur, quòd Petrus verè neſciebat quid diceret; quòdque magnum commiſerit errorem: Fateor, Petre, inquit Paſchaſius; habes, quod dicas: *Bonum eſt nos hîc eſſe* (quis enim locus amœnior, quàm ubi quis fruitur Deo) ſed dic mihi, obſecro: Vis ſemper in iſto monte manere, gaudio fruiturus, & gloriâ? Quid tunc erit de aliis co-Apoſtolis tuis? certè magnum committis errorem, quòd, Chriſti gloriâ fruens, aliorum oblivìſcaris. Ubi eſt, Petre, charitas tua? *Neſciens quid diceret;* inquit Paſchaſius: *neque enim de co-Apoſtolis, qui cum eo aſcenderant, aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas*

Matth. 17. 2.

Verſ. 4.

Verſ. 5. 6.

Lucæ 9. 33.

S. Paſchaſius.

ritas quàm maximè commendatur. Non poſſunt animæ, de carcere Purgatorii liberatæ, frui Deo ſuo, & gloriâ ejus, & non recordari benefactorum ſuorum. Exemplifico cum Pelbarto. *Si Regi capto benefaceres in carcere, tandem cùm rediret in regnum, tibi recompenſaret.* Si Rex in carcerem miſſus, & catenis vinctus, à paupere quodam de carcere & vinculis ſolveretur, & regno reſtitueretur, poſſetne ille (niſi foret immanis bellua) tantum benefactorem non ditàre, promovere, eique omnia gratitudinis ſigna exhibere? *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; hoc de mortuis dicitur*, inquit Armandus: quomodò ergò poſſibile, quòd animæ, de carcere Purgatorii ſuffragiis veſtris liberatæ, obliviſcerentur veſtri? iterùm dico cum Auguſtino: *In vita æterna pro vobis orant.* Habetis ſupplicam earum apud Prophetam Regium Pſalm. 78, 12. *Intret in conſpectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*: redde, Domine, ſeptuplum vicinis noſtris, qui ſunt in mundo: refunde in ſinum eorum cum uſura, aurum, & argentum, quod expenderunt in redemptionem noſtram: & pro regno æterno, quod nobis accelerârunt, reple eos benedictionibus multis. Loquatur pro me Armandus in hunc Pſalm. *Felix ille, qui ſuffragiis ſic reſpicit gemitus compeditorum; ipſi enim Paradiſum ingreſſi, Deum orant pro benefactore. Animæ, ereptæ de Purgatorio, dum adſunt cœleſti gaudio, miro modo interpellant exorando pro his, qui eis ſubvenerint in hoc ſeculo: Deus enim nihil eis negat.* Undè meritò M. P. Auguſtinus Serm. 44, ad Fratres in eremo: *Cupis, ô homo, ut Deus miſereatur tui? fac, ut proximi miſerearis: nam tantum tibi miſerebitur Deus, quantum & tu miſereberis proximo: tantum recipies in alia vita, quantum facies in præſenti vita. Ora ergò pro defunctis*: totum, quod defunctis fit, cedit in utilitatem noſtram; inquit D. Ambroſius de Offic. *Omne, quod defunctis causâ pietatis impenditur, in noſtrum tandem meritum commutatur; & illud poſt mortem in centuplum inveniemus duplicatum*: juxta earum ſupplicam: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Miſericordiam pro miſericordia recipiemus.

Pelbartus. Pſalm. 149. 8. Armandus. S. Auguſtinus. Pſalm. 78. 12. Armandus. Rich à S. Vict. S. Auguſtinus. S. Ambroſius.

VI. 2. Reg. 2. 4. Contriſtatus David ob infelicem Saülis mortem, poſtquàm in Regem unctus planxiſſet inimicum ſuum, jejunâſſetque pro illo, reſolvit honorare illum honorificâ ſepulturâ: & ecce: *Nunciatum eſt David, quòd viri Jabes ſepeliſſent Saül*: quibus auditis, judicabat David partium ſuarum eſſe, illis deſuper gratias agere, eoſque certiores reddere, quod Deus opus adeò pium remuneraret: undè per ſuos legatos ait: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saül, & ſepeliſtis eum; & nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem.* Obſervat Abulenſis, quòd Propheta Regius hâc copulativâ, *miſericordiæ, & veritatis*, voluerit exprimere duos modos, quibus

2. Reg. 2. 4. Verſ. 5. Verſ. 6.

buſ ſolet Deus aliquem prœmiare: primò, ad noſtram menſuram meritorum: ſecundùm hæc verba: *Veritas enim retribuitur, quando juxta merita alicujus recompenſatur:* ſecundò, ſupra merita noſtra: quod ly *Miſericordia* indicat: *Miſericordia enim retribuitur alicui, quando præter merita ſua, aliquid ei confertur ex mera gratia*: his ergò, qui fecerant miſericordiam cum Saüle mortuo, dicebat David: *Retribuet Dominus miſericordiam, & veritatem*: *Quia*, inquit Abulenſis, *non ſolùm Deus benefacturus erat viris Jabes ſecundùm qualitatem meriti, ſed ſupra illud*: juxta illud Eccleſ. 12. 2. *Benefac juſto, & invenies retributionem magnam.* N. N. ex parte animarum, in qualitate Legati, gratias habeo vobis, ob miſericordiam eis præſtitam: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam,* non cuidam inimico Dei, ſed animabus ejus electis; quibus ſuffragiis veſtris procuràſtis requiem æternam, & lucem perpetuam: *Et nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam, & veritatem*: illam utique, de qua Ruth 1. Cap. Noëmi marito orbata & liberis, ſurrexit, ut in patriam pergeret cum utraque nuru ſua de regione Moabitide: cùmque jam eſſet poſita in via revertendi in terram Juda, dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ: *Faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.* Cùm non detur major miſericordia illâ, quâ mortuis ſubvenitur, non poterat eis Noëmi majorem apprecari. Quidni miſericordiam conſequantur, qui miſericordiam faciunt cum mortuis? Dicat hoc pro me Vincentius Belluacenſis Lib. 2. P. 1. Diſt. 11. *Illi merentur maximè poſt mortem adjuvari ſuffragiis, qui, dum viverent, ſolliciti fuerunt pro mortuis adjuvandis.* N. N. quorum ſuffragiis animæ ex carcere liberatæ modò habent requiem æternam, & lucem perpetuam, non ſolùm voveo, ut faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſed ex parte animarum vobis prædico: *Faciet vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis*: ſicut feciſtis miſericordiam cum illis, ita eamdem retribuet vobis. Eodem modo, quo liberâſtis illas ex carcere, & vos ex illo poſt mortem veſtram liberabimini.

Abulenſis.

Eccle. 12. 2.

Ruth 1. 8.

Vincentius Belluac.

VII. Joſue 2. 12. Cap. Exploratoribus à ſe miſſis ait: Ite, conſiderate terram, urbemque Jerichos: qui, latenter ingreſſi domum mulieris meretricis nomine Rahab, quieverunt apud eam. Rex, habitâ notitiâ, quòd de filiis Iſraël ingreſſi eſſent quidam per noctem, ut explorarent terram, miſit ad eam milites ſuos, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: at illa, quæ abſconderat eos, eludebat illos; fingens, cùm portæ clauderentur, abiiſſe viros. Tunc illa ad exploratores: *Nunc ergò jurate per Dominum, ut, quomodò ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei; detiſque mihi verum ſignum, ut ſalvetis patrem meum, & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt; & eruatis animas noſtras à morte.* Tunç illi reſponderunt: Signum ſecuritatis

Joſue 2. 12.

tatis

tatis veſtræ, ſalutis, & miſericordiæ vobis infallibiliter futuræ, erit ipſe funiculus, per quem nos dimittes, appenſus de feneſtra, quâ
verſ. 18. dimittemur: *Si ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos, faciemus in te miſericordiam, & veritatem.*
Lyranus. Ecce, inquit Lyranus, *Dederunt pro ſigno funiculum, per quem dimiſſi fuerant.* N.N. qui non duas, ſed fortè viginti, & plures animas ſalvâſtis, vultis ſcire, quid vobis futurum ſit? Ex parte illarum certiores vos reddo. Quod ipſis ſuffragiis, quibus illas liberâſtis, liberabimini & vos; Et ſi velitis infallibile ſignum accipite; *Dederunt pro ſigno funiculum coccineum*; idipſum ſcilicet auxilium & ſuffragium per quod dimiſſi fuerant ex carcere. Tot Sacris, tot Communionibus, iiſdemque mediis, quibus eas de carcere redemiſtis, diſponet Deus, ut etiam alii vos liberent. Fortè libenter haberetis, quòd animæ præſtarent deſuper juramentum? nominabo unum, qui nomine illarum dudum juravit; & cui poteſtis inniti ſecuriùs, quàm toti Purgatorio: ipſe Deus eſt, qui juramentum præſtitit coram Eccleſiæ Notario publico, ſignatum à S. Luca
Lucæ 6. 38. Cap. 6. *Eâdem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis. Faciet vobiſcum Deus miſericordiam, ſicuti feciſtis cum mortuis.* Sicut illos pauperes incarceratos ante tempus ex duro illo carcere extraxiſtis, ita & vos extrahet. Vultis caſum?

VIII. Jeremiæ 38. 13. Quia Propheta populo ventura mala prædixerat, principibus à Rege traditus, in lacum mittitur, in quo non erat aqua, ſed lutum: quod audiens Abdemelech, aſſumptis ſecum viris de mandato Regis Sedeciæ, tulit veteres pannos, & antiqua veſtimenta; & ſubmiſit ea ad Jeremiam in lacum; *Et extraxerunt* Jerem. 38. 13.
Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu. Hoc ita placuit Altiſſimo, ut Jeremiæ, adhuc in veſtibulo carceris exiſtenti, dixerit: *Vade, & dic Abdemelech: Hæc* Jerem. 39. 16. 17. 18.
dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam ſermones meos ſuper civitatem hanc; liberabo te in die illa, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas: ſed eruens liberabo te, & gladio non cades; ſed erit tibi anima tua in ſalutem. N.N. quod Jeremias Abdemelech, id ego vobis ex parte animarum, quas ſuffragiis veſtris de lacu Purgatorii extraxiſtis: Quot Sacra in redemptionem earum legi juſſiſtis? Quoties Communicâſtis? Quoties *Officium Defunctorum* perſolviſtis? fortè non libenter diceretis publicè; bene eſt: hoc vobis dico ex parte Dei, quòd omnia Sacra, omnes Communiones, omnes preces, quas fudiſtis, funes ſint, quos ſubmiſiſtis ad eas in lacum Purgatorii, & quibus extraxiſtis eas: quapropter Deus in die illa, quâ vos eidem fortè carceri eritis mancipati, *Eruens liberabit vos, & erit vobis anima veſtra in ſalutem.* Tunc demùm experiemini quàm vera ſint verba Dei Oſeæ
10. 12. *Seminate vobis in juſtitia,* Oſeæ 10.
& metite in ore miſericordiæ: Metite, inquit, imperativè; ut certio-

res vos reddat, quòd ſuperabundanter ſit remuneraturus, quidquid in redemptionem illarum animarum feceritis: & ideò dicit, non ſimpliciter *In miſericordia*; ſed *In ore miſericordiæ*; quia, ut bene Ugo Cardinalis, *Os, plenitudinem ſignificat*: ita Spiritus ſanctus in variis Scripturæ locis: Deuteronomii 20. 13. *Percuties eos in ore gladii*; *Interficies in ore gladii*; id eſt: *Quantum gladius percutere, & occidere valebat.* Similiter: *Metite in ore miſericordiæ*; quia metetis in abundantia, & plenitudine Divinam miſericordiam: omnia, quæ illis feciſtis, cum fœnore recipietis: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*; inquit Salvator veſter Lucæ 6. 38. Ne miremini N. N. ne in ipſis quidem reprobis irremuneratum relinquit Deus, quod defunctis exhibetur. Probo, quod aſſero.

Ugo Card.
Deut. 20. 13.
Verſ. 16.
Lucæ 6. 38.

IX. Gen. 36. 7. Eſau, licèt ob pravos mores à Deo odio habitus, & Divinâ providentiâ, paternâ benedictione, & primogeniturâ privatus, ita tamen à Deo ditatus eſt, ut, mortuo patre ſuo Iſaac, ob nimiam utriuſque opulentiam relictâ terrâ Chanaan, abire debuerit in regionem alteram, & relinquere fratrem ſuum Jacob: quia, ut Sacer Textus teſtatur ℣. 7. *Divites erant valde, & ſimul habitare non poterant; nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.* Quod plus eſt; voluit inſuper Deus, ut generatio ejus deſcriberetur in SS. Paginis: *Hæ ſunt generationes Eſau.* Undè tantæ divitiæ, tanta opulentia inimico Dei? Quomodò Scriptura genealogiam reprobi introducit? Ut nodum hunc ſolveret, non parùm laboravit Abulenſis; ſed rationem tandem aſſecutus eſt attendens ad hæc verba: *Completi ſunt dies Iſaac, centum octoginta annorum; conſumptuſque ætate, mortuus eſt: & ſepelierunt eum Eſau, & Jacob, filii ejus.* Accipite ergò rationem ejus: *Quia ſuprà facta fuerat mentio quod Jacob, & Eſau, ſepelierunt Iſaac, ideò, merito hujus venerationis paternæ, introduxit Scriptura genealogiam Eſau.* Licèt exhæredatus, & primogeniturâ privatus, non minùs tamen pius extitit erga defunctum patrem ſuum, quàm Jacob, hæres ex aſſe: undè, quamquàm inimicus Dei, & reprobus, propter hunc actum pietatis meruit tot temporalibus beari benedictionibus; & inſuper genealogiam ſuam in SS. Paginis deſcribi. Quid ad hoc N. N. mei? Si reprobus, & à Deo odio habitus, propter unicum pietatis actum mortuo patris cadaveri exhibitum, ita præmietur, quid vos manet, qui animas, quæ fortè decem, viginti, triginta, & ultrà annis privari debuiſſent viſione beatificâ, de triſti illo carcere liberâſtis, ſic ut per vos ad aſpectum Dei ſint perductæ? Numquid ſperare poteſtis, quòd Deus rependet centuplo, & quòd nomen veſtrum ſcribetur in libro vitæ abſque longo prævio Purgatorio? Nolo tamdiu expectare; non tantùm poſt hanc vitam præmiabit vos Deus, ſed & in præſenti tam ſpiritualibus, quàm corporalibus benedictionibus beabit vos.

Gen. 36. 7.
Verſ. 1.
Gen. 35. 28. 29
Abulenſis.

X. Lucæ

X. Lucæ 1. 13. Zachariæ, ſtanti ad altare, ut incenſum poneret, Lucæ 1. 13. dicit adſtans ei Angelus: *Exaudita eſt deprecatio tua; & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* Ubi, obſecro, & quando, Deum deprecatus eſt Zacharias, ut uxor ejus filium ei pareret? Idipſum mecum Theophilactus. inquirit Theophilactus: *Quomodò*, inquit, *dixit Angelus: Uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium; cùm pro filio non ſit deprecatus, ſed pro peccatis populi?* Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Ideò dignus erat Zacharias, ut haberet filium, qui clamaret: Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* Orent aliqui, quantum voluerint: petant à Deo bona ſpiritualia, & temporalia: faciant omnia bona, quæ poſſunt: frequentent Sacramenta, faciant exercitia ſpiritualia, jejunent, portent cilicia, dent diſciplinas, faciant opera miſericordiæ, & hæc omnia Deo offerant pro neceſſitate propria: fateor, bene fecerint, & recipient à Deo mercedem ſuam: ſed vos, qui cum Zacharia ſtetiſtis ad altare, & pro animabus incenſum poſuiſtis (de quo Pſalm. Pſalm. 140. 2. 140. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*) vos, inquam, qui Sacra, Communiones, jejunia, diſciplinas, & preces obtuliſtis pro peccatis, non rebellis, ſed à Deo dilecti populi; dignos vos feciſtis, ut Agnus Dei, per earum interceſſionem, tollat peccata veſtra, ditetque vos benedictionibus multis. Non recedamus ab altari. Peto, quid ſibi velit, quòd Sacerdos in S. Canone, in Eccleſia. ſuo poſt Conſecrationem *Memento*, primò pro defunctis oret; deindè pro ſe, & circumſtantibus? *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis:* & poſtquàm parùm iſti commendationi inhæſit, immediatè ſubjungat: *Nobis quòque peccatoribus?* An fortè, quia neceſſitas illarum ardentium animarum major eſt, ideòque neceſſe priùs pro illis, quàm pro nobis orare? An fortè, quia, cùm illud ſacrificium ſit imago Paſſionis Chriſti, qui eſt *Primogenitus mortuorum*, mortui videntur habere majus jus ad illud, quàm vivi, ut ideò primò mortuorum, deindè vivorum fiat commendatio? fateor, rationes hæ ſunt bonæ: at ego genuinam puto, quòd Eccleſia in hoc ſacrificio Divinam bonitatem implorans, arte utatur mirabili, ut faciliùs & ſecuriùs ea, quæ petit, impetret: novit Eccleſia, quàm gratum Deo ſit, orare pro animabus illis ſanctis, ad requiem æternam, & lucem perpetuam anhelantibus: novit, quòd nihil magìs movere poſſit Deum ad miſericordiam, quàm illarum meminiſſe; quòdque non detur tempus magis opportunum orandi pro nobis, aut aliis, quàm poſtquàm oravimus pro defunctis: & hinc Eccleſia primò orat pro defunctis, ut ſic in ſuis ſupplicis divinam faciliùs captet benevolentiam, & ſecuriùs exaudiatur: ideò dicit Sacerdos: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis:* & poſtquàm

 ali-

aliquantulùm oravit, proſequitur: *Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis ut indulgeas, deprecamur:* deindè percutiens pectus, ait: *Nobis quoque peccatoribus, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam, & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus*, &c. Audeo dicere, ad reconciliandum nos cùm Deo, non dari medium efficacius.

XI. Num. 16. 45. Murmurante omni multitudine filiorum Iſraël contra Moyſen, & Aaron; ortâque ſeditione, & tumultu increſcente, fugiunt Moyſes, & Aaron ad tabernaculum fœderis, conſulturi Dominum: quibus Dominus: *Recedite de medio multitudinis, delebo eos.* Et ecce, immiſit Dominus ignem in populum; qui adeò vaſtavit multitudinem ſuo incendio, ut exiguo temporis ſpatio percuſſi ſint quatuordecim millia & ſeptingenti homines: & indubiè ignis devoráſſet omnes, niſi Moyſes compaſſione ductus, tanto malo occurriſſet. Quæritis quomodò ei occurrerit? audite: *Tolle*, inquit Aaroni, *thuribulum; & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper; pergens citò ad populum, ut roges pro eis*, & Deus illis reconcilietur; *jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. Quod cùm feciſſet Aaron, ſtans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus eſt: & plaga ceſſavit.* Notat Abulenſis Quæſt. 30. verba Moyſis: *Pergens citò ad populum, ut roges pro eis*; id eſt, inquit: Non moreris eundo; quia ſi moreris, totus populus peribit priùs; *Modus autem orandi erat, ut Aaron poneret thymiama inter partem populi combuſtam; & inclinans ſe contra illam partem, quæ combuſta erat, oraret Dominum; quia in illo igne comburente videbatur eſſe ſpecialiter Deus: Aaron autem ſtetit inter mortuos, & viventes: id eſt, inter partem combuſtam, & aliam non combuſtam, ut ignis conſumens non tranſiret ad viventes: & plaga ceſſavit; id eſt, ſtetit ille ignis; ſcilicet defecit.* Etiam deſuper audiendus Ugo Cardinalis: Deum, inquit, inter mortuos orat, ut eum placaret, & vivos ſalvaret: *Stans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus eſt, ut retineret proceſſum vindictæ.* Pro mortuis orare, eoſque ad Dei faciem perducere, res tanta eſt, ut non ſolùm ſic placetur offenſus Deus, ſed liberator eorum à Deo ſummè evehatur. Teſtem produco Davidem Regem.

Num. 16. 45. Num. 16. 46. 47. Abulenſis. Ugo Card.

XIII. 2. Reg. 24. David, ob numeratum populum (ut dictum eſt à paucis diebus) à Nathan correptus, ex tribus oblatis plagis peſtem triduanam eligit: quâ in populum ſæviente, jam ſeptuaginta millibus virorum interemptis, orat David Dominum: *Ego ſum, qui peccavi: ego iniquè egi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, contra me manus tua. Et miſertus eſt Dominus ſuper afflictione: & ait Angelo percutienti populum: Sufficit; nunc con-*

2. Reg. 24. 17.

contine manum tuam: neque hìc ſiſtit Dominus; ſed miſſo ad Davidem
℣. 18. Gad Prophetâ, præcipit Regi: *Aſcende, & conſtitue altare Domino.* Hìc totus conſternatus hæret D. Ambroſius, quamquàm plenus Ambroſiâ:
S. Ambroſius. Ecce, inquit: *Qui abſolutione judicabatur indignus, jam dignus invenitur ſacrificio.* Poſtquàm numeratus eſſet populus, percuſſerat David cor ſuum: dixerat Domino: *Peccavi valde in*
℣. 10. *hoc facto*: dixerat pœnitens: *Precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis*: at hæc omnia fruſtra; quia non placabatur Dominus: verùm dum orabat pro mortuis, dicens: *Iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* tunc miſertus eſt Dominus; & ait Angelo percutienti: *Sufficit: nunc contine manum tuam. Et*
℣. 25. *propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſraël.* NN. Quid eſt peccatum, niſi animæ peſtis? Peccatum à peſte nihil differt: quod peſtis corpori, hoc peccatum eſt animæ. Immiſiſtis in animas veſtras hanc peſtem? Vultis ut Dominus
2. Mach. 12. 46. miſereatur veſtri? *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*: hâc peſte correpti, funibus peccatorum conſtringimini; nam ut aſſerit Mellifluus: *Peccator*
S. Bernardus. *funibus peccatorum conſtringitur*: vultis ab hac peſte liberari? ab his vinculis ſolvi? orate pro his incarceratis, & recipiet vos Deus in gratiam, miſertus ſuper afflictione veſtra. Cognovit hanc veritatem S. Bonifacius Martyr; qui, cùm graviter offendiſſet Deum, volens, mediante pœnitentiâ, veniam peccatorum conſequi, judicavit nullum ad hoc remedium dari efficacius, quàm pium ſe præbere erga defunctos: undè dicit de illo Breviarium Romanum, quòd *Pœnitentiæ causâ ſe ad conquirenda, &* Breviar. Rom.
ſepelienda Martyrū corpora contulerit: hoc ſancto & pio opere veniam peccatorum obtinens, vitam æternam conſecutus eſt. Redemptores animarum, qui ſuffragiis veſtris captivas animas redemiſtis, & vincula earum dirupiſtis, jam ego verbum ad vos, dum ex parte illarum iterum iterumque gratias vobis habeo: Confidite firmiter, quòd animæ per vos liberatæ, non deſinent orare Deum, ut diſrumpat vincula, quibus fortè animæ veſtræ conſtringuntur; & pro bonis temporalibus, quæ expendiſtis in redemptionem earum, ditabit vos divitiis ſemper duraturis. Ne infundatè loqui videar,

XIII. Quæro: Cur in S. Euangelio, ubi ne vel apex quidem caret myſterio, unus ex Diſcipulis Jeſu dives dicatur? Quis neſcit, quòd Chriſtus Diſcipulos ſuos ſemper pauperes dici, & eſſe voluerit? & tamen Joſeph ab Arimathæa, unus ex Diſcipulis ejus, dives dicitur
Matt. 27. *Venit homo quidam dives* Matt. 27. 57.
ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe erat Diſcipulus Jeſu. Undè venit, quòd pauperis Magiſtri Diſcipulo titulus divitis detur? Quis eſt, quem lateat, quòd Chriſtus Diſcipulos ſuos non ſolùm pauperes voluerit, ſed & ut ſua venderēt, & pauperibus darent? *Vendite, quæ poſſidetis, &* Lucæ 12. 33.
date pauperibus Lucæ 12. Quomodò ergò hic Joſeph Chriſti Diſcipulus eſſe poterat, & dives? Ecce myſterium: non datur Joſepho titulus divitis, quia multos habebat reditus, nec ob hujus ſeculi vanitatem; ſed

quia de Cruce depoſuerat Corpus Chriſti, & ſepulturæ mandarat; ideò, ob beneficium mortuo præſtitum, *dives* dicitur, inquit Metaphraſtes: *Dives, non tam cenſu, quam ob Chriſti Domini ſepulturam*: non tam divitiis temporalibus, quàm ſpiritualibus, & cœleſtibus *dives*. Audeo dicere, quòd pius, & devotus erga mortuos, quaſi in manu habeat regnum Dei, & de cœlo ſecurus ſit. Iterum in medium prodeat Joſeph ab Arimathæa, à Chriſti ſepultura non *dives* ſolùm dictus, ſed & *Expectans regnum Dei*. Hic Chriſto mortuo, omnem exuens timorem, *Audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus Jeſu*. Non timet ergò Pilatum? Non timet Judæos? petendo enim Corpus Chriſti, Diſcipulum ejus ſe manifeſtabat: non timebat, inquit Rupertus Lib. 3. in Joannem Cap. ult. quia qui defunctis benefacit, non habet, quod timeat: *Cùm beatus iſte Diſcipulus tulit Magiſtri Corpus, rectè Judæorum calumniam non veretur*. Ad propoſitum noſtrum dico ego: Petiit Corpus Jeſu, ut illud ſepeliret, quia *Erat expectans regnum Dei*: pius enim, & devotus erga defunctos, non poteſt non ſperare, & non expectare regnum Dei. Gratulor ergò vobis NN. qui divitiis veſtris temporalibus redemiſtis de carcere Purgatorii captivas animas, quia jam divites facti eſtis, non tam temporalibus, quàm ſpiritualibus divitiis; & quia ſuffragiis veſtris illas ad cœlum perduxiſtis, dici poteſtis: *Expectantes regnum Dei*. Sed ne tamdiu expectetis, non ſolùm rependet vobis Deus quoad animam, non ſolùm benedictiones cœleſtes, ſed & terreſtres recepturi eſtis.

Metaphraſtes

43

Rupertus.

XIV. Dicat mihi aliquis (ſi poteſt) quandonam Deus reddiderit Job omnia duplicia? *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplicia*. Quandonam putatis hoc factum? Nunciatur ei jactura animalium, poſſeſſionum, ædificiorum, ſeptem filiorum, qui, ſeptem inſtar planetarum, ſuam illuſtrabant familiam; ad hæc nuntia non ſolùm non turbabatur, ſed econtrà, gratias agebat Deo: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*. Nec tamen tunc *Addidit Deus Job omnia duplicia*. De ſublimi ſtatu Regio in abyſſum miſeriarum præcipitatur, non domo, ſed ſtabulo, non lecto, ſed ſolo fœtido ſibi ſterquilinio relicto; à capite ad calcem percutitur ulcere peſſimo; ab omnibus derelinquitur, & invicto animo adhuc orat, ut Deus graviora ei immitteret: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat*. Et tamen neque tunc *Addidit Dominus omnia, quæ fuerant Job, duplicia*. Tradit eum Dominus in manus ſatanæ: *Ecce in manu tua eſt*: ô duras manus! nihilominùs *In omnibus his non peccavit Job*. Et tamen nondùm movetur Dominus, ut duplicatâ mercede hanc fidelitatem recognoſcat. Tandem longo pòſt tempore, videns Deum iratum contra tres amicos ſuos, Eliphaz Themanitē, & Baldad Suhiten, & Sophar Naamathiten, ut à plagis divinis eos liberet, preces ad Deum fundit: quid factum? *Cum oraret ille pro amicis ſuis, addidit Dominus omnia quæcumq; fuerant Iob, duplicia*. Jam pro me loquatur D. Gregorius Eccleſiæ

Iob 42. 10.

Iob 1. 21.

Iob 6. 10.

Iob 1. 12.

Iob 42. 10.

S. Gregorius. cleſiæ Doctor ibi: *Pro ſemetipſo Job tantò citiùs meruit exaudiri, quantò devotiùs pro aliis intercessit*: ſubjungit Gregorius: *Plùs enim pro ſe valere preces ſuas efficit, qui has & aliis impendit*: qui orat pro peccatis alienis, magìs ſe dignum reddit, ut ſibi remittantur propria, & reduplicentur dona Dei. Redemptores animarum, qui de carcere Purgatorii tot animas liberâſtis, undè in familia veſtra tot benedictiones? undè tantæ divitiæ? Solebatis eſſe de communi plebe, modò magni facti eſtis, ab omnibus honorati, & promoti, undè vobis hæc omnia? *Addidit Dominus vobis omnia duplicia*, quia orâſtis, & ſuffragiis veſtris captivas animas redemiſtis: *Addidit Dominus vobis omnia duplicia. Plùs enim pro ſe valere preces ſuas efficit, qui has & aliis impendit.* Illa Miſſa hebdomadalis, quam legi curatis; auditio Sacri, cui intereſtis; Communiones veſtræ menſtruæ; eleëmoſynæ, quas indies datis in refrigerium animarum, illa, illa ſunt, quæ animas per iſta liberatas inducunt ad orandum Deum, ut vobis addat omnia duplicia, & ad majora exaltet. Dicite mihi, quandonam David coronatus ſit Rex ſuper Iſraël?

XV. 2. Regum 1. Auditâ morte Saulis, & Jonathæ, *Planxit David*
2. Reg. 1. 17. *planctum hujuſcemodi ſuper Saül, & ſuper Jonatham filium ejus*: adeò placuit Deo hoc factum, ut ſtatim Scriptura ſubjungat Cap. 2. *Ait Domi-*
2. Reg. 2. 1. *nus ad eum: Aſcende: veneruntque*
✝. 4. *viri Judæ, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda.* Abul.
Abulenſis. Quæſt. 1. *Poſt hæc conſuluit David Dominum; id eſt, poſtquàm egit planctum pro Saüle, & Jonatha, conſuluit Dominum ſup.r ſtatu ſuo.* Devotio erga defunctos, promovit eum ad coronam: ut videant omnes, & diſcant, qui dignitates & honores affectant, quâ viâ valeant ad eos pervenire.

XVI. 2. Machab. 15. Judas ab hoſtibus preſſus, ſcilicet à Nicanore, confidebat ſemper auxilium ſibi à Deo affuturum: undè hortabatur ſuos, ne formidarent ad adventum nationum, ſed in mente haberent adjutoria ſibi facta de cœlo, & nunc ſperarent, ab Omnipotente ſibi affuturam victoriam. Apparent illi animæ Oniæ ſummi Sacerdotis, & Jeremiæ Prophetæ, leguntque extendiſſe Jeremiam dexteram, & dediſſe Judæ gladium aureum, ac dixiſſe: *Accipe ſanctum gladium, munus à Deo,* 2. Mach. 15.
in quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël: hoc gladio armatus, cum mille viris delevit totum exercitum inimicum, triginta ſcilicet quinque millia militum. Res mira! Habuerat Iſraël tot generoſos Duces, utpotè Moyſen, Davidem, Joſue, & alios; nulli tamen horum legitur cœlitùs gladius datus. Quid egit Judas, quo tantum à Deo favorem impetravit? Quomodò promeritus eſt, quòd duæ illæ animæ ſanctæ ei in auxilium venerint? Legite Cap. 12 ejuſdem Libri, & invenietis, quòd Judas pro animabus occiſorum militum juſſerit fieri ſacrificia, in ſubſidium illorum: *Duodecim millia dragmas ar-* 2 Mach 12.
genti miſit Ieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium. Hæ duæ ſanctæ animæ, nomine omnium animarum ſacrificiis iſtis liberatarum, veniebant ei in auxilium, &

facie-

faciebant illum victorem de inimicis ſuis. Ne hoc videatur adeò paradoxum.

XVII. Euſebius Dux Sardiniæ, devotioni, & ſubſidio animarum adeò erat addictus, ut omnes reditus, & proventus cujuſdam civitatis expenderet in ſuffragia pro defunctis: contigit, quòd Aſtorgius Siciliæ Dux illam civitatem interciperet: quod graviter ſentiens Euſebius, reſolvit eandem demum obſidere, etiam cum vitæ periculo: in campum ergò deſcendens, vidit exercitum 40000. militum in albis, venientem in ſuccurſum ejus: obſtupefactus ob has auxiliares copias de cœlo miſſas, aggreditur totis viribus inimicum: qui brevì deficiens, coactus eſt inire pacem. Tum Euſebium acceſſit albi illius exercitûs Dux, & ſignificavit illa 40000. militum, eſſe animas, per ipſum è Purgatorio liberatas; quòdque in ſignum gratitudinis veniſſent illi in auxilium: monens eum, ut eximiam ſuam continuaret devotionem. Videte jam, videte redemptores animarum, quales benedictiones vos maneant; neque temporales tantùm, ſed ſpirituales, & cœleſtes. Audet vos Propheta Regius ex nunc Beatos dicere.

Pſal. 40. 2. XVIII. Pſal. 40. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*: non dicit: Beatus, qui *audit*, aut *qui videt*; ſed, *qui intelligit*. Vera pietas, vera miſericordia eſt, quæ intelligit; non, quæ videt: illa nempè, quæ exhibetur mortuis, animabus captivis, quæ nec videntur, nec audiuntur: ſecundùm illud D. Ambroſii: *Videndus eſt ille, qui te non videt: requirendus eſt ille, qui erubeſcit videri*: S. Ambroſ. illa eſt vera pietas, vera miſericordia; ideòque *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*: beatus ille, qui in carcerem Purgatorii deſcendit, & oculis intellectûs harum captivarum miſerias intuens, illis compatitur, atque auxiliatrices præbet manus, & eas de carcere extrahit: *Beatus, qui intelligit*: felix civitas, in qua viget devotio erga defunctos: felix illa familia, in qua vivit memoria mortuorum: felix ille, qui poſuit intellectum ad liberandas captivas animas; quia, præterquàm quòd faciat actionem divinam, & incomparabiliter majorem, quàm naturaliter facere poſſit homo, tot ſibi comparat mancipia, quot de Purgatorii carcere animas liberat. Si operâ, aut interceſſione veſtrâ liberetur quis ex duro, & multorum annorum carcere, trahis poſt te catenas obligationis, in quas eum conjeciſti: vita, quæ ei ſupereſt, eſt veſtra, & publicè, & privatim: confitetur ſe mancipium veſtrum. Et putatis illas nobiliſſimas, & gratiſſimas animas, ſuffragiis veſtris ex igneo Purgatorii carcere liberatas, memores beneficii immortalis, non agnituras æternam ſuam erga vos obligationem in cœlo? æternæ Veritati fidem adhibete: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam* Matth. 5. 6. *conſequentur. In die mala liberabit eum* Pſalm 40. 2. *Dominus*: liberabit vos in ultimo vitæ die, quo animæ veſtræ ab inimicis infernalibus maximè impetentur; à qua victoria, tota dependet ſalus: *In die mala* Purgatorii, per earum & viventium interceſſionem,

nem, ſicut illas de carcere liberâſtis, ita liberabit vos Dominus. NN. mei, ut hæc verificentur in nobis, dicamus omnes pro adhuc degentibus in carcere: *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. Fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace. Amen.*

SERMO DECIMUS-QUARTUS

DE CARCERE PURGATORII.

Narravit, quomodò Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nunciate Jacobo, & fratribus, hæc. Act. 12.

Animæ adhuc in carcere Purgatorii detentæ, de tribus commonefaciunt viventes: Primò, ut continuent ſua ſuffragia, quatenùs & ipſæ liberentur: Secundò, quòd ideò juſto Dei judicio oblivioni ſint traditæ, quia, dum viverent, erga defunctos nullâ commiſeratione ducebantur: Tertiò, ut ipſi modò animabus ſuis conſulant, redimendo tempus.

I. NN. Iterum ex parte animarum, ſuffragiis veſtris de Purgatorio ereptarum, gratias habeo, vobiſque gratulor: quia
Ruht 1. 8. *Faciet vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis*: quidquid in redemptionem earum impendiſtis, illud poſt mortem centupliciter invenietis adauctum: iiſdem mediis, quibus liberâſtis eas de duro Purgatorii carcere, liberabimini & vos: diſponet Deus, ut pro animabus veſtris tot Sacra, tot Communiones, tot eleëmoſynæ fiant, quot in earum redemptionem feciſtis: *Eâdem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis.*
Lucæ 6. 38. Non minùs vobis dictum eſt à Deo, quàm Abdemelech, qui Jeremiam extraxerat de lacu: *Eruens liberabo te; & erit tibi anima tua in ſalutem:*
Ierem. 39. 16. ſeminâſtis in juſtitia, metetis in ore miſericordiæ, hoc eſt, in abundantia, in plenitudine miſericordiarum Dei. Quidni illam plenitudinem ſperetis poſt tot actus excellentiſſimæ charitatis, ſi Deus ipſis etiam reprobis nihil irremuneratum relinquat, ob obſequia defunctis præſtita? Si Eſau, à patre exhæredatum, & primogeniturâ exutum, quia mortuum patrem ſuum cum Jacob ſepellerat, Deus adeò benedixit, ut, præ multitudine gregum relictâ terrâ Chanaan, oportuerit eum in regionem alteram abire, imò ut generatio ejuſ, ac poſterorum in ſacris Paginis deſcriberetur: ſi inimicus Dei, & reprobus, propter hunc actum pietatis tot meruit benedictionibus beari, quales benedictio-

dictiones vos manent, qui tot animas, alioquin ad annos multos viſione beatificâ privandas, ad cœlum perduxiſtis? Redemptores animarum, audeo ex nunc cum Davide
Pſal. 40. 2. Beatos vos dicere: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* O vos beatos, qui, ad liberandas captivas animas de carcere Purgatorii, mentis oculis miſerias earum intuentes, illas indè extraxiſtis! *In die mala liberabit* vos *Dominus*; in ultimo vitæ die, quando in vos ſæviet inimicus, ſciens quia modicum tempus habet; in die mala Purgatorii, liberabit vos Dominus: qui dixit:
Matt. 5. *Beati Miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Cùm ex parte animarum, tamquàm earum legatus, in hoc ultimo Sermone multa vobis habeam dicenda, imploremus priùs opem ejus, quæ juxta D. Bonaven-
S. Bonav. turam in Spec. Cap. 3. *Reverâ Domina eſt cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ave Maria.*

II. Petrus, qui è carcere liberatus venerat ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes, ab ancilla oſtiaria, nomine Rhode, introductus, actis indubiè gratiis, narravit, quomodò Dominus eduxiſſet eum de carcere, commendans, & dicens eis, ut omnia hæc nunciarent Jacobo, & aliis fra-
Act. 12. tribus: *Dixitque: Nunciate Jacobo, & fratribus, hæc.* NN. mei, ſi juxta Salomonem Prov. 25. 13. *Legatus*
Prov. 25. 13. *fidelis ei, qui miſit illum, animam ipſius requieſcere faciet*: ut commiſsâ mihi legatione fideliter apud vos perfungar, multa vobis habeo exponenda. Heri ex parte animarum è carcere liberatarum vobis gratias egi: & dum hodie iterum in ſpiritu ſtarem ad portam carceris, rogabant me animæ liberatæ, ut dicerem vobis, quomodò Dominus eduxiſſet eas de carcere; & narrarem civitati N. hæc. Animæ verò à Divina juſtitia adhuc in carcere detentæ, ut eidem Communitati tria exponerem: Primò, continuationem ſuffragiorum, ut & ipſæ liberentur: Secundò, quòd juſto Dei judicio in duro illo carcere oblivioni ſint traditæ, eò quòd, dum in vivis eſſent, nullâ erga defunctos fuerint compaſſione ductæ: Tertiò, ut rogarem vos, ut, dum adhuc tempus eſt, conſulatis animabus veſtris, *Redimentes tempus.* Deberem deſuper tres Ephes. 5. 16. Sermones habere; ſed, ne longior ſim, in uno ſic tres complectar, ut pro tribus ſufficientem materiam ſim daturus. Ex parte animarum requiro attentionem.

III. Monitum ſalutare dat nobis Spiritus S. Eccli. 31. *In omnibus operibus tuis eſto velox.* Si ullum opus Eccli. 31. 27. bonum velocitatem requirat, hoc eſt; captivas animas de Purgatorii carcere redimere; ideò rectè Joannes Gerſon: *Hæc oratio eſt majoris* Joan. Gerſon. *neceſſitatis, & feſtinationis: inquantùm hi, qui in Purgatorio ſunt, de facto punitionem recipiunt*: quia animæ in igne jacent, ideò feſtinatione opus: undè iterum Spiritus ſanctus Prov. 6. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum* Prov. 6. 3. *tuum; ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Amici iſti, animæ captivæ ſunt, requirentes à vobis feſtinum refrigerium, feſtinam de carcere ſuo redemptionem:

ita

ita illas loquentes inducit Ugo Flor. Serm. 2. de Animab. *Diſcurre per collegia Sanctorum, ab eis petens liberationem fidelium defunctorum: feſtina, ne morte praeoccupatus, gemas, & defleas te fuiſſe negligentem: ſuſcita amicum tuum; hoc eſt, fidelem, in hoc pondere pœnarum quaſi ſepultum.* Diſcite hanc feſtinationem à Magdalena Chriſti Diſcipula: Lucæ 7. Chriſto in domo Phariſæi recumbente, peccatorum ſuorum pœnitens, *Attulit alabaſtrum unguenti*; lacrymis pedes ejus rigat, capillis tergit, & ungit unguento. Applaudit Salvator, & approbat factum. Marci 14. ſciens, quòd accubuiſſet in domo Simonis Leproſi, *Venit mulier, habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi; & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus.* Chriſtus, viſo Magdalenæ facto, laudat eam, & extollit, dicens: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Quid eſt, quòd prima Magdalenæ unctio non dicatur per totum mundum publicanda, ſicut ſecunda? quia hæc dirigebatur in bonum defunctorum: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Quæro inſuper: Cur ungens Chriſti pedes in domo Phariſæi, non fregerit alabaſtrum, ſicut in domo Simonis Leproſi; & illo fracto effuderit unguentum ſuper caput ejus? Numquid poterat ſuper caput Jeſu unguentum effundi illæſo alabaſtro? Ungebat Magdalena Chriſtum in memoriam ſepulturæ ejus; & ideò volebat cum feſtinatione ungere caput ejus: *Dicit, quòd vas comminuerit*, inquit Eutimius in Cap. 26. Matt. *præ feſtinatione*: impatiens moræ, ut guttatim per os alabaſtri unguentum effunderet, *Fracto alabaſtro totum effudit ſuper caput ejus*; ideò, hanc feſtinationem Chriſtus præmians, voluit illam per totum mundum prædicari. Et eandem ob cauſam poſt Reſurrectionem ſe Magdalenæ ante omnes Apoſtolos manifeſtavit, quia ſummo mane venit ungere corpus ejus; inquit Eutimius: *Ante omnes vidit Dominum; & hoc in mercedem ſuæ feſtinationis.* Hanc feſtinationem hodie à vobis exigunt adhuc patientes animæ; quam (ſi ullus) vos docet Salvator ipſe.

Marginalia: Ugo Flor. — Lucæ 7. 38. — Marci 14. 3. — Matt. 26. 13. — ꝟ. 12. — Eutimius. — Idem.

IV. Matt. 9. Venit perſonaliter ad Chriſtum Archiſynagogus, ſupplicans illum: *Domine, filia mea modò defuncta eſt; ſed veni, & impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Et ecce ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & Diſcipuli ejus.* Res mira! Loquebatur tunc temporis Salvator cum Diſcipulis Præcurſoris ſui Joannis, de negotiis ſummi momenti; & ut audit ex Archiſynagogo mortem filiæ ſuæ, ipſis relictis, mox comitatus eſt Principem: feſtinationem docens, ubi de mortuis ſuccurrendis agitur: *Mox ut rogatus eſt*, inquit D. Remigius, *rogantem cœpit ſequi*: magìs ad rem noſtram S. P. Chryſologus: *Suſcitaverat Dominus & filiam Jairi Principis Synagogæ, ſed adhuc funere calente.* Notate: *Adhuc funere calente*; hoc eſt, tantâ feſtinatione, ut defuncta adhuc eſſet calida; vix mortua. NN. dum id animæ adhuc in carcere Purgatorii detentæ à vobis exigunt, ſi boni Chriſtiani eſſetis, *Adhuc funere calente* ſuffragiis veſtris eas à captivitate redimere oportuiſſet; & jam

Marginalia: Matt. 9. — S. Remigius. — S. Chryſol.

anni ſunt, decem, viginti, triginta (ſi non plures) quòd non *Adhuc funere* aut corpore *calente*, ſed animâ calente, veriùs dixero, *ardente*, veſtram implorent opem, & feſtinam redemptionem; & nemo feſtinat, ubi tamen Deus ipſe hanc feſtinationem à vobis jam dudum figuraliter exegit.

V. Exodi 3 Ait Dominus Moyſi: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto; deſcendi, ut liberem eum, & educam de terra illa, in terram bonam; in terram, quæ fluit lacte & melle. Clamor filiorum Iſraël venit ad me, vidique afflictionem eorum.* Veni, & mittam te ad Pharaonem. Accingit ſe Moyſes itineri, valedicens priùs Jethro ſocero ſuo: cui iterum Dominus: *Vade, & revertere in Ægyptum.* Quid agis Moyſes? Indilatè deſcende in Ægyptum. Jam quæro: Si Moyſes itineri accinctus ſocero valedicebat: *Vadam, & revertar ad fratres meos in Ægyptum*, ut liberem eos de miſera captivitate: quid eſt, quòd Deus iterum dicat ei: *Vade, & revertere in Ægyptum?* Reſpondet ad hoc Abulenſis in Cap. 4. Exodi, quòd quidem mens Moyſis fuerit, in Ægyptum deſcendere, ut fratres ſuos redimeret; at quòd conducere voluerit uxorem cum liberis, totamque familiam, necnon diebus aliquòt apud ſocerum demorari: *Voluit*, inquit Abulenſis, *Jethro acquieſcere aliquibus diebus, cum eis* convivia celebrando. *Et quando vidit Moyſen in his aliqualiter morantem, admonuit eum, in Ægyptum redire.* Quaſi diceret: Moyſes, cur moras trahis? citò citò, greſſus accelera: *Vade, revertere in Ægyptum*; non enim fas eſt, te cum amicis deliciari, & fratres tuos, tuum implorantes auxilium, ſub dura ſervitute, & captivitate ingemiſcere. NN. animæ defunctorum (ſignanter ab omnibus derelictæ) in duriſſimo carcere conſtitutæ, veſtrum per me implorant auxilium, ut ſuffragiis veſtris illas de triſti illa captivitate redimatis; Sacra aliquot celebrari curetis; ſæpiùs pro eis Communicetis, aut ſaltem eleëmoſynas detis: & reſpondetis: Non vacat modò; faciemus poſteà; habeant patientiam. Habeant patientiam? Jacent animæ in flammis, in igneo carcere, & dicitis: Habeant patientiam? An creditis animas Purgatorii in ſuaviſſimo balneo verſari? Putatis eas ſupra roſas, & flores ambulare? An perſuadetis vobis, quòd lectus earum, ſeu ſtorea, aut matra, ex plumis ſint perdicum? Non jacent in balneis, ſed in mari igneo; ambulant ſupra carbones ardentes; lectus earum, caldarium eſt picis liquefactæ, aut craticula ignea: & diciris crudeles: Expectent; habeant patientiam? Si in ignem caderetis, & opem aliorum inclamantibus vobis reſpohderetur: Expectate, habete tantiſper patientiam: quid diceretis? indubiè clamantes diceretis: Feſtinate, feſtinate: non vacat in igne expectare. NN. hi ſunt ſermones, quos per me ad vos dirigunt adhuc captivæ animæ: iiſdem verbis vos interpellant, quibus olim anguſtiati filii Iſraël Samuelem: 1. Reg 7.8. *Non ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos* Non ſufficiat pietati veſtræ, ſemel, bis, decies, vigeſies pro redemptione noſtra oráſſe;

Exod. 3 7.8. Exod. 4.19. ℣. 18. Abulenſis. 1. Reg. 7. 8.

oráſſe; ſed non ceſſetis: *Non ceſſetis pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum*; Deum in eo imitantes, *Qui*, juxta Philonem Hebræum, *non aliquando largitur, & aliquando non; ſed ſemper, & continuò: qui ſine intermiſſione benefacit: qui dona donis cumulare continuat.* Non aliquando tantùm preces pro nobis fundatis, & aliquando non; ſed ſemper, & continuò: ſine intermiſſione benefacite nobis: dona donis, Sacra Sacris, Communiones Communionibus, eleëmoſynas eleëmoſynis cumulare continuate. Utinam in qualitate legati animarum, hoc impetrem, ut de vobis verificetur, quod de dilecta Sponſa ſua dicit Dilectus: Philo Hebræus.

VI. Cant. 5. 11. Laudes ejus deprædicans, & comas ejus extollens, ait: *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum; nigræ, quaſi corvus.* Scio ex Interpretibus, Sponſum his verbis declarare, omnes capillos Sponſæ ſuæ, id eſt, omnes cogitationes ejus, fuiſſe nobiliſſimas palmas, & trophæa: triumphabat in illis rara modeſtia, & honeſtas, zelus ardens, profunda humilitas, & charitas: *Sicut elatæ palmarum*: benè; ſed non capio, quomodò cæſaries hæc, & Sponſæ comæ, corvis comparentur: *Nigræ, quaſi corvus*: Comæ, quæ ſuccino ſolent, aut auro optimo comparari; comæ, capitis ditiſſimum ornamentum; & illas corvis aſſimilare? Quid, obſecro, pulchritudinis, quid decoris in corvis eſt? S. Paulinus pandit myſterium: duos corvos habemus in SS. Paginis: unum Gen. 8. 7. à Noë de arca emiſſum; qui non eſt reverſus: alterum 3. Reg. 17. qui famelicum, & ſolitarium ELIAM pavit: *Bonus ille corvus*, inquit S. Pater; *non ille, ad arcam revertendi immemor; ſed ille, paſcendi Prophetæ memor.* De ſecundo corvo loquitur Sponſus, innuens omnes cogitationes Sponſæ eſſe, pauperibus ſubvenire, & eſurientes, ut ELIÆ corvus fecit, cibare: corvus ille *Deferebat ei panem, & carnes, manè; ſimiliter panem, & carnes, veſperi*: juxta illud Eccleſ. 11. 4. *Manè ſemina ſemen tuum; & veſpere non ceſſet manus tua. Bonus ille corvus.* N. N. date mihi, ſi poteſtis, pauperiores, magis famelicos, magis derelictos quam ſint miſeri captivi, pro quibus ſupplico: non, ELIÆ inſtar, in curru igneo, nec equis igneis rapiuntur in cœlum; ſed in flammis exuruntur. Sanctiſſimi Patris mei corvum imitemini: deferte eis panem, & carnes, manè; ſimiliter panem, & carnes, veſperi: non ſufficiat vobis unum opus bonum; *Dona donis cumulate*: offerte eis hodie Miſſam, cras alteram: hodie *Veſperas Defunctorum*, cras eleëmoſynam: hodie Indulgentias, cras eadem, aut alia ſuffragia: offerte manè, offerte veſpere: numquàm ceſſet manus veſtra: *Dona donis cumulate*: quantumcumque eis dederitis, numquam ſatis dederitis. Rem miram narro.

Cant. 5. 11. S. Paulinus. 3. Reg. 17. 6. Eccle. 11 4.

VII. Joannis 19. 39. Cùm mortuum Chriſti Corpus tradendum eſſet ſepulturæ, venit Nicodemus, *Ferens mixturam myrrhæ, & Aloës, quaſi libras centum*; ad condien- Joan 19. 39.

dum hoc ſacratiſſimum Corpus. Notant communiter Interpretes, hunc condiendi modum inter Hebræos ſolummodò viris nobiliſſimis, ac Principibus fuiſſe familiarem; ideòque hæc condimenta odorifera, non fuiſſe communia, ſed pretioſiſſima, & exquiſitiſſima; & quidem in notabili quantitate. Ad quid pro Chriſti Corpore tot expenſæ contra corruptionem? Erant hæc ſanctiſſima & Divina

Pſalm. 15. 10. membra incorruptibilia: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: deinde, elegerat Chriſtus, dum viveret, ſemper omnia vilia: pauper naſcitur, inquit Theodoretus;

Theodoretus. *Pauperculam elegit Matrem; omnia mediocria, & plurimùm obſcura*: cur modò extincto Corpori ſuo tantum voluit honorem exhiberi, ut more Principum condiretur, & ſepeliretur? Cur permiſit, ut ſuper mortua membra ejus tanta, & tam pretioſa aromata effunderentur: *Libras centum*? Ut quid perditio hæc? Numquid paucæ libræ ſufficiebant? Qui pauperrimè vixit, mortuus cur adeò magnificus? Ut hinc diſcant fideles, vivis egenis qualemcumque unctionem, libras aliquot, ſufficere; defunctos

S. Ambroſius. autem *Libras centum* requirere. *Neſcit virtus menſuram gratiæ*, inquit D. Ambroſius in Lucam: charitas erga defunctos cuncta effundat, cuncta diſſipet. Ponderemus iterum iteratam Magdalenæ unctionem.

VIII. Marci 14. 3. Recumbente Jeſu in domo Simonis Leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens a-

Marci 14. 3. labaſtrum unguenti pretioſi; & *Effudit ſuper caput ejus*: Judas proditor hoc videns, indignabundus ait: Ut quid perditio hæc? potuit enim venundari multò, & dari pauperibus: cui Jeſus: Ut quid moleſti eſtis huic mulieri? opus bonum operata eſt in me: *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*. Verſ. 8. Hanc unctionem ponderans Eutimius, ait: *Quia futurum erat, ut hæc mulier Corpus Domini vellet perungere, nec tamen poſſet, Divinâ providentiâ factum eſt, ut vivum Domini Corpus perungeret.* Eutimius. Siſtite hic tantiſper N. N. Marci 16. 1. Mortuo jam Salvatore, & ſepulto, cùm veniſſet Sabbatum, Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata: quid cum illis facturæ? *Ut venientes ungerent Jeſum.* Marc. 16. 1. Quid agis Magdalena? Venis, ut Jeſum ungas? idipſum anticipativè feciſti in domo Simonis Leproſi; & Chriſtus ipſe in laudem tuam dixit publicè: *Prævenit ungere corpus meum*: cur igitur unctura venis? Semel tantùm ungi ſolent mortuorum cadavera; ſufficiat ergò tibi, ſemel unxiſſe. Aliundè, ſcias Nicodemum idipſum feciſſe, & quidem expendiſſe *Libras centum*: ad Joan. 19. 39. quid ergo unctiones tuæ? Sinite me, inquit Magdalena: agitur de obſequio mortuis exhibendo: ſemel unxiſſe mortuos, non ſufficit; ſæpiùs ungendi ſunt, & viſitandi: dona donis pro mortuis accumulanda ſunt. Has iteratas unctiones à vobis exigunt, N. N. mei, adhuc captivæ animæ: unxiſtis ſemel animas derelictas, unguento pretioſo Corporis & Sanguinis Dominici?

ei? Quis novit, an unica unctio ſufficiat eis in redemptionem? Quis ſcit, an Sanguis ille pretioſus flammas earum extinxerit? unxiſtis hodie, etiam cras ungite: *Manè ſemina, veſperi non ceſſet manus tua. Dona donis accumula*: hoc exigunt à vobis. Non creditis? Credite S. Malachiæ, idipſum in ſe experto. Celebraverat hic S. Pontifex multis diebus, multaſque fervidas preces fuderat in refrigerium animæ ſororis ſuæ defunctæ; dum illam certò credebat de Purgatorii carcere liberatam, ecce apparuit quâdam nocte ſancto Fratri ſuo, lacrymis plena, quaſi illi improperans: Malachia, deſinis ungere animam meam unguento mihi deſideratiſſimo? flammæ, quibus circumdor, & igneæ lacrymæ, quas fundo, ſatis indicant in quo ſtatu adhuc verſer: Quæ tibi certitudo erat, quòd ſacrificia, preces, & lacrymæ tuæ redemiſſent me de duro illo carcere? Scias, quòd pro nobis captivis oporteat orare ſemper; nova accumulare ſacrificia; *Sine intermiſſione dona donis accumulando.* Quod hæc anima Malachiæ, hoc vobis animæ maximè derelictæ, ut pro eis dona donis accumuletis; imò licèt omnia opera veſtra bona illis applicaretis.

Eccli, 11. 4.

IX. D. Dionyſius Carthuſ. manifeſtam facit hanc veritatem in S. V. Gertrude. Impenderat ipſa ſe, totâ vitâ ſuffragando defunctis incarceratis: morti proxima, timore magno, & tremore corripitur, quòd duriſſimum eam maneret Purgatorium, cùm, ſeipsâ quaſi relictâ, omnia opera ſua bona obtuliſſet Deo in redemptionem animarum. Noluit dilectus Sponſus diu in tanta afflictione relinquere dilectam Sponſam ſuam; unde apparet illi, & replens eam conſolatione, ait: Quid times, Dilecta? Putas te nihil boni operatam pro te, eò quòd omnia opera tua obtuleris mihi in redemptionem animarum? dimitte timorem; promitto tibi, quòd, ſatisfaciendo pro miſeris captivis, qui non erant ſolvendo, tantò magis ſatisfeceris pro te: acceleràſti illis vitam æternam, & ego illam modò do tibi: per hunc actum charitatis tantum tibi bonum conciliàſti, ut te æternùm beatam reddam. Et his dictis moriens, evolabat anima ejus ad gloriam cœleſtem. Idipſum contigit cuidam S. Patri: exceperat ille confeſſionem moribundi, horrendis peccatis gravati, & de ſua ſalute quodammodò deſperantis; quem ut animaret, in ſpiritu humilitatis interrogat: Quid ſi haberes tot annos vitæ pœnitentialis, quot ego duxi; timereſne mori? Non, inquit infirmus: Non? Ego, inquit, dono gratuito transfero in te omnia merita mea, omnes pœnitentias meas, omnes labores, & fatigationes meas: morere contentus: infirmus, oſculans manum ejus, acceptavit donum, & moriebatur contentiſſimus. Ad cellam redit ſenex, ſed ingemiſcens, eò quòd tot annorum meritis ſe ſpoliàſſet. Quid contigit? Apparet ei defunctus, gratias agens de pretioſo theſauro, vi cujus erat in Paradiſo; certioremque reddit ſenem, quòd

D. Dionyſius Cart.

quòd nihil perdidiſſet, omnia ſua merita alteri dando: at econtrà, duplum lucratus eſſet in præmium tantæ charitatis. Sic eſt N.N. quidquid animabus illis præſtiteritis, non tam illis, quàm vobis feceritis; quantumcumque in earum redemptionem expenderitis, nihil perdetis, ſed duplum lucrabimini: quidquid enim in illas effunditur, non perditur, ſed ſervatur: juxta illud Salvatoris, Joan. 12. 8. de effuſo Magdalenæ unguento pretioſo
Joan. 12. 8. loquentis: *Sine illam, ut in diem*
Ugo Card. *ſepulturæ meæ ſervet illud*; *id eſt*, inquit Ugo Card. *Effundat, quod eſt ſervare.* Effundere pro illis, & conſervare, eadem ſunt. Aurum, & argentum pro eis effunditis? non effunditis, ſed conſervatis. Probo, quod aſſero.

X. 4. Reg. 4. 1. Pauper quædam, & afflicta vidua, gravata debitis, recurſum habet ad Prophetam noſtrum Eliſeum: cui illa:
4. Reg. 4. 1. *Vir meus mortuus eſt, & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi.* Poterat certè tunc Eliſeus variis ei modis ſuccurrere: at ille illicò petit ab ea, an nihil haberet in domo ſua? quæ
Verſ. 2. reſpondit: *Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, niſi parùm*
Verſ. 3. *olei, quo ungar*: cui ait: *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca*; & ingredere, & claude oſtium tuum: & cùm intrinſecùs fueris tu, & filii tui, mitte indè in omnia vaſa hæc: & cùm plena fuerint, tolles. Cùm autem plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas; qui cùm reſpondiſſet: Non habeo;

ſtetit oleum: ſicque multiplicato oleo ſolvit debita: *Vade, vende oleum, & redde creditori tuo.* Dum Verſ. 7. mulieri oleum deficit, creſcit debitum; dum creſcit oleum, debitum perit. Conſiderate, Fratres, inquit M. P. Auguſtinus Serm. 206. de Tempore: *Defecit oleum, & debitum crevit; crevit oleum, & periit* S. Auguſtinus *debitum. In oleo, miſericordia intelligitur.* Animæ captivæ, debitrices Deo, in carcere detinentur, quia pauperes meritis, operibus bonis, & debitâ pœnitentiâ, non ſunt ſolvendo Divinæ juſtitiæ: *Defecit oleum, & ideò crevit debitum.* Durante hâc vitâ, inquit idem Auguſtinus Serm. 30. de Verbis Domini: *Mendicat anima: fac eleëmoſynam animæ tuæ. Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* S. Auguſtinus Mendicabant animæ durante hâc vitâ obſervantiam mandatorum Dei; mendicabant pœnitentiam pro peccatis, opera pietatis, & exercitia virtutum; ſed non attendentes ad debitum, *Defecit oleum*: quinimò, antequàm morerentur, dum condebant teſtamentum, ſpretâ internâ hâc inſpiratione: *Fac eleëmoſynam animæ tuæ*: fac pia legata, Sacra, &c. *Quoniam eleëmoſyna ab omni pecca-* Tobiæ 4. 11. *to liberat; & non patietur animam ire in tenebras*: non fecerunt miſericordiam animabus ſuis; & ideò *Crevit debitum.* Imò quod plus eſt, *Defecit oleum*; quia hæredes, conſanguinei, & amici eorum nullo eis ſuffragio nunc ſubveniunt. Illa eſt ratio, ob quam adhuc in carcere detinentur. N. N. mei, pauperes hæ debitrices, à ſuis derelictæ, pietatem veſtram ſupplicant, ut eis de

de oleo veſtro ſubveniatis, quo debita ſua ſolvant: ſi dicatis: *Non habeo quidquam in domo mea, niſi parum olei*; ego tamquàm filius Prophetarum, nomine earum vos rogo, ut de oleo veſtro mittatis in vaſa hæc, quæ in carcere Purgatorii, non circulis ligneis, ſed igneis jacent colligatæ, donec mundentur, & ex multiplicato oleo debita ſua ſolverint: idipſum vobis promitto, quod S. P. M. ELIAS
3. Reg. 24. mulieri Sareptanæ: *Lecythus olei non minuetur.* Audiendus hic M. P. Auguſtinus Serm 206. de Temp.
S. Auguſtinus. *Quamdiu vidua illa oleum in vaſculo proprio habuit, nec ſibi ſufficiebat, nec debitum reddere poterat: cùm verò in alienis vaſculis, id eſt, omnibus vicinis, & propinquis ... cœperit oleum charitatis infundere, tunc & ſibi ſufficere, & ab omnibus ſe debitis poterit liberare.* Contraxiſtis & vos N. N. cum Deo debita, in hac, vel poſt hanc vitam ſolvenda: ſi vicinis veſtris oleum charitatis infuderitis, illis nempè vicinis, quæ à paucis diebus ora-
Pſalm. 78. 12. bant Deum: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*; promitto, quòd debita earum ſolvetis, & veſtra. Multis ſe debitis gravatum
S. Gregorius. ſciebat S. Paſchaſius; teſte S. Gregorio Lib. 4. Dialog. Cap. 4. undè timebat longam incarcerationem in Purgatorio: at ille cœpit oleum miſericordiæ in animas defunctorum effundere; & ſic non ſolùm illarum, ſed & propria ſua debita ſolvit: & ex eleemoſynarum ſuarum largitate hoc obtinuit, ut ſibi fuerit promeritus veniam in Purgatorio; & ſic ubi *Crevit oleum, periit debitum.* Quidquid ergò in redemptionem animarum feceritis, licèt vel unam ſolummodò guttam olei dediſſetis, etiam in quocumque ſtatu id feceritis, nihil irremuneratum manebit.

XI. Quærunt Theologi, utrùm ſuffragia, quæ fiunt à fidelibus exiſtentibus in ſtatu peccati mortalis, animabus proſint? & ſuppoſito, quòd non proſint, an equidem animę Purgantes ſimilibus ſuffragantibus futuræ ſint gratæ? Et reſpondent: Si ſuffragia à talibus oblata ſint Sacra, quæ valent ex ipſo opere operato, quod tunc illis proſint: Si verò ſint preces aut ejuſmodi alia, quę non valent niſi ex opere operantis, quod tunc eis non proſint ſaltem de condigno, niſi à peccatoribus non ſuo, ſed Eccleſiæ & aliorum Juſtorū nomine offerantur: idque quia peccatorum opera meritoria non ſunt nec ſatisfactoria ſecundùm Apoſtolum 1. Cor. 13. 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, nec illis. An ergò ideò deſinent eſſe gratæ? Reſpondet ad hoc S. Antoninus 3. P. Tit. 32. Cap. 2. §. 4. *Mortui, quando erunt in Paradiſo, & ſcient illos, qui oraverunt pro eis, vel alia ſuffragia fecerunt, pro illis orabunt; etiamſi ſuffragantes, propter peccatum ſuum, eis non profuerunt: quia amicitia conſiderat affectum, pluſquàm effectum:* juſtis procurant augmentum gratiæ, peccatoribus veram pœnitentiam. Undè meritò M. P. Auguſtinus ſcribit ad Fratres in eremo Serm. 44. *Ora ergò pro defunctis, ut, dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant:* 1. Cor. 13. 3. S. Antoninus. S. Auguſtin.

quando adſtabunt throno Dei, tunc eandem gratiam petent in favorem eorum, qui tantam eis miſericordiam præſtiterunt. Quàm gratum ſpectaculum olim exhibitum fuit in civitate Joppen, in reſuſcitatione Tabithæ, nomine Dorcas, à Petro Apoſtolo facta!

XII. Act. 9. 39. Hæc pia mulier (cujus tota vita non fuerat, niſi continuum pietatis, & miſericordiæ exercitium) vix erat mortua, cùm Petrus ingreſſus eſt locum, in quo cadaver erat: &
Act. 9. 39. ecce: *Circumſteterunt illum omnes viduæ, flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas*: conjurabant eum omnes flentes, ut redderet eis vivam, piam earum matrem. Quale ſpectaculum illi Apoſtolo, videre ab una parte lacrymantes viduas, ab altera afflictos orphanos! Pietate tactus, dedit ſe orationi, & reſuſcitavit eam deditque illis vivam:
Verſ. 40. 41. *Petrus ponens genua, oravit; & converſus ad corpus, dixit: Thabita ſurge: at illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam; & cùm vocâſſet ſanctos, & viduas, aſſignavit eam vivam.* N. N. putatis vos, preces animarum SS. minùs efficaces apud Deum, quàm preces Petri, aut gemitus, & ſuſpiria illorum pauperum? modò in cœlo orant pro vobis, quibus in fame dediſtis manducare; quibus in ſiti dediſtis bibere; &c. modò clamant pro vobis in terra exiſtentibus miſericordiam; & magìs clamabunt, quando in ſimili eritis ſtatu: omnes animæ per vos liberatæ adſtabunt throno Dei, ad placandum Divinæ juſtitiæ rigorem: oſtendent omnia ſigna charitativæ veſtræ compaſſionis: publicabunt omnes eleëmoſynas, orationes, ſacrificia veſtra: non petent reſurrectionem corporum veſtrorum, ſed conſolationem, & liberationem animarum: ſollicitæ erunt, ut eodem modo liberemini, ſicuti illas liberâſtis. Econtrà etiam, qui immiſericordes fuerint erga illas captivas, juſto Dei judicio in carcere illo relinquentur, donec Divinæ juſtitiæ plenè ſatisfecerint: & licèt viventes pro illis offerrent ſuffragia, aget Deus cum illis, ſicut illi cum animabus: *Eâdem menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis. Qui parcè ſeminat, parcè & metet*: & permittet Deus, quòd amici obliviſcentur eorum, ſicut & ipſi ſuorum obliti ſunt. Audite ex ore unius ſic derelictæ animæ; eſt illa, quam hucuſque non ſemel audivimus loquentem, & viventium ſuffragia implorantem; modò converſa ad Deum, ait: Lucæ 6. 38.

XIII. Pſalm. 87. 9. *Longè feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem ſibi. Elongâſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria*: hoc eſt, ut exponit Agellius: *Ad mearum miſeriarum cumulum hoc deerat, quod ſummum eſt, ut ſic affectum, & undique malis, & calamitatibus circumſeſſum, etiam amici & proximi deſererent.* Si conquereretur anima: *Elongati ſunt amici, & proximi mei, & noti mei à miſeria:* ſi diceret quòd amici, & proximi elongati eſſent ab ea, non foret mirum; Pſalm. 87. 9. Verſ. 19. Agellius.

mirum ; quia nihil communius , quàm videre , quòd etiam proximiores, imò filii parentes tradant oblivioni : ſed quòd conqueratur Deum ad tantam miſeriam illam deducere , ut etiam proximos , & amicos elonget , ne ei ſubveniant : *Elongâſti à me amicum , & proximum , & notos meos à miſeria* ; quis hoc capiet ? Quomodò fieri poteſt , quòd Deus adeò miſericors , qui etiam minimum, quod facimus proximo , habet tanquàm ſibi Matth.25. factum (*Quod uni ex minimis meis feciſtis , mihi feciſtis*) diſponat , ut non miſereantur , & non ſuccurrant piis ſuffragiis ſuis , animabus ad extrema redactis , & plurimùm à ſe dilectis , ac ad cœlum deſtinatis ? cùm mandet ipſe : *O-* Matth.5. *rate pro calumniantibus , & perſequentibus vos : benefacite his , qui oderunt vos.* S. Auguſtinus adhortans omnes ad miſericordiam erga defunctos , reſpondet ad hoc Serm. S.Auguſtinus. 44. ad Fratres in eremo : *Cupis , ô homo , ut tui miſereatur Deus ? fac , ut proximo miſerearis : nam tantum tibi miſerebitur Deus , quantum & tu miſereberis proximo ; tantum recipies in alia vita , quantum facies in præſenti vita : ora ergò pro defunctis.* Abſit , ut Deus nollet noſtri miſereri , & diſpliceret ei , ſi compateremur animabus in Purgatorio ; ſed , dum nos negligimus orare pro defunctis , & non dignamur pro eis offerre vel minima ſuffragia , aut non curamus eas liberare de duro illo carcere , juſto Dei judicio fit , ut ſimiliter à viventibus etiam & nos poſt mortem tradamur oblivioni ; quia in tribunali Divinæ ejus juſtitiæ irrevocabiliter decretum eſt , quòd *Eâdem menſurâ , quâ menſi fuerimus , remetietur nobis* ; Lucæ 6. 38. imò , licèt quis ſibi ante mortem provideret in teſtamento , aut amici ejus offerrent ſuffragia pro ipſo , ſi in vita fuerit crudelis erga defunctos , ſi illos tradiderit oblivioni, timendum eſt , ne omnia hæc parùm ei proſint : econtrà , ne juſtus judex aliis ea ſit applicaturus. Auguſt. Doctrina eſt , de Verit. pro Mort. Agend. Cap. 1. *Meri-* S.Auguſtinus. *tum , per quod ſuffragia proſint , ſi nullum comparatum eſt in hac vita , fruſtra quæritur poſt hanc vitam* : in vanum ſperat quis , ſibi aliquid profuturum poſt mortem , qui id in vita ſua non meruit : *Neque negandum eſt* , inquit Auguſt. Lib. de Cura Ger. pro Mortuis Cap. 8. *De-* Idem. *functorum animas pietate ſuorum viventium relevari , cùm pro illis ſacrificium Mediatoris offertur , vel eleëmoſynæ fiunt in Eccleſia : ſed eis hæc proſunt , qui , cùm viverent , ut hæc ſibi poſteà poſſent prodeſſe , meruerunt.* Vultis teſtimonium ex ipſo Purgatorio ?

XIV. Chronica S. Ordinis Seraphici Franciſci Par. 2. Lib. 9. Cap. Chronica Ord. Minorum. 22. narrant de quodam Religioſo , negligente recitare orationes , & officia pro defunctis in regula præſcripta ; quòd poſt mortem flammis circumdatus apparuerit cuidam alteri Religioſo ejuſdem Ordinis , indicans , quales dolores , & pœnas pateretur in Purgatorio : quòdque omnia Sacra , Officia omnia pro ipſo facta ; & lecta , illi non profuiſſent hactenùs ; ſed econtrà , in pœnam ſuæ negligentiæ aliis appli-

cata: quidquid tamen impoſterùm offerretur pro eo, deinceps jam illi applicaretur. Nolite errare N. N. ſicut modò tractatis defunctos, ita & vos poſt mortem veſtram tractabimini: qui crudeles eſtis captivis illis, eſtote certi (ſi ſalvi fiatis) quòd longum, & durum ſitis habituri Purgatorium; qui aliis illud protraxiſtis, ubi tam citò poteratis finire, *Tantum recipietis in alia vita, quantum facietis in præſenti vita.* Qui S. Scripturam intelligunt, ſciunt, quoties ibidem minetur Deus pœnam talionis, quâ reo redditur pœna, correſpondens æqualiter damno, quod alteri inflixit. In primis Gen. 9. 6.
Gen. 9. 6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.*
Exodi 21. 24. Exodi 21. 24. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Idem replicatur Levitici 24. 16.
Levit. 24. 16. 17. 18. Deut. 19. 21. Sap. 11. 17. 17. 18. Deut. 19. 21. Sap. 11. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc etiam & torquetur.* Matth. 26. 52. ait ipſe
Matth. 26. 52. Chriſtus: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ſic in 100. locis. Cur toties hoc repetitur, & intentatur iſta pœna? Cur vult Deus, ut puniatur pœnâ ſanguinis, qui alterius ſanguinem fudit? ut eruatur oculus ejus, qui alteri oculum eruit? truncetur illi manus, & pes, qui manum & pedem alteri truncavit? igne comburatur, qui alium igne combuſſit? in ſumma, ut eâdem pœnâ quis puniatur, quâ alium afflixit? Quia ſic meliùs cognoſcitur propria culpa, & rectitudo Divinæ juſtitiæ: *Tantum tibi miſerebitur Dominus, quantum & tu miſereberis proximo: tantum recipies in alia, quantum facies in præſenti vita.* Ad hanc rem facit, quod Paulus Apoſtolus aſſerit Gal. 6. 8. — S. Auguſtinus.
ibi enim de juſto loquens, ait: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* — Gal. 6. 8.
Mirus loquendi modus! Qui ſeminant divitiarum contemptum, humiliationes, amaritudines, jejunia, contritiones, paſſiones, afflictiones, Martyria, in morte nihil horum metent; ſed econtrà; theſauros inæſtimabiles, delicias indicibiles, felicitatem immenſam, & beatitudinem ſempiternam; juxta illud Pſalm. 125. 5. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*: quomodò ergò *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet?* Reſ- — Pſalm. 125. 5.
pondeo: Numquid Matth. 5. 7. dicit Salvator, quòd *Miſericordes miſericordiam conſequentur?* Numquid aſſerit Jacobus Apoſtolus — Matth. 5. 7.
2. 13. quòd *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam?* dicit ergò Apoſtolus: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*: hoc eſt: Si modò ſemines pia ſuffragia, & opera pietatis pro animabus incarceratis, metes illa in majori abuudantia, quando poſt mortem eò perveneris: at ſi modò immiſericors ſis, & has afflictas animas derelinquas, erunt & alii immiſericordes erga animam tuam; quia *Miſericordes miſericordiam conſequentur; & judicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* Confirmat hæc Sapiens. — Jacob. 2. 13.

XV.

Prov. 28. 27. XV. Prov. 28. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam*: ſi dederis abundanter ſuffragia pauperibus captivis, invenies quòque ibidem abundantiam: ſi autem deſpexeris preces earum, & non dederis his egentibus ſuffragium aliquod, ſuſtinebis quòque penuriam; quia, Abdiæ ℣. 15. juxta Prophetiam Abdiæ: *Juxta eſt dies Domini ſuper omnes Gentes; ſicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam* Ugo Card. *convertet in caput tuum. Dies Domini*, inquit Ugo Card. *eſt dies mortis, & dies judicii*: in illa die retribuet Dominus omnibus eo modo, quo cum aliis egerint: qui mortuis benefecerint, efficiet Deus, ut & illis poſt mortem benè fiat: qui ſolliciti fuerint ſatisfacere piis legatis illis debitis, devotè & ferventer pro illis oraverint, diſponet Deus, ut & ſollicitè ſatisfiat legatis eorum, & amici eorum ferventer orent pro eis: *Sicut feciſti, fiet tibi*: ſed qui oblivioni eas tradiderint, dum & ipſi in iſto carcere erunt, nullus quòque recordabitur eorum; & ardebunt, non habituri vel unum, qui illis vel ſtillam refrigerii ſubminiſtret: *Sicut feciſti, fiet tibi. Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Audi hæc, ingrate Hæres, qui ſolutionem legatorum differs in menſes, & annos: audi contra te fulminatas minas ab Iſaiæ 33. 1. Iſaia Propheta Cap. 33. *Væ qui prædaris! Nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Gaudes, quaſi de capta præda, quando, ut non adimpleas legata Miſſarum, aliarumve eleëmoſynarum, cavillationibus, aſtutiis, apparentibus & malè fundatis rationibus, & ſubdolis adinventionibus, de humeris tuis potes excutere onus legatorum, à mortuo teſtatore in exonerationem conſcientiæ, aut in animæ refrigerium relictorum: ſed *Væ qui prædaris! Nonne & ipſe prædaberis?* tam in hac, quàm altera vita, invenies dignam & juſtam recompenſationem; quia, quoad acquiſitam hæreditatem, tot litibus opprimeris, quòd vel illâ exueris, vel non poſſidebis eam quietè: poſt mortē autem idem patieris ab hæredibus, quod & tu in vita feciſti, ab iiſdem debitis ſuffragiis privandus: juxta illud Pſal. 108. *Diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiã*: ſcilicet, ut explicat Pſal. 108. 15. Ugo Card. *Quia, poſtquàm ſepultus eſt, non eſt, qui faciat memoriam ejus*: & Ugo Card. juſtè, inquit Euſebius Emiſſ. quia *Qui miſericordiam non habuerit, miſericordiam non inveniet.* Fortè tunc Euſeb. Emiſſ. etiam dicturus es Deo: *Elongâſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria*; & interim non evaſurus, ſi non pejorem, ad minùs eandem pœnam. Pſalm. 87.

XVI. Gen. 42. Fratres Joſeph, frumenta empturi, deſcendunt in Ægyptum: Joſeph, ad cujus nutum frumenta populis vendebantur, ut eos vidit, agnovit: non cognitus ab illis, quaſi ad alienos, duriùs loquebatur, dicens: *Exploratores eſtis, ut videatis infirmiora, veniſtis*: ac obindè, Gen. 42. 9. ut tales, tradidit cuſtodiæ tribus diebus: tunc illi ad invicem: *Meritò* ℣. 21. *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos; & non audivimus.* Cur huic potiùs, quàm aliis peccatis iſtam incarcerationem

adſcribunt? Cur non attribuunt ſcandaloſo inceſtui Ruben, *Qui dormivit cum concubina patris ſui?* Gen. 35. 22.
Cur non dicunt hanc eis plagam evenire, in pœnâ pertinacis furoris, & miræ crudelitatis Simeonis, & Levi, qui idcircò dicti ſunt: *Vaſa iniquitatis bellantia*; & paternam maledictionem conſecuti; *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura*? Cur non ajunt ſimpliciter: *Meritò hac patimur, quia peccavimus*; utpotè nullorum peccatorum rei? Cur rationem iſtius incarcerationis ſoli culpæ contra fratrem commiſſæ attribuunt: *Quia peccavimus in fratrem noſtrum*? Quia ſciebant Deum ſemper pœnas culpis proportionatas infligere. Protervos, & immiſericordes erga fratrem ſe præbuerant, nolentes compati ei, nec aures præbere precibus ejus; ideò meritò confitentur, ſe in illo carcere eâdem menſurâ metiri: nullâ magis causâ, ſe hæc incommoda promereri reputant, quàm, quòd fratri minimo noluerint antè miſereri: *Meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos; & non audivimus: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* Quot animæ in Purgatorii carcere, ingemiſcentes deplorant, ſe modò ab omnibus deſeri, & tradi oblivioni, eò quòd in vita ſua non ſint recordatæ defunctorum, eaſque oblivioni tradiderint? Quot animæ privantur orationibus fidelium? Quot feſtinâ, ac citatâ executione piorum legatorum, & Sacrorum, quæ in exceſſivis flammis ſuis nullum ab hæredibus ſuis ſentiunt, aut recipiunt refrigerium, eò quòd ipſæ, dum viverent, ita tractaverint mortuos ſuos? *Meritò hac patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos; & non audivimus: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio*: non enim poteſt non verificari Prophetia Abdiæ: *Sicut feciſti, fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum*: recipiet unuſquiſque à Deo retributionem in altera vita, prout egerit cum defunctis in hac vita. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum; & diſcite redimere tempus, quod ad pœnitendum datum eſt vobis.

Gen. 49. 5. — ✝ 7. — Abdiæ ✝. 15. — Pſal. 49. 22.

XVII. Cùm animæ è Purgatorio liberatæ à me requirant, ut exponam vobis, quomodò Dominus eduxerit eas de carcere, & narrem vobis hæc omnia, quæ tempore captivitatis ſuæ paſſæ ſunt, & quæ patiuntur animæ, adhuc in illo carcere detentæ, deſiderio earum ſatisfacio (*fiat brevis repetitio omnium Sermonum præcedentium*) Hìc jam tantiſper ſiſtite, NN. mei. Creditis dari Purgatorium? Cur quaſi attoniti me ita aſpicitis? iterum peto: Creditis dari Purgatorium? Videor vos audire: An ergò nos hæreticos putas? Abſit. Peto, an dari Purgatorium credatis, ſicut id credere oportet? Creditis mortalia remiſſa, venialia, & pœnitentias neglectas ibi puniri *In ſpiritu ardoris?* Creditis animas Purgantes privari viſione beatificâ; quæ pœna tanta eſt, ut meliùs eis eſſet mille flammas tolerare? Creditis, quaſdam ibi animas detineri ad decem, viginti, triginta, quinquaginta, centum, imò (ut cum SS. Patribus loquar) ad annos etiam millenos? Creditis

illa,

illa, & tam facilè (relictis mortalibus) committitis venialia, de facienda pro iis pœnitentia minimè ſolliciti? Cum M. P. Auguſtino de judicio loquente loquor: *Cœpit aliquis credere diem judicii? ſi cœpit credere, cœpit & timere*: verbum muto: cœpit aliquis credere Purgatorium? ſi cœpit credere, cœpit timere. *Utinam ſaperent, & intelligerent* (Dei verba ſunt Deut. 32.) *ac noviſſima providerent*! facit differentiam inter ſapere, & intelligere; quia multa ſcimus, quæ non intelligimus; vel, ut meliùs dicam, quæ nolumus intelligere. Quis noſtrûm neſcit, dari infernum, & Purgatorium; & non ſolùm obſtinatos peccatores, ſed & defectuoſos juſtos in altera vita ſeverè eſſe puniendos? & interim: Quis attentè conſiderat? Quis verè capit? Quis ſe impendit, ut penetret? Quot dicunt: Modò poſſimus intrare Purgatorium, hoc ſufficit nobis? Verè, ſi intelligerent, non ſic loquerentur: & ideò ait Deus: *Utinam ſaperent, & intelligerent*! quia ſi, ſicut credunt dari Purgatorium, ita ſaperent, & intelligerent Purgatorium, meliùs ſibi providerent. Exclamet hîc M. P. Auguſtinus in Speculo Peccatoris: *O quàm beatus eſt vir, cujus anima circa hujuſmodi ſtudium evigilat! Quàm prudenter ille ſapit, & intelligit, ac noviſſima providet*! Qui capiunt, & intelligunt, aliter procedunt, nec ita incurii ſunt, quàm nos.

S. Aug. Tr. 9. in 1. Ioan. Cap. 4. — Deut. 32. 29. — S. Auguſt.

XVIII. 2. Reg. 12. Audit David ex parte Dei à Nathan Propheta: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*; nihilominùs clamabat ad Dominum Pſal. 50. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*; ſentiebat continuum cordolium: *Dolor meus in conſpectu meo ſemper*; fundebat flumina lacrymarum: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*; cooperiebat carnes ſuas cilicio: *Poſui veſtimentum meum cilicium*; flagellabat ſe duris diſciplinis: *Caſtigatio mea in matutinis*; adeò jejuniis macerabat corpus, ut pedes non ferrent genua: *Genua mea infirmata ſunt à jejuniis*: verbo dictum, vivebat ſemper in dolore, & planctu: *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*. Non poterat dubitare Petrus, an remiſſum ei eſſet peccatum, quia reſpexerat eum Jeſus; & ipſe *Flevit amarè*: & tamen non ceſſavit totâ vitâ facere tam auſteram pœnitentiam, ut S. Clemens Alex. de Rebus Geſtis S. Petri, qui eodem tempore illi convixit, teſtetur, quòd ſingulis noctibus ad galli cantum fleverit amarè; & proſtratus in terrâ petierit veniam de peccato: ita ut præ continuis lacrymis oculi ejus quaſi ſanguinei, & genæ quaſi exeſæ fuerint. Quis certior de remiſſo peccato, quàm Magdalena, quæ ex ipſo ore Chriſti audiverat: *Remittuntur tibi peccata*? & tamen non tantùm ea in domo Phariſæi, ſed totâ vitâ deflevit; ut inquit S. Aug. ad Fratres in eremo Serm. 11. & ut teſtatur ipſa ſpelunca, & lacrymis, & ſanguine ejus undequaque aſperſa. Hoc eſt credere, dari Purgatorium. Fortè titillatis voſmetipſos, tam ſanctè vos vivere exiſtimantes, quòd facilè ſine Purgatorio cœlum ſitis adepturi? ne voſipſos decipiatis: do iterùm verba, in præcedentibus data, Iſaiæ 10. *Erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus ejus in flamma*: ob hæc verba Guer-

2. Reg. 12. 13. — Pſal. 50. 5. — Pſal. 37. 18. — Pſal. 118. 136. — Pſal. 68. 12. — Pſal. 72. 14. — Pſal. 108. 24. — Pſal. 30. 11. — Matt. 26. 75. — S. Clem. Alex. — Lucæ 7. 49. — Iſaiæ 10. 17.

Guerricus Abbas totus in ſtuporem datus, Serm. de Purific. omnes, quantumcumque juſtos, alloquitur: Guerr. Abb. *Quis enim tam perfectus, tam ſanctus eſt, qui, cùm hinc exierit, nihil debeat illi igni?* Difficile valde, ut hinc aliquis tam perfectus, tam ſanctus, tam purus diſcedat, ut in altera vita non indigeat aliquâ purgatione. Audite formidabilem Ambroſii ſententiam Serm. 20. in Pſal. 118. *Omnes* S. Ambroſius. *oportet tranſire per flammas; ſive ille Joannes Evangeliſta ſit, quem dilexit Dominus; ſive Petrus, qui accepit claves regni cœlorum; omnes oportet dicant: Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Si dicat Ambr. omnes indigere Purgatorio, aut hîc, aut poſteà; certè ſi crederetis, ſicut debetis credere, dari Purgatorium, aliter negotium animæ veſtræ tractaretis. Si vobis conſilium darem, ſequeremini illud? dabo bonum, & ſapiens, quod non à me, ſed à Sapientiſſimo venit: Eccli. 14. Eccli. 14. 16. *Ante obitum tuum operare juſtitiam*: dum adhuc in vivis eſtis, facite vobis Purgatorium. Qualia paſſus ſit Job, quiſque novit:

XIX. Attamen Cap. 16. coram toto mundo proteſtatur: *Hæc paſſus ſum abſq; iniquitate.* In omnibus, quæ paſ- Iob 16. 18. ſus eſt, *Non peccavit Job labiis ſuis.* His omnibus tamẽ non obſtantibus, rogat 10. Cap. cum lacrymis, & ſuſpiriis: *Dimitte me, ut plangam paululùm dolorem meum*: hoc eſt, inquit Iob 10. 2. S. Greg. Lib 9. Mor. Cap. 9. Domine, da mihi tempus, ut vero dolore plangam peccata mea; & debitam pro iis faciam pœnitentiam: *Tunc enim ad plangendum dolorem nos Do-* S. Gregorius *minus dimittit, cùm & mala nobis, quæ fecimus, demonſtrat, ut ad vocationem pœnitentiæ mens noſtra ſe erigat.* Ergòne judicabat Job adhuc majorem ſibi neceſſariam pœnitentiam, poſtquam tanta fuerat paſſus? ſic eſt: *Quis enim tam ſanctus, tam perfectus, qui nihil debeat illi igni? Argentum, & aurum igne purgabitur.* Num. Num. 31. 31. Quare timebat Job, ut ſufficientem egiſſet pœnitentiam? audite, quid ſubjungat: *Antequàm vadam ad terram tenebroſam, & opertam mor-* Iob 10. 21. *tis caligine; terram miſeriæ, & tenebrarum*; quæ erat Purgatorium, inquit D. Dionyſ. Carth. hîc: undè tantum concepit timorem, ut, quid- D. Dionyſ. Carth. quid paſſus fuerat, leve ei videretur, & inſufficiens, ideòque peteret tempus, intenſiore dolore plangendi peccata, etiam minima. Qui verè credunt dari Purgatorium, de ſe in hac vita talem hoſtiam offerunt Deo; ut eum ſibi placare valeant, qualem à nobis offerri ſibi voluit.

XX. Levit. 1. Antequàm offeretur victima, volebat Deus, ut Sacerdos detractâ pelle, artus in fruſta concideret: *Detractâ pelle, artus in* Levit. 1. *fruſta concidant.* Quid, obſecro, myſterii in hac pellis detractione, & artuum in fruſta conciſione? pellis detractio, eſt interioris voluntatis examen; membrorum conciſio, eſt operum charitatis diſcreta diſtributio. Meliùs ad rem noſtram Magnus Eccleſiæ Doctor D. Gregorius Lib. 1. Moral. in fine: *Pellem ho-* S. Gregorius. *ſtiæ detrahimus, cùm à mentis noſtræ oculis ſuperficiem virtutis amovemus, cujus artus in fruſta concidimus, cùm diſtinguentes ſubtiliter ejus intima membratim cogitamus.* Deo verè oblatæ

victimæ

victimæ ſe excoriant & in fruſta concidunt: noviſtis quare? quia Dei ſervus verè timens Deum, non vivit ſuperficialiter, externæ bene vivendi apparentiæ pelle contentus, ſed victimam excoriat, perſpiciens qualis intentio, qualis finis & circumſtantiæ ſub iſta pelle lateant; & diſtinguit ſubtiliter operum ſuorum intima, cogitatque membratim quomodò ſint oblata Deo, qui pertingit uſque ad diviſionem animæ & ſpiritûs, compagum & medullarum, cui omnia nuda & aperta ſunt. *Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem, & non taceat pupilla oculi tui*, anima mea. Quot excoriatas & in fruſta conciſas victimas Deo obtuliſti? Quando judicabit Dominus animas noſtras, Deus bone quot paleæ invenientur, quæ aurum puriſſimum putabantur! qui verè credit, dari poſt hanc vitam Purgatorium, hîc Deo excoriatam & in fruſta conciſam victimam offert. Id unus nobis teſtetur D. Laurentius Juſtinianus, cujus veſtes ex *Detracta pelle* per continuas diurnas & nocturnas diſciplinas, adeò madebant ſanguine, ut à capite ad calcem excoriatus videretur. Audite reſponſum ejus datum interroganti eum, cur ardentiſſimâ ſiti correptus nec vinum, nec aquam guſtare voluerit? *Quo pacto*, inquit, *feremus Purgatorii calores, ſi parvam hanc ſitim ferre non poſſumus?* Morbidi & delicati Chriſtiani, qui creditis poſt hanc vitam vos Purgatorium manere, & ad umbram pœnitentiæ exhorreſcitis, quomodò pœnas Purgatorii tolerabitis, non ad dies, ad menſes, ad annos, ſed fortè ad ſecula? Paulus, ſatagens ut Epheſii idipſum caperent, & intelligerent, ſcribit ipſis Epiſtolam.

Threnorum 2. 18.

S. Laurentius Iuſtinianus.

XXI. Epheſ. 5. *Videte, Fratres, quomodò cautè ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus*: id eſt, inquit Vincentius Ferrerius Serm. 2. Dom. 2. poſt Trin. *Redimentes tempus Purgatorii per Eleëmoſynas, jejunia, orationes, & alia hujuſmodi: quoniam dies mali ſunt in Purgatorio.* Inſpicite vitam veſtram; oculos veſtros aperite, ut videatis, an ut prudentes, vel inſipientes vos geratis. Si quis veſtrûm offendiſſet perſonam magnæ qualitatis, quot mediis uteretur, ut reconciliaretur illi? Numquid promitteret omnem poſſibilem ſatisfactionem? Offendiſtis Deum, Majeſtatem infinitam, Deum Omnipotentem, Deum, qui nihil poteſt relinquere impunitum; & fortè hucuſque non cogitâſtis vel ſemel de danda ſatisfactione Divinæ ejus juſtitiæ: *Videte, Fratres, quomodò cautè ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus.* Cur modò lacrymis veræ compunctionis, & operibus pœnitentiæ non conamini ſatisfacere Divinæ juſtitiæ? Cur non nitimini vos redimere à rigoroſiſſimis pœnis Purgatorii, cùm hæc Paulina non minùs vobis quàm Epheſiis inſcribatur, & de verbo ad verbum vobis quadret? ſi vobis chara ſit anima: *Videte quomodò cautè ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus*: ut autem videatis quomodò valeatis redimere tempus illud.

Epheſ. 5.

S. Vinc. Ferr.

XXII. Noviſtis omnes Abraham, quem Deus titulo Patris credentium,

dentium inſignivit; in ſtatu ſuo matrimoniali tam ſanctè vixit, ut Aug. Lib. de bono conjugali dicat, *Non impar meritum eſt continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham qui filios generavit.* Liberaliſſimus erga pauperes, filium ſuum unigenitum in ſacrificium Deo offerre paratus, & teſte Jacobo Apoſtolo *Amicus Dei appellatus eſt*, ut Deus ipſe ob raras ejus virtutes *Deus Abraham* vocari voluerit, & limbo nomen *Sinûs Abrahæ* dederit, quia *denominatio ſumitur à nobiliori*: Hinc Abul. *Nullus æquè juſtus & Deo acceptus, ut Abraham; ideò ab eo denominari debuit.* De illo dicit Eccleſiaſt. 44. 20. *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi.* Tantæ Sanctitatis vir quamdiu exulavit à cœlo? Quot annis captivus manſit in lymbo? à nativitate ejus, uſque ad Chriſti nativitatem abſerant 2015. quibus adjectis 33. annis quibus Chriſtus vixit, faciunt 2048. defalcatis autem 175. annis quibus Abraham vixit, manſit in lymbo, cœlo excluſus 1875. annis; ſi interea annis aliquot manſiſſet in Purgatorio, num tunc cœlum intrâſſet? Licèt mille & ultrà annis, omnia tormenta inferni paſſus fuiſſet, ne unâ quidem horâ intrâſſet citiùs. Cogitate modò NN. quomodò virtute Corporis & Sanguinis Chriſti, exiguis pœnitentiis tempus 10.20.30. annorum ad paucos fortè dies redimere, & cœlum intrare valeatis. Cùm tam favorabilis redemptio ſit in manibus veſtris, concludo cum antedictis verbis M. Auguſtini: *O quàm beatus eſt vir, cujus anima circa hujuſmodi ſtudium evigilat, quàm prudenter ſapit & intelligit ac noviſſima providet!* Quæ redemptio, ut vobis ſuccedat, ne deſinatis captivas animas redimere, dicite cum Mellifluo, ſed in corde dicite: *Surgam in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, intercedam orationibus, ſatisfaciam ſacrificio ſingulari*, & ego, cùm, *Nuntius bonus de terra longinqua ſit aqua frigida animæ ſitienti*, hoc læto & grato nuntio ad animas redeo, à quibus miſſus ſum, certiores illas facturus, quòd Communitas N. non deſinet ſuffragiis ſuis eis ſuccurrere, aut ad minùs, indies rogare Deum, ut *Fidelium animæ per miſericordiam Dei, Requieſcant in pace.* Amen, amen.

S. Auguſtinus. Jacob. 2. 23. Abulenſis. Eccli. 44. 20. S. Auguſtinus. S. Bernardus de 5. Negot. & 5. Reg.

INDEX

INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

In quo prima cyfra, ante quamlibet ſententiam poſita, caput Scripturæ, ſecunda verò capitis verſum indigitat; ubi tamen unica tantùm ante ſententiam occurrit, illa capitis immediatè antè citati verſum demonſtrat. Cyfræ verò poſt ſententias poſitæ, hoc modo ſe habent, ut prima hujus Carceris Purgatorii paginam, ſecunda verò cujuſque ſermonis numerum marginalem inſinuet.

Geneſis.

CAp. 2. ℣. 10. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita. cxvij. 3.
Cap. 3. 11. Timui eò quòd nudus eſſem. lxiv. 13.
℣. 12. Mulier quam dediſti mihi, &c. cxxxvj. 12.
℣. 21. Fecit illis tunicas pelliceas. lxiv. 13.
Cap. 8. 7. Dimiſit corvum qui egrediebatur & non revertebatur. xcvj. 15.
℣. 11. Dimiſit columbam ex arca, at illa venit ad eum portans ramum olivæ. *ibid.*
Cap. 9. 6. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. cxcvj 14.
Cap. 16. 8. Agar ancilla Sarai, unde venis, & quò vadis? revertere ad Dominam tuam & humiliare ſub manu illius. lxxxvij. 4.
Cap. 19. 21. Etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es. lxxiij. 4.
℣. 22. Feſtina & ſalva te ibi: Quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. *ibidem.*
Cap. 21. 10. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. cl. 12.
℣. 14. Abraham tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum & dimiſit eam. iij. 4.
℣. 16. Non videbo morientem puerum. lxviij. 4.
Cap. 25. 9. Et ſepellerunt eum Iſaac & Iſmaël in ſpelunca duplici. cl. 12.
Cap. 27. 37. Frumento & vino ſtabilivi eum. vj. 7.
Cap. 28. 12. Stantem ſuper terram & cacumen illius tangens cœlum. Angelos quoque Dei aſcendentes, &c. xciij. 12.
Cap. 35. 28. & 29. Completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum conſumptuſque ætate mortuus eſt, &c. clxxviij. 9.
Cap. 36. 7. Divites erant valdè, & ſimul habitare non poterant, nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. *ibidem.*
Cap. 39. 20. Ubi vincti Regis cuſtodiebantur. xv. 2.
Cap. 41. 45. Vertitque nomen ejus, & vocavit eum linguâ ejus ſalvatorem mundi. xcv. 14.
℣. 49. Fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur. vj. 7.
Cap. 42. 9. Exploratores eſtis, ut videatis infirmiora, veniſtis. cxcvij. 16.
℣. 21. Meritò hæc patimur quia peccavimus in fratrem noſtrum. *ibid.*
Cap. 43. 3. 4. & 5. Denuntiavit nobis vir ille ſub atteſtatione juris-jurandi dicens: non videbitis faciem meam, niſi adduxeritis vobiſcum fratrem veſtrum minimum. lx. 6.
℣. 30. Commota ſunt viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ. *ibid.*
Cap. 45. 6. Anni reſtant, in quibus nec arari poterit nec meti. vj. 7.
Cap. 47. 29. Fili ſi inveni gratiam in conſpectu tuo .... facies mihi miſericordiam & veritatem. clxij. 9.
℣. 30. Ego faciam quod juſſiſti. *ibid.*
Cap. 49. 29. Sepelite me cum fratribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron. cxliij. 3.
Cap. 50. 3. Fleritque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus. cxxxiij. 8.
℣. 7. Ierunt cum eo omnes ſenes domûs Pharaonis, cunctique majores-natu terræ Ægypti. *ibidem.*
℣. 11. Celebrantes exequias planctu magno,

atque vehementi, impleverunt ſeptem dies. *Ibidem*.
℣. 16. Pater tuus præcepit antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, &c. cxliij. 3.
℣. 24. Deus viſitabit vos aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. clxiij, 9.
℣. 25. Mortuus eſt, & repoſitus eſt in loculo in Ægypto. cxxxiv. 8. *Item* cxlij. 1.

Exodi.

CAp.3. 2. Apparuit Dominus Moyſi in flamma ignis in medio rubi. lxxvj. 8.
℣. 7. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, deſcendi ut liberem eum, & educam de terra illa in terram bonam. clxxxviij. 5.
℣. 18. Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum. *Ibidem*.
Cap.4. 19. Vade & revertere in Ægyptum. *Ibidem*.
Cap.12. 4 Sin autem minor eſt numerus ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui conjunctus eſt domui ſuæ. cxxij. 11.
Cap.17. 1. Ubi non erat aqua ad bibendum populo. lviij. 4.
℣. 2. Da nobis aquam ut bibamus. cx. 16.
℣. 3. Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros, &. jumenta ſiti? lviij. 4.
℣. 7. Eſtne Dominus in nobis, an non? *Ibid.*
Cap.21. 24. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. cxcvj. 14.
Cap 30. 10. Deprecabitur Aaron ſemel per annum in ſanguine qui oblatus eſt pro peccato. cxviij. 6.
Cap.32. 31. *&* 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. cxxxiv. 9.

Levitici.

CAp.1. ℣.6. Detracta pelle, artus in fruſta concidant. cc. 20.
Cap.17. 16. Dedi vobis ſanguinem ut ſuper altare expietis pro animabus veſtris. cxxij. 11.
Cap.20. 11. Morte moriantur mœchus & adultera. cxj. 17.

Numerorum.

CAp.13. ℣.32. Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. xix. 6.
Cap.14. 1. Vociferans omnis turba flevit: & murmurati ſunt contra Deum & Aaron cuncti filii Iſraël. xix. 6.
℣. 34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram, annus pro die computabitur, & quadraginta annis recipietis ultionem meam. *Ibidem*.
℣. 40. Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt, quia peccavimus. *Ibidem*.
Cap.16. 45. Recedite de medio multitudinis, delebo eos. clxxx. 11.
℣. 46. Tolle thuribulum & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper. *Ibidem*.
Cap.20. 10. Audite rebelles & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus elicere? xviij. 5.
℣. 12. Quia non crediditis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Ibidem*.
Cap.31. 22. *&* 23. Argentum & aurum igne purgabitur. cc. 19.

Deuteronomii.

CAp.14. ℣.22. Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos. cxliv. 4.
Cap.20. 13. Percuties eos in ore gladii. clxxviij. 8.
℣. 16. Interficies in ore gladii. *Ibidem*.
Cap.32. 23. Congregabo ſuper eos mala, ſagittas meas complebo in eis. xlv. 9. *Item* lvj. 1.
℣. 29. Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. cxcix. 17
℣. 37. Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam. cxxx. 4.
℣. 43. Sanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum. clij. 13.
Cap.34. 4. Hæc eſt terra pro qua juravi Abraham, Iſaac & Jacob, vidiſti eam oculis tuis, & non intrabis ad eam. lxij. 10.
℣. 5. Mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini. *Ibidem*.

Joſue.

CAp.2. ℣.12. Nunc ergò jurate per Dominum, ut quomodò ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis, cum domo patris mei, &c. clxxvj. 7.
℣. 18. Si, ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus ...,. faciemus in te miſericordiam. clxxvij. 7.

Judicum.

CAp.2. ℣.1. Aſcendit Angelus de Galgalis ad locum flentium. lxxxvj. 2.
Cap.3. 9. Suſcitavit eis Salvatorem, & liberavit eos. xcv. 14.
Cap.11. 40. Conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Jephte, Galaaditæ diebus quatuor. cxliv. 4.
Cap.13. 20. Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus pariter in flamma aſcendit. lxxxix. 6.
Cap.15. 18. En ſiti morior. lviij. 4.

Ruth.

CAp. 1. ℣. 8. Faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis. clxxvj. 6. *Item* clxxxv. 1.

Primi Regum.

CAp. 7. ℣. 8. Non ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum ut ſalvet nos. cixxxviij. 5.

Cap. 24. 5. Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit tibi in oculis tuis. xxij. 10.

℣. 6. Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul. *Ibidem.*

℣. 10. Quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adversùm te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca. xxij. 11.

℣. 17. Numquid vox tua fili mi David? *Ibidem.*

Cap. 31. 13. Tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt eum in nemore Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus. c. 3.

Secundi Regum.

CAp. 1. ℣. 12. David omneſque viri qui erant cum eo planxerunt, fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam. c. 3.

℣. 17. Planxit David planctum hujuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Jonatham filium ejus. clxxxiij. 15.

Cap. 2. 1. Ait Dominus ad eum aſcende, veneruntque viri Judæ, & unxerunt ibi David, ut regnaret, &c. *Ibidem.*

℣. 4. Nuntiatum eſt David, quòd viri Jabes ſepeliſſent Saul. clxxv. 6.

℣. 5. Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul. *Ibidem.*

Cap. 3. 25. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, cj. 3.

Cap. 7. 23. Redemiſti tibi ex Ægypto Gentem & Deum ejus lxxvj. 8. *Item* lxxxv. 1.

Cap. 14. 24. Revertatur in domum ſuam, verumtamen faciem meam non videat. xliv. 3. *Item* xlviij. 10.

℣. 27. Nati ſunt autem Abſalom filii tres & filia una nomine Thamar elegantis formæ. clxiv. 11.

℣. 32. Quare veni de Geſſur? meliùs mihi erat ibi eſſe; obſecro ut videam faciem patris mei, & ſi memor eſt iniquitatis meæ interficiat me. xlviij. 10.

Cap. 18. 17. Et tulerunt Abſalom, & projecerunt eum in ſaltu, in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum. cxl. 19.

℣. 18. Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viveret, titulum qui eſt in Valle Regis. clxiv. 11.

Cap. 21. 6. Dentur nobis ſeptem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos. cxiij. 19.

℣. 9. Crucifixerunt eos. *Ibidem.*

℣. 10. Tollens cilicium ſubſtravit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo, &c. *Ibidem.*

Cap. 23. 15. O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna Bethlehem juxta portam. cxivij. 8.

℣. 16. Irruperunt caſtra Philiſthinorum & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, & attulerunt ad David. *Ibidem.*

℣. 17. Num ſanguinem virorum iſtorum & animarum periculum bibam? noluit ergò bibere. *Ibidem.*

Cap. 24. 10. Percuſſit autem cor David eum .... & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: ſed precor Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis. lxxiv. 5.

℣. 10. Peccavi valde in hoc facto. clxxxj. 12.

℣. 12. & 13. Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: Aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos .... aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. lxxiv. 5.

℣. 13. Tribus diebus erit peſtilentia in terra tua, cxxiij. 13.

℣. 15. Immiſitque Dominus peſtilentiam de manè uſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia virorum. lxxiv. 5.

℣. 16. Miſertus eſt Dominus ſuper afflictione. lxxvij. 8.

℣. 17. Ego ſum qui peccavi: ego iniquè egi: iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me. lxxiv. 7. *Item* clxxx. 12.

℣. 18. Aſcende & conſtitue altare Domino. clxxxj. 12.

Tertii Regum.

CAp. 17. ℣. 6. Deferebat ei panem & carnes manè, ſimiliter ... veſperi. clxxxix, 6.

℣. 14. Lecythus olei non minuetur. cxciij. 10.

℣. 18. Quid mihi & tibi Vir Dei? ingreſſus es ad me, ut interficeres filium meum? xij. 19.

℣. 20. Domine Deus meus etiamne viduam, apud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus? xiij. 19.

℣. 21. & 22. Domine Deus meus revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit, & tradidit matri ſuæ. *Ibidem.*

Cap. 19. 4. Petivit animæ ſuæ ut moreretur. iv. 4. *Item* lviij. 4.

Quarti Regum.

CAp. 2. ℣. 11. Cùmque pergerent, & ſermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque & aſcendit

Elias per turbinem in cœlum. xlvj. 6.
Cap.4. 1. Vir meus mortuus eſt, & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. cxcij. 10.
℣. 2. Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei quo ungar. *ibidem.*
℣. 21. Aſcendit autem, & collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei & clauſit oſtium. lxxix. 11.
Cap.13. 5. Dedit Deus Iſraël Salvatorem, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ. xcv. 14

Primi Paralipomenon.

CAp.22. ℣.5. Ante mortem ſuam omnes præparavit impenſas auri talenta centum millia, clxiij. 10.
℣. 14. Ego in paupertate præparavi impenſas domus Domini. clxiv. 10.
℣. 17. Præcepit quoque David cunctis Principibus Iſraël ut adjuvarent Salomonem, conſurgite & ædificate ſanctuarium Domino Deo. *ibidem.*

Secundi Paralipomenon.

CAp.21. ℣.12. Allatæ ſunt ei literæ ab Elia Propheta. cxxxviij. 15.
℣. 13. 14. 15. *&* 16. Hæc dicit Dominus Deus patris tui, quoniam non ambulâſti in viis Joſaphat patris tui & in viis Aſa Regis Juda, ſed inceſſiſti per iter Regum Iſraël, & fornicari feciſti Judam & habitatores Jeruſalem, ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ, &c. *ibidem.*
Cap.34. 21. Magnus furor Domini ſtillavit ſuper nos. xxxiij. 6.
Cap.35. 24. Univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum, Jeremias maximè, &c. cxxx. 4.

Secundi Eſdræ.

CAp.4. ℣ 21. Nos ipſi faciamus opus. clx. 6. *Item* clxxj. 1.
Cap.8. 10. Et mittite partem his qui non præparaverunt ſibi. cxxviij. 20.

Tobiæ.

CAp.2. ℣.3. Intellexit unum ex filiis Iſraël jugulatum jacere in platea inſepultum, ſtatim exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, jejunus venit ad corpus, tollenſque illud, portavit ad domum ſuam occultè, ut dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum. x. 13.
Cap.10. 3. Cœpit contriſtari nimis ipſe & Anna uxor ejus cum eo, & cœperunt ambo ſimul flere. cxxxvij. 14
℣ 4. Flebat autem mater ejus irremediabilibus lacrymis. *ibidem.*
℣. 9. Ego novi quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis. *ibidem.*
Cap.10. 7. Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens, circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem. lxj. 8.
Cap 12. 8. Bona eſt oratio cum jejunio & Eleëmoſyna, &c, c. 3.
℣. 9. Eleëmoſyna ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam, cij. 5. *Item* cxiv. 1.
℣. 12. Quando orabas cum lacrymis & ſepeliebas mortuos ego obtuli orationem tuam Domino xcviij. 17.

Judith.

CAp.13 ℣.31. In omni Gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſraël, lxxviij. 9.

Job.

CAp.1. ℣ 1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, ſimplex & rectus, ac timens Deum. xxxvij. 11.
℣. 8. Numquid conſideràſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra. *ibidem.*
℣. 9. Numquid Job fruſtra timet Deum? nonne tu vallâſti eum, ac domum ejus, & univerſam ſubſtantiam per circuitum? xxxij. 11.
℣. 11. Extende paululùm manum tuam. ij. 2. *Item* xxxvij. 11.
℣. 14. Boves arabant, & aſinæ paſcebantur, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus xxxiv. 7.
℣. 16 Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oves, pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus. *ibidem.*
℣. 17. Chaldæi invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus, *ibidem.*
℣. 19. Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus. *ibidem.*
℣. 21. Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum clxxxij. 14.
℣. 22. In omnibus his non peccavit Job. *ibidem.*, *Item* cc. 19.
Cap 2. 4. Cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua. clxvij. 14.
℣. 6. Verumtamen animam illius ſerva. ij. 2.
℣. 9. Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere xxiij. 12
Cap 4 7. Recordare obſecro te, quis umquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt? xxiij. 12
Cap.6. 10 Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat, clxxxij 14.
Cap.7 16. Parce mihi, nihil enim ſunt dies mei lxvj. 3.

℣. 20. Peccavi, quid faciam tibi ô cuſtos hominum? xxiv. 14.
Cap.10. 8. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu. xxxvj. 9.
℣. 16. Mirabiliter me crucias. xvij. 3.
℣. 20. Dimitte ergò me, ut plangam paululùm dolorem meum. cc. 19.
℣. 21. & 22. Antequam vadam & non revertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ & tenebrarum. *ibidem.*
Cap.13. 21. Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. xxxvj. 10.
℣. 24. Cur faciem tuam abſcondis, &c. lxiij. 11.
Cap. 17. 2. In amaritudinibus moratur oculus meus. xlv. 5. *Item* lvj. 2.
℣. 11. Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. v. 6.
℣. 13. Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum. liij. 17.
Cap 19. 13. & 14. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant obliti ſunt mei. cxxxj. 5.
℣. 21. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. xxxvj. 9. *Item* xliij. 1. & cxxxiij 7.
℣. 22. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? cxxxix. 17. *Item* cxliij. 1.
Cap.20. 26 Devorabit eum ignis xxxj. 3
Cap.24. 8 Non habentes velamen, amplexantur lapides. lxv. 13
℣ 19 Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium. xxxj. 3.
Cap.30. 20. & 21. Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manûs tuæ adverſaris mihi. xl. 14. *Item* cliij. 15.
℣. 26. Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ. lvij. 3.
Cap.31. 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur. cxxj. 9. *Item* cxxiv. 14.
Cap 42. 10. Cum oraret ille pro amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. clxxxij. 14.

Pſalmorum.

PSalm 9. ℣ 8. Periit memoria eorum cum ſonitu. cxlv. 5.
Pſalm.15. 10. Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. cxc. 7.
Pſalm.16. 11. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram lxiij. 11.
Pſalm.17. 46. Filii alieni mentiti ſunt mihi. cxxxviij. 15.
Pſalm.21. 19. & 20. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice. lxvij. 15. *Item* clv. 17.
Pſalm.22. 4. & 5. Non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt. xxiij. 13.
Pſalm.26. 8. & 9. Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me. xliv. 3. *Item* xliv. 4.
Pſalm.29. 8. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. xlviij. 9.
Pſalm.30. 11. Defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus. clxiii. 10. *Item* cxcix. 18.
℣. 13. Oblivioni datus ſum, tamquàm mortuus à corde. lxvij. 15. *Item* cix. 6.
℣. 16. In manibus tuis ſortes meæ. xxxvj. 9.
Pſalm. 31. 8. Firmabo ſuper te oculos meos. lxiij. 11.
Pſalm.34. 13. Oratio mea in ſinum meum revertetur. cviij. 13.
Pſalm.35. 10. Apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. xciv. 13.
Pſalm 37. 1. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. cxx. 8.
℣. 18. Dolor meus in conſpectu meo ſemper. cxxxij. 6. *Item* cxcix. 18.
Pſalm.38. 14 Remitte mihi, ut refrigerer priuſquàm abeam, & amplius non ero. lix. 4. *Item* clxiij. 10. & clxxj. 1.
Pſalm 40. 2. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. clxxxiv. 18. *Item* clxxxvj. 1.
Pſalm 41. 3. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? xlix. 10. *Item* liv. 18.
℣. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus? xxv. 15. *Item* lxxxv. 2.
℣. 5. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei. lxxxvj. 2. *Item* lxxxviij. 5.
Pſalm 43. 16. Verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. lxv. 13.
℣. 18 Nec obliti ſumus te: & iniquè non egimus in teſtamento tuo. cxlvj. 6.
Pſalm.48. 2. Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. cvij. 13.
℣. 8. & 9. Non dabit Deo placationem ſuam. Et pretium redemptionis animæ ſuæ. cij. 5.
℣. 11. & 12. Simul inſipiens, & ſtultus peribunt. Et relinquent alienis divitias ſuas. clvij. 3.
Pſalm. 50. 5. Peccatum meum contra me eſt ſemper. cxcix. 18
Pſalm.54. 13. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. cxxxij. 6.
Pſalm.55. 12. In me ſunt Deus vota tua. lxxxj. 14.
Pſalm.58. 7. Famem patientur ut canes. cxxv. 16.
Pſalm.62. 3. In terra deſerta, & invia, & inaquoſa. lix. 4.
Pſalm. 64. 13. Pingueſcent ſpecioſa deſerti. lj. 3.
Pſalm 68. 9. Extraneus factus ſum fratribus meis. cxxxv. 10.
℣. 12. Poſui veſtimentum meum cilicium. cxcix. 18.
Pſalm 72. 14. Caſtigatio mea in matutinis. *ibidem.*
Pſalm.77. 23. & 24. Mandavit nubes deſuper, & januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum. cxj. 16. *Item* cxxix. 2.

℣. 36. Dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. cxlv. 5.

Pſalm. 78 10 Innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt. Sanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur. clij. 13.

℣. 11. *&* 12. Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum. Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum. iv. 5. *Item* clxxv. 5. *&* cxciij. 10.

Pſalm. 79. 4. *&* 5. Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. xliv. 3.

℣. 6 Potum dabis nobis in lacrymis in menſura. xxxiv. 6.

Pſalm. 83 6 Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum. xciij. 12.

℣. 11. Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. cl. 10.

℣. 12. Gratiam & gloriam dabit Dominus. lxvj. 14.

Pſalm 87. 2. Domine Deus ſalutis meæ: in die clamavi & nocte coram te. iv. 5.

℣. 3 Intret in conſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. *Ibidem.*

℣. 4. Quia repleta eſt malis anima mea: & vita mea in inferno appropinquavit. *Ibidem. &* cxxxj. 5.

℣. 5. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. iv. 5.

℣. 5 Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos liber. *Ibidem.*

℣. 6. Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor ampliùs. *Ibidem.*

℣. 7. Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis & in umbra mortis. xv. 2.

℣. 8. Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. xxxij. 5. *Item* xxxiv. 6. *&* xiij. 1.

℣. 9. Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi. cxlij. 1. *Item* cxciv. 13.

℣. 10. Clamavi ad te Domine totâ die: expandi ad te manus meas, numquid mortuis facies mirabilia? lxxj. 3.

℣. 10. Traditus ſum, & non egrediebar. iv. 5.

℣. 10. Oculi mei languerunt præ inopia. *Ibid.*

℣. 11. Numquid mortuis facies mirabilia? lxxxv. 2.

℣. 13. Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: & juſtitia tua in terra oblivionis? cxvj. 2.

℣. 16. Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea. clx. 5.

Pſalm. 105. 28. Initiati ſunt Beelphegor: & comederunt ſacrificia mortuorum. ciij. 14.

Pſalm. 106. 5. Eſurientes, & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit. lix. 4. *Item* cliv. 16.

Pſalm. 108. 6. Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus ſtet à dextris ejus. clij. 14.

℣. 15. Diſpereat de terra memoria eorum, &c. cxcvij. 15.

℣. 24. Genua mea infirmata ſunt à jejunio. cxcix. 18.

Pſalm. 109. 4. Tu es ſacerdos in æternum. cxix. 7.

Pſalm. 110. 4. Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus. cxviij. 5.

Pſalm. 118. 136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. cxcix. 18.

Pſalm. 125. 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati. lxxvij 9.

℣. 2. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione lxxviij. 9

℣. 2 Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. *Ibidem.*

℣. 3. Magnificavit Dominus facere nobiſcum. *Ibidem.*

℣. 5. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. cxcvj. 14.

Pſalm. 128 8. Et non dixerunt qui præteribant? Benedictio Domini ſuper vos. cxl. 19.

Pſalm. 129. 7. Copioſa apud eum redemptio. cix. 14

Pſalm 131. 1. Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. clij. 14.

℣. 8. Surge in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi, &c. xcij. 10.

Pſalm. 136 1. Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus. xlvj. 7.

Pſalm 138. 8. Si aſcendero in cœlum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades. xxxvij. 10.

Pſalm. 141. 8. Educ de cuſtodia animam meam. iv. 5.

Pſalm. 143. 7. Emitte manum tuam de alto. xxxvj. 10.

Pſalm. 144. 16. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. xxxvj. 9.

Pſalm. 145. 3. Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. cxiv. 5.

℣. 7. Dat eſcam eſurientibus, Dominus ſolvit compeditos. cxxiv. 14.

Pſalm 149. 8. Ad alligandos Reges eorum in compedibus. j. 1. *Item* xlvij. 7. *&* cxxiv, 14. clxxv. 5.

Proverbiorum.

CAp. 2. ℣. 14. Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. xxj. 9.

Cap. 3. 28. Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare. cxliv. 3.

Cap 5. 22. Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. vij 8.

Cap. 6. 3. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, &c. clxxxvj. 3.

℣. 6. Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce. clxviij. 15.

℣. 8. Parat in æſtate cibum, & congregat in meſſe quod comedat. clxix. 15. *Item* clxxij. 1.

Cap. 10. 5. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis. clxix. 15.

Cap. 13. 8. Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ. cj. 5.

℣. 12. Spes, quæ differtur, affligit animam. lvij. 3

Cap. 14. 32. Sperat autem juſtus in morte ſua. *Ibidem.*

Cap. 16. 14. Indignatio Regis, nuntii mortis. xxxvij. 10.

Cap 21. 14. Munus abſconditum extinguit iram. cxx. 8.

Cap. 22. 22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, &c. cliv. 16.

Cap 25. 13 Legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit. clxxxvj. 2.

℣. 14 Nubes, & ventus, & pluviæ non ſequentes. cxj. 16.

Cap. 28.

Cap.28. 24. Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre: & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. cxlix. 10. *Item* clv. 1.
℣. 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. cxcvij. 15.

Eccleſiaſtæ.

CAp. 2. ℣. 18. & 19. Deteſtatus ſum induſtriam meam, quâ ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens an ſtultus futurus ſit. clviij. 4.
℣. 24. Nonne meliùs eſt oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis. *Ibidem*, & clxxj. 1.
Cap 4. 8. Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? *Ibidem*.
℣. 14. De carcere catenisque egrediantur ad regnum. xv. 2
Cap.6. 1. & 2. Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus divitias ..... nec tribuit ei poteſtatem ut comedat ex eis, ſed homo extraneus vorabit eas, miſeria magna eſt. clvij. 3.
℣. 3. Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos .... & anima illius non utatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturâque careat: de hoc ego pronuntio quòd melior illo ſit abortivus. clix. 4. *Item* clxxj. 1.
℣. 4. Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus. clix. 4.
Cap.9 10. Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, &c. clxxij. 1.
Cap.11 6 Manè ſemina ſemen tuum, & veſperè non ceſſet manus tua. clxxxix. 6.

Canticorum.

CAp.2. ℣.14. Sonet vox tua in auribus meis. lxxxij. 16.
Cap 5 8. Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. lxiij. 11.
℣. 11. Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus. clxxxix. 6.
℣. 14 Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis xxxvj. 9.

Sapientiæ.

CAp 3. ℣.1. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis xxxvj. 9.
Cap.4. 16. Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios. cxxxvij. 14.
Cap.6. 6. Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet; exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. xxxv. 8.
Cap.7. 14 Infinitus eſt Theſaurus, quo, qui bene uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. cix. 14.
Cap 11. 17. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. cxcvj. 14.
Cap.14. 31. Peccantium pœna perambulat ſemper. cij. 5.

Eccleſiaſtici.

CAp.3. ℣. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleëmoſyna reſiſtit peccatis. ciij. 6.
Cap. 7. 37. Mortuo non prohibeas gratiam. lxxxj. 15. *Item* lxxxv. 1.
Cap.9. 9. Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. xxxj. 3.
Cap.14. 17. Ante obitum tuum operare juſtitiam. clx. 5. *Item* clxviij. 15.
Cap.16. 14. Non effugiet in rapina peccator. xxxvij. 10.
Cap.18. 20. Ante languorem adhibe medicinam. clxviij. 15.
Cap.22. 10. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus. liv. 19.
Cap.29. 5. Donec accipiant, oſculantur manus dantis. cxlvij. 7.
℣. 6. In tempore redditionis poſtulabit tempus ſolvendi, *Ibidem*.
℣. 7. Si autem potuerit reddere, adverſabitur. *Ibidem*.
℣. 8. Fraudabit illum pecunia ſua, & poſſidebit illum inimicum gratis. *Ibidem*.
℣. 9. Convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. *Ibidem*.
Cap. 30. 24. Miſerere animæ tuæ. clxviij. 14.
Cap 31. 27. In omnibus operibus tuis eſto velox. lxxxvj. 3.
Cap.38. 16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare. xcvij. 16.
℣. 18. Fac luctum ſecundùm meritum ejus uno die vel duobus. *ibidem*.
℣. 24. In requie mortui requieſcere fac memoriam ejus, & conſolare illum in exitu ſpiritûs ſui. *Ibidem*.
Cap.45. 4. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum. clij. 14.
Cap.51. 9. Vita mea appropinquans erat in inferno deorſum, &c. xlj. 16. *Item* cxxx. 3. cxlij. 1.

Iſaiæ.

CAp.3. ℣.14. Rapina pauperis in domo veſtra. cviij. 13.
Cap.4. 4. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus. xxxij. 5.
Cap.5. 14. Propterea dilatavit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque ullo termino. xxx. 3.
Cap.6. 8. Quis ibit nobis? .... Ecce ego mitte me. clxj. 7.
Cap.8. 3 Voca nomen ejus, Accelera: Feſtina. cxvij. 3.
Cap.10. 17. Erit lumen Iſraël in igne, & Sanctus ejus in flamma. cxcix. 18. *Item* ccj. 21.
Cap.12. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. cix. 14.
Cap.14. 17. Vinctis ejus non aperuit carcerem. xj. 15.
Cap.16. 9. Inebriabo te lacrymâ meâ Heſebon.

& Eleale: quoniam ſuper vindemiam tuam & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit. lvij. 3.
Cap.17. 11. Ablata eſt meſſis in die hæreditatis & dolebit graviter. lviij. 3.
Cap.18. 2. Ite Angeli veloces ad Gentem convulſam & dilaceratam. lxij. 9.
Cap.21. 14. Sitienti ferte aquam qui habitatis terram Auſtri. lix. 4.
Cap.33. 1. Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis nonne & ipſe ſperneris? cxcvij. 15.
℣. 14 Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? xxxj. 3.
℣. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. xxiv. 14.
Cap.38. 11. Non videbo Dominum Deum in terra viventium. lxiij. 2.
℣. 17. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. xxj. 9. *Item* lvij. 2.
Cap.45. 15. Verè tu es Deus abſconditus. cxx. 8.
Cap.52. 2. Solve vincula colli tui captiva filia Sion. vij. 8.
Cap.56. 7. Lætificabo eos in domo orationis. lxxiij. 4.
Cap.58. 7. Frange eſurienti panem tuum ..... Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum. c. 2. *Item* cviij. 13.
℣. 7 Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. lxviij. 16.
℣. 10. Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris. ..... Eris quaſi hortus irriguus & quaſi fons aquarum. ciij. 6.

Jeremiæ.

CAp.2. ℣.6. Per terram ſitis, & imaginem mortis. lix. 4.
Cap.6. 7. Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam. xxxj. 3.
℣. 15. Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt. cxiij. 18.
Cap.8. 21. Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, &c. *ibidem.* & cxv. 1.
Cap.9. 4. Omnis amicus fraudulenter incedet. cxlvj. 6. *Item* clxij. 8.
Cap.17. 4. Ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit. xxxj. 3.
Cap.38. 13. Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu. clxxvij. 8.
Cap.39. 16. Vade, & dic Abdemelech .... hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam ſermones meos, &c. *ibid.*
℣. 18 Eruens liberabo te .... ſed erit tibi anima tua in ſalutem. clxxxv. 1.
Cap.50. 42. Crudeles ſunt & immiſericordes. xj. 15.

Threnorum.

CAp.1. ℣.16. Ego plorans & oculus meus deducens aquas; quia longè factus eſt à me conſolator, & convertens animam. lxiij. 11.
℣. 21. Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me. cxxx. 3.
Cap.2. 18. Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem, & non taceat pupilla oculi tui. ccj. 20.
Cap.4. 3. Filie populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. xj. 16.
℣. 4 Parvuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis. cxxvj. 17.

Ezechielis.

CAp.16. ℣.10. Cinxi te byſſo & indui te ſubtilibus. lxiv. 13.
℣. 37. Nudabo ignominiam tuam coram eis. lxvj. 14.
Cap.22. 6. Principes Iſraël ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te ad effundendum ſanguinem. lxxv. 7.
℣. 12. Meique oblita es, ait Dominus Deus. *ibidem.*
℣. 30. Quæſivi de eis virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam. *ibidem.*
℣. 30. Quæſivi illum & non inveni. lxxvj. 7.
Cap.24. 12. & 13. Multo labore ſudatum eſt, & non exiit nimia rubigo ejus .... mundare te volui, & non es mundata. xxxj. 3.

Danielis.

CAp.3. ℣.24. Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. xxiij. 13. *Item* cj. 4.
Cap.5. 5. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis, &c. xxxviij 12.
℣. 6. Tunc facies Regis immutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, &c. *ibid.*
Cap.6. 14. Poſuit cor, ut liberaret eum. xiij. 20.
℣. 22. Deus meus miſit Angelum ſuum & concluſit ora leonum & non nocuerunt mibi. xc. 8.
Cap.7. 10. Fluvius igneus egrediebatur à facie ejus. xxxiij. 6. *Item* xxxviij. 12.
Cap.9. 21. 22. & 23. Adhuc me loquente in oratione, &c. lxxv. 6.
Cap.12. 3. Fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. xcij. 10.
Cap.14. 35 Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, &c. xc. 8.

Ozeæ.

CAp.2. ℣.19 Sponſabo te mihi in ſempiternum. iij. 3.
Cap.4. 14. Populus non intelligens vapulabit. xxj. 8.
Cap.10. 12. Seminate in juſtitia. cl. 12. *Item* clvj. 1.
℣. 12. Metite in ore miſericordiæ. clxxvij. 8.

Joëlis.

CAp.1. ℣.7. Nudans ſpoliavit eam & projecit. lxvj. 14.

Amos.

CAp. 2. ℣. 14. Peribit fuga à veloce, & robuſtus non ſalvabitur, & aſcenſor equi non ſalvabit animam ſuam. xxxvij. 10.
Cap. 5. 2. Virgo Iſraël projecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam. liv. 18.
Cap. 6. 6. Bibentes vinum in phialis & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. xl. 14.

Abdiæ.

CAp. unico ℣. 15. Juxta eſt dies Domini ſuper omnes Gentes: ſicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum. cxcvij. 15. *Item* cxcviij. 16.

Ionæ.

CAp. 1. ℣. 9. Dominum Deum cœli ego timeo. xxv. 15.

Michææ.

CAp. 7. ℣. 6. Inimici hominis domeſtici ejus. cxlvj. 6.

Zachariæ.

CAp. 9. ℣. 11. In ſanguine teſtamenti, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. xc. 8. *Item* cxviij. 5.
Cap. 13. 8. & 9. Partes duæ diſpergentur & deficient: & ducam tertiam partem per ignem. lxxiij. 4.
℣. 9. Uram eos ſicut uritur argentum, & ſicut probatur aurum. *ibidem.*

Secundi Machabæorum.

CAp. 12. ℣. 43. Duodecim millia dragmas argenti miſit, &c. clxxxiij. 18.
℣. 46. Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis ſolvantur. lxxij 3. *Item* clxxxj. 12.
Cap. 15. 16. Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël. clxxxiij. 16.

Matthæi.

CAp. 3. ℣. 10. Excidetur & in ignem mittetur. xxxj 3.
Cap 5. 7. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. clxxxiv. 18.
℣. 22. Reus erit gehennæ ignis. xxxj. 3.
℣. 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. xvj. 3.
Cap. 7. 3 Vides feſtucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides. xlj. 16.
Cap. 8. 1. 2. & 3. Cùm deſcendiſſet Chriſtus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine ſi vis potes me mundare, ... Volo, Mundare: & extendens Jeſus manum tetigit eum, & confeſtim mundata eſt lepra ejus. x. 13.
℣. 6. Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. lij. 16.
℣. 29. Quid nobis, & tibi, Jeſu Fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos? xxxviij. 11.
Cap. 9. 6. 7. & 8. Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. .... Glorificaverunt Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus. lxxviij 9.
℣. 18. Domine filia mea modò defuncta eſt. clxxxvij. 4.
℣. 30. Aperti ſunt oculi eorum, & comminatus eſt illis Jeſus, dicens: videte ne quis ſciat. clxxiij 4.
℣. 31. Illi autem exeuntes diffamaverunt illum in tota terra illa. *ibidem.*
Cap. 10. 42. Quicumque potum dedit calicem aquæ frigidæ, Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. xvij. 4.
Cap. 12. 32. Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. cxlix 9.
Cap. 13. 42. Mittent eos in caminum ignis. xxxj. 3.
Cap. 17. 2. Reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. lxiv. 13. *Item* clxxiv. 5.
℣. 4. 5. & 6. Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Si vis faciamus hîc tria tabernacula. ... Ecce nubes lucida obumbravit eos .... Et ceciderunt in faciem ſuam. clxxiv. 5.
℣. 14. & 15. Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. .... Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. xxxix. 13.
Cap. 18. 30. Miſit eum in carcerem. j. 1.
℣. 34. Quoadusque redderet univerſum debitum. xvj. 3.
Cap. 19. 29. Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. propter nomen meum centuplum accipiet. xvj. 3.
Cap. 25. 36. In carcere eram & veniſtis ad me. lxxvij. 8.
℣. 40. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. cxcv. 13.
℣. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. xxxj. 3.
℣. 43 Nudus eram & non cooperuiſtis me. lxviij. 16.
Cap. 26. 7. Habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. viij. 11.
℣. 8. & 9. Ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud venumdari multò, & dari pauperibus. lxxxj. 14.
℣. 12. Mittens ... hæc unguentum hoc in corpus meum: Ad ſepeliendum me fecit. *Ibidem,*
℣. 13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus lxxxvij. 3.
℣. 26. Benedixit, ac fregit. cxxvij. 19.
℣. 37. Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe lxxxvij. 5.
℣. 38. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem ij. 2.

℣. 39. Pater mi, ſi poſſibile ſit, tranſeat à me calix iſte. xxxiij. 5.
℣. 41. Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. cxiv. 20.
℣. 43. Erant oculi eorum gravati. *Ibidem.*
℣. 45. Dormite jam & requieſcite. lvij. 2. *Item* cxiv. 20.
℣. 46. Surgite eamus: ecce appropinquat qui me tradet. lxxxviij. 5.
℣. 50. Amice, ad quid veniſti? cxxxij. 6.
℣. 52 Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. cxcvj. 14.
Cap 27. 7. Conſilio inito, emerunt ex illis agrum in ſepulturam peregrinorum. lj. 14.
℣. 45. Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram. lxv. 13.
℣. 46. Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me? ij. 2 *Item* lxiv. 12.
℣. 51 Velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. xlviij. 9.
℣. 57. Venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu. clxxxj. 13.

Marci.

CAp. 8. ℣. 2. Triduò ſuſtinent. cxxij. 10.
Cap 9. 45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. xxj. 9.
Cap. 10. 32. Præcedebat illos Jeſus & ſtupebant. cxxxij. 6.
Cap. 14. 3. Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro effudit ſuper caput ejus. clxxxvij. 3.
℣. 10. Judas Iſcariotes abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis, qui audientes gaviſi ſunt. cxlj. 20.
Cap. 15. 43. Audacter introivit ad Pilatum & petiit corpus Jeſu. clxxxiij. 13.
Cap. 16. 1. Ut venientes ungerent Jeſum. cxc. 8.

Lucæ.

CAp. 1. ℣. 13. Exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium. clxxix. 10.
Cap. 2. 24. Par turturum, aut duos pullos columbarum. civ. 8.
℣. 25. Simeon juſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël, &c. lx. 7.
℣. 35. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. ij. 2.
Cap. 6. 38. Eâdem menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis. clxxvij. 7.
Cap. 7. 11. Ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim. lij. 16.
℣. 38. Attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis, &c. viij. 11. *Item* clxxxvij. 3.
Cap. 9. 31. Dicebant exceſſum ejus. cxxxij. 6.
℣. 33. Neſciens quid diceret. clxxiv. 5.
℣. 59. Sequere me ..... Domine permitte mihi primùm ire & ſepelire patrem meum. cxxxvij. 13.
Cap. 10. 30. Deſpoliaverunt eum ſemivivo relicto. lxv. 14.
Cap. 12. 33. Vendite quæ poſſidetis, & date pauperibus. clxxxj. 13.
℣. 50. Baptiſmo habeo baptizari: & quomodò coarctor uſque dum perficiatur. cxxxij. 6.
Cap. 13. 7. Ecce anni tres ſunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, &c. cxl. 18.
Cap. 15. 10 Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. clxxij. 3.
℣. 17. In ſe reverſus, dixit: Quanti in domo patris abundant panibus, &c. cxxv. 16.
℣. 17. & 18. Ego hic fame pereo. .... Ibo ad patrem meum. lxvj. 14.
℣. 20 & 22. Cecidit ſuper collum ejus. ... Citò proferte ſtolam primam. *Ibidem.*
Cap. 16. 9. Facitè vobis amicos de mammona iniquitatis. clxij. 8.
℣. 20. & 21. Epulabatur quotidie ſplendidè ... & nemo illi dabat .... ante januam jacebat. cxxv. 19. *Item* cliij. 15.
℣. 22. Factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. clxxij. 3.
℣. 23. & 24. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam. xij. 18. *Item* lxij. 10. & clxvj. 12.
℣. 25. Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua. xij. 18.
℣. 26. In his omnibus inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. *Ibidem.*
Cap. 18. 7. Deus faciet vindictam electorum ſuorum. clj 13
℣. 38. Jeſu Fili David miſerere mei. liv. 20.
Cap. 21. 16. Trademini autem à parentibus & à cognatis & amicis. cxxxiij. 7.
Cap. 22. 19. Fregit & dedit eis. cxxvij. 19.
℣. 43. Apparuit Angelus confortans eum. ij. 2. *Item* lxxxviij. 5.
℣. 44. Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *Ibidem.* *Item* cxiv. 20.
Cap. 23. 42. Memento mei dum veneris in regnum tuum. cxvij. 4.
℣. 46. Clamans voce magnâ, ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. clxxij. 3.
Cap. 24. 16. Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. cxxvij. 20.

Joannis.

CAp. 1. ℣. 51. Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis. lxxxvj. 3.
Cap. 2. 15. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo. xxxv. 8.
Cap. 3. 19. Quia dilexerunt homines magìs tenebras quàm lucem. xxxj. 3.
Cap. 4. 14. Fons aquæ ſalientis in vitam æternam. lix. 4.
Cap. 5. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta octo annos habens in infirmitate ſua. *Ibid.*
Cap. 6. 4. & 6. Unde ememus panes ut manducent hi ....: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt. cxxj. 10.
℣. 49. Hic eſt panis de cœlo deſcendens. cxxij 10.
Cap. 8. 4. & 6. Hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio .... inclinans ſe digito ſcribebat in terra. cxj. 17.

℣. 11I

℣. 11. Nec ego te condemnabo. cxj. 17.
Cap.9. 4. Venit nox in qua nemo poteſt operari. v. 5.
Cap.10. 28. Non capiet eas quiſquam de manu mea. lvij. 2.
Cap.11. 1. Erat quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ. liv. 18.
℣. 3. Miſerunt ergò ſorores ejus ad eum dicentes Domine ecce quem amas, infirmatur. lij. 15.
Cap.12. 8. Sine illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. cxcij. 9.
Cap.13. 16. Non eſt, ſervus major Domino. civ. 8.
Cap.16. 16. Modicum & videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me, quia vado ad Patrem. xlvij. 7.
Cap.18. 11. Mitte gladium tuum in vaginam. lxvj. 15. *Item* clv. 17.
Cap.19. 4. Ecce adduco eum vobis foras, ut agnoſcatis quia nullam in eo invenio cauſam. Et dicit eis: ecce homo. ..... Crucifige, crucifige eum. x. 14.
℣. 25. Stabant juxta crucem Jeſu Mater ejus. xlvj. 8.
℣. 28. Eli, Eli, lamma Sabacthani. lix. 4.
℣. 34. Lancea latus ejus aperuit. xxvij. 16. *Item* lv. 21.
℣. 38. Erat Diſcipulus Jeſu, occultus propter metum Judæorum. xxvij. 19.
Ibidem. Rogavit. ..... Ut tolleret corpus Jeſu. xij. 17.
Cap.20. 11. Maria ſtabat foris plorans. xlvj. 8.

Actorum.

Cap.1. ℣. 4. Conveſcens præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum, &c. lxj. 9.
Cap.2. 24. Quem Deus ſuſcitavit ſolutis inferni doloribus. xxvj. 16.
Cap.4. 32. Multitudinis credentium, erat cor unum & anima una. lxxxij. 17.
Cap.7. 55. Vidi cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dexteris Dei. xxiij. 13.
Cap.9. 39. Circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. cxciv. 12.
℣. 40. Petrus ponens genua oravit, & converſus ad corpus dixit: Thabita ſurge, &c. *Ibidem*.
Cap. 12. 5. Oratio enim fiebat ab Eccleſia ad Deum pro eo. lxxxv. 2. *Item* clxxij. 2.
℣. 6. Vinctus catenis duabus inter duos milites. xxx. 2. *Item* lxx 2.
℣. 7. Lumen refulſit in habitaculo. c. 2.
Ibidem. Percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens: ſurge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus. cxvj. 2.
℣. 9. Exiſtimabat ſe viſum videre. lxxxix. 7.
℣. 11. Nunc ſcio verè quia miſit Deus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis. lxxxix. 7.
℣. 12. Venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, &c. *Ibidem. &* clxxij. 2.
Cap.20. 10. Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. lxxix. 11.

Ad Romanos.

Cap.7. ℣. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? vij. 8.
Cap.12. 5. Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. cxxvij. 18.
℣. 13. Neceſſitatibus Sanctorum communicantes. cvj. 11. *Item* cxv. 1.

Primæ ad Corinthios.

Cap. 1. ℣. 1. Petra autem erat Chriſtus. cxj. 16.
Cap.2. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. lxiij. 11.
Cap.3. 9. Dei enim ſumus adjutores. xcv. 14.
℣. 13. Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. xxx. 3.
Cap.4. 2. Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur. cxlvj. 6. *Item* clvj. 1.
Cap. 13. 3. Si tradidero corpus ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. cxciij. 11.
Cap. 15. 10. Non ego, ſed gratia Dei mecum. ix. 12.
℣ 41. Stella differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. xcij. 10.

Secundæ ad Corinthios.

Cap.4. ℣. 7. Habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. ix. 12.
Cap.5. 3. Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur. lxv. 14.
℣. 4. Ingemiſcimus gravati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri.
℣. 7. Peregrinamur enim à Domino. l. 12.
Cap.6. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. clxix. 15.

Ad Galatas.

Cap. 4. ℣. 7. Quod ſi filius & hæres. lvij. 3.
Cap.6. 4. Opus ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero, unuſquiſque enim onus ſuum portabit. clx. 5. *Item* clxxj. 1.
℣. 8. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. cxcvj. 14
℣. 10. Dum tempus habemus operemur bonum. clx. 6.

Ad Epheſios.

Cap.2. ℣. 7. Abundantes divitias gratiæ. cix. 14.
Cap.3. 8. In bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu. *Ibidem*.
Cap.4. 8. Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem. xxvj. 16.

Cap. 5. 15. Videte Fratres quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes. ccj. 21.
℣. 16. Redimentes tempus. clxxxvj. 2.

Ad Philippenſes.

CAp. 2. ℣. 13. Deus enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere. lxxj. 2.
℣. 21. Omnes quæ ſua ſunt quærunt. cxlvj. 6. *Item* clxij. 8.
Cap. 4. 6. In omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. lxxxviij. 6.

Ad Coloſſenſes.

CAp. 2. ℣. 3. In quo ſunt omnes theſauri. cix. 14.

Primæ ad Timotheum.

CAp. 6 ℣. 16. Deus lucem inhabitat inacceſſibilem. xlix. 10.

Ad Hebræos.

CAp. 4. ℣. 13. Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus. lxxviij. 10.
Cap. 5. 7. Preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. lxv. 13. *Item* cxix. 6.
Cap. 9. 26. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. cix. 14.
Cap. 10. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei. xxxvij. 10.
Cap. 11. 24. Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ pharaonis. cxxxv. 11.
Cap. 13. 3. Mementote vinctorum tamquam ſimul vincti. vj. 8.
℣. 16. Beneficentiæ & communionis nolite obliviſci. ciij. 7.

Epiſtolæ Jacobi.

CAp. 2. ℣. 13. Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam. xvj. 15.
℣. 15. Si frater aut ſoror nudi ſint, dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calefacimini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit eis. lxviij. 17.

Primæ Petri.

CAp. 1. ℣. 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. xliv. 3.
Cap. 4. 8. Operit multitudinem peccatorum. cij. 5.

Secundæ Petri.

CAp. 1. ℣. 4. Divinæ effecti conſortes naturæ xxxvj. 9.

Tertiæ Joannis.

CAp. unico ℣. 8. Ut Cooperatores ſimus veritatis. xcv. 14.

Judæ.

CAp. unico ℣. 7. Ignis æterni pœnam ſuſtinentes. xxix. 1.

Apocalipſeos.

CAp. 3. ℣. 17. Neſcis quia nudus es. lxv. 14.
Cap. 5. 6. Vidi agnum ſtantem tamquam occiſum, & audivi vocem Angelorum multorum, dicentium: dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & gloriam, &c. clxxiij. 3.
Cap. 6. 9. Vidi ſubtus altare animas interfectorum, & clamabant voce magnâ dicentes: uſquequo Domine non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra. cl. 11. *Item* clvj. 1.
Cap. 7. 17. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor. xxvj. 15.
Cap. 8. 1. Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi mediâ horâ. lxxxij 16.
℣. 2. Alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum. *Ibidem.*
Cap. 10. 1. Vidi Angelum Dei fortem deſcendentem de cœlo amictum nube. clxx 16.
℣. 2. Habebat in manu ſua libellum apertum. *Ibidem.*
℣. 3. Clamavit voce magnâ quemadmodum cum leo rugit. *Ibidem.*
℣. 7. Tempus non erit amplius. clxxij. 1.
Cap. 14. 2. Audivi vocem citharædorum citharizantium in citharis ſuis. clxv. 12.
℣. 10. Cruciabitur igne & ſulphure, & fumus eorum aſcendet in ſecula ſeculorum. xxxj. 3.
Cap. 15. 1. In illis conſummata eſt ira Dei. xxxiv. 6. *Item* xliij. 1.
Cap. 16. 15. Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, & nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. lxv. 15.
Cap. 22. 1. Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus. cxvj. 3.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM
Quæ in hoc tractatu de carcere Purgatorii continentur,

In quo prima cyfra paginam, ſecunda verò cujuſque Sermonis numerum marginalem demonſtrat.

A.

Abraham minùs crudelis fuit erga damnatum Epulonem quàm quidam erga purgantes animas. xij, 18

Abſalom paterno aſpectu privatus, non obſtante remiſſione criminis, ſtatum animarum in Purgatorio figurat. xliv, 3. Et oſtendit quàm ſenſibile hoc ſit. xlviij, 10. Plus reliquis perſecutoribus Davidem afflixit, eò quòd eſſet ipſius filius. cxxxviij, 16

Abſentia rei amatæ amantem cruciat. lx, 5. & ſeqq.

Abſolvere tantùm poſſumus ſubditos: ſolvere verò debitum etiam valemus pro extraneis. cx, 15. Primum Pontifici non competit reſpectu defunctorum, at ſecundum pro ipſis facere poteſt. *Ibid.*

Adam uxorem ſuam in delicti interrogatione apud Deum non excuſans, oſtendit nec amori conjugali fidendum. cxxxvj, 12

Adjutorii defectus in neceſſitate malum graviſſimum eſt. iij, 4. Illius occaſio pro defunctis non negligenda, & quare. lxviij, 16. Iſtud negantes quàm ingrati ſint & quàm infideles oſtenditur, quantùmque animas affligant, cxxx, 3. & ſeqq. Feſtinatò animabus purgantibus adferri debet. clxxxvj, 3. Id Chriſtus nos docuit. *Ibid.* 4. Deuſque jam dudum pro ipſis exegit in ſimili. clxxxviij, 5. Continuò exhibendum eſt. clxxxix, 5. & 6. & cxc, 8. Id S. Malachias proprio experimento didicit. *Ibid.*

Adulterium in antiqua lege morte plectebatur. cxj, 17. Illud tamen Chriſtus adulteræ in Evangelio remiſit propter ſuam contritionem. *Ibid.*

Æthiopes decimam partem bonorum ad animarum redemptionem dederunt. cvij, 12

Afflictio animarum in purgatorio non minùs Deum movet, quàm filiorum Iſraël in captivitate Babylonica, & conqueritur quod illis nemo ſuccurrat. cxiij, 18. Augetur ex eo, quod amici & proximi, contra quod ſperaverant, illas derelinquant, & neque promiſſa à ſe, neque legata pia à defunctis perſolvant. cxxx, 3. & ſeqq. Eam ita adaugentes maledicti ſunt, & à Davide diris omnibus devoventur. clij, 14

Afflicto afflictionem addere punitionem divinam meretur. *Ibid.*

Agar in deſerto Sur afflicta, animæ

mæ purgantis anguſtias figurat. lxxxvij, 4

Agnus Paſchalis figura eſt Euchariſtiæ. cxxij, 11. Ille communicari debebat viciniis, hæc verò defunctis, qui per vicinos intelliguntur. *Ibid.*

Aletii Eleëmoſynæ, in morte conjugis ſuæ viventibus factæ, à Chriſto ad animam illius transfuſæ ſunt. cvj, 10

Amantes Deum in hac vita ſummoperè dolent, dum ad tempus ſe ſubtrahit ab eis. lxiij, 11. Et magis cruciantur de illius abſentia, quàm alii. l, 12. Imò inde necantur. lx, 5

S. Ambroſius in obitu fratris fiduciam ſuam in ſacrificio poſuit. cxix, 6

Amici infideles & ficti tantùm ſunt, qui dilectum in neceſſitate relinquunt. cxxx, 3. Qui defunctorum animas negligunt à Pſalmographo increpantur. cviij, 13. Aſſimilanturque falſis diis. cxxx, 4. Et Judæ proditori. cxxxij, 6. Ac amicis Job. cxxxj, 5. Itemque audientibus malum Jeruſalem, & non conſolantibus eam. cxxx, 3. Summoperè affligunt animas in Purgatorio. cxxx, 4. & ſeqq. Ipſis non eſt fidendum. cxxxiv, 8. & 9. Illorum fallacia & ingratitudo erga defunctos exhibetur. xlj, 15. & 16. & cxxx, 3. & ſeqq.

Angeli nuntiant animabus quando preces & ſacrificia pro illis offeruntur. lxxxvj, 2. Quo ſenſu aſcendere dicantur, dum ad Purgatorium deſcendunt. *Ibid.* 3. Glorioſam legationem reputant, quando ad conſolationem afflictorum mittuntur. lxxxvij, 4. Confortant Salvatorem in horto, & animas in Purgatorio. lxxxviij, 5. Preces noſtras & ſacrificia colligunt ac Deo offerunt. *Ibid.* 6. Inſpirantque ut pro defunctis oremus, ac piis legatis ſatisfaciamus. lxxxix, 6. & ſeqq. Danielem liberârunt de lacu leonum, & Habacuc cum prandio ad illum tranſtulerunt in Babylonem in ſignum ſuæ ſollicitudinis pro afflictis. xc, 8. Gaudent ipſi dum pro defunctis oratur. xciij, 11. Et gratias referunt iis, qui illos per ſuas preces liberârunt, quorum ipſi fuerunt Tutelares xcviij, 17. Imò omnes ſuper unius liberatione exultant. clxxij, 3

Animæ nobilitas, iij, 3. Plus valet quàm totus mundus & tamen Eleëmoſynâ redimitur. civ, 8. Ejus cura potiùs gerenda quàm corporis. lxxxij, 15. Ipſius afflictio gravior eſt, afflictione corporis. ij, 2. In Purgatorio exiſtens comparatur viris tabernaculi, carnem Salvatoris petentibus ut ſaturentur. cxxj, 9. Ibi juvare ſe nequit iv, 5. & vj, 8. ac ix, 12. Sed ſolatur ſæpius ab Angelis. lxxxviij, 5. Quare ibi detineatur. xv, 2. Et quamdiu. xx, 6. & 7. Illic cruciatur pro reliquiis delictorum donec per ſuam ſatiſpaſſionem, vel viventium ſatisfactionem Divinæ Juſtitiæ ultimum quadrantem reddiderit. j, 1. & xvj, 3. Et patitur pœnam ſenſûs & damni. xxx, 2. Pœna ſenſûs ab igne corporeo eſt, & quare ab eo torqueatur.

torqueatur. xxxj, 3. Non dæmones, ſed Deus eam inibi torquet ob varias cauſas. xxxv, 8. Jam à corpore ſeparata plus dolet de carentia divinæ viſionis, quàm viventes. & quare hoc. xlviij, 10. & lxiij, 11. Filio prodigo ſimilis fame perit. cxxv, 16. & ſeqq. In Purgatorio eſt adhuc ſecundùm quid in via. l, 12. Ejus miſeriæ ut propriæ compatiendum. xcvij, 16. Dormit ibidem in mentali ſomno pacis lvj, 2. Et tamen magnopere dolet propter horæ incertitudinem, quâ Deum videbit *Ibid.* Idque maximè, quia propter charitatem ſuam ſperârat ſe ſtatim illo fruituram. lvij, 3. Petit à nobis contegi nuditatem ſuam per procurationem veſtimenti ſalutis. lxiv, 12. & ſeqq. Memoria illius in orationibus noſtris commendatur à Spiritu ſancto. xcvij, 16. Et Chriſtus eam facili pretio redimi poſſe ſtatuit, ut nemo ſe ab eo exouſaret. cxv, 1. Liberatur potiſſimùm per ſacrificia & communiones. cxvj, 2. & ſeqq. Gaudet ad deſcenſum Angeli cum ſuffragiorum meritis inſtar mancipiorum ſub Turca ad Adventum navis Redemptionis. cxxix, 2. Summoperè cruciatur in purgatorio dum ſe ab amicis & proximis relinqui conſpicit. cxxx, 3. & ſeqq. Et vindictam clamat contra fraudantes pia legata. cl, 10. & clj, 13. Ac maximè torquetur, dum cum pecuniis ad pias cauſas relictis, videt nos commeſſantes quotidie ſplendidè. cliij, 15. Non juvatur per laudem inter homines, ſed per preces ad Deum, Indulgentias & alia pia opera ac ſuffragia pro defunctis. lxvij, 15. Retardatur à nuptiis Agni ob defectum veſtis nuptialis. lxviij, 16. Illi ſuccurrere eſt Deo gratiſſimum. lxvj, 8. Salus ejus amicis committenda non eſt ſed ipſi in vita proſpiciendum. clix, 4. & ſeq. Sibi in vita non proſpiciens, fruſtrabitur ſuffragiis aliorum poſt mortem, non liberanda niſi poſt ſatispaſſionem. clix, 5. & clxix, 15. Ejusquerelæ quales tunc futuræ ſint. clx, 5. Salvator illius magìs fuit ſolicitus quàm nos met ipſi ſimus. clxj, 7. Illam magìs curare deberemus ad ejus exemplum. *Ibid.* & clxij, 8. Ei proſpicere obligamur ex eadem naturæ lege quâ tenemur alimentare uxorem & proles. clxviij, 14. Idque exemplo formicæ. clxix, 15. Nihil magìs in Purgatorio deplorat, quàm quod ſibi in hac vita non providerit. *Ibid.* Plus mereri potuiſſet unico ſuſpirio in hac vita quàm omnibus tormentis Purgatorii ſimul. clxx, 16. Ex Purgatorio liberata orat pro liberatoribus ſuis. clxxiij, 4. & ſeqq. *Item* clxxxj, 12. & clxxxiv, 18. ac cxciv. 12. Unam aliquam ex flammis ad cœlum tranſmittentes, miſericordiam à Deo poſt mortem ſuam conſequentur. clxxvj, 6. & ſeqq. *Item* cxcvij, 15. Et à Deo benedicentur benedictionibus cœleſtibus ac terreſtribus. clxxxij, 14. Ac quaſi de ſua ſalute ſecurus eſſe poteſt, qui erga illam pius extiterit. *Ibid* 13. Et ne quidem in reprobis irremu-

neratum relinquet Deus, quod animæ purganti exhibetur. clxxviij, 9. A nobis feſtinum requirit auxilium. clxxxvj, 3. Et quidem continuum. clxxxix, 5. & 6. *Item* cxc, 8. Illi omnia ſua bona opera in hac vita applicare optimum eſt. cxcj, 9. Ipſi applicata merita non amittuntur ſed ſervantur. cxcij, 9. & 10. Erga eam immiſericors, Juſto Dei Judicio in Purgatorio relinquetur donec plenè Divinæ Juſtitiæ ſatisfecerit. cxciv, 12.

Animalis homo non percipit ea, quæ Spiritûs Dei ſunt. lxiij, 11. Et inde non cruciatur ita à carentia divinæ viſionis, quàm fideles defuncti. *Ibid.*

Anna filii ſui Tobiæ abſentiam lugens, non eſt umbra animæ in Purgatorio lugentis abſentiam Dei. lxj, 8.

Anniverſarium prò filia Jephte celebrabant filiæ Iſraël. cxliv, 4. Illud potiſſimùm curare deberent fieri filii & hæredes ex præſcripto S. Clementis. *Ibid.*

Annus pro die redditur in punitione peccati: Imò quadraginta anni pro die uno non pleno. xix, 6

Apoſtolica traditio eſt, quod pro mortuis orari debeat. lxxx, 12

Arcam Noë Purgatorium iniquitatis Auguſtinus appellat, & verè Purgatorii figura eſt. xcvj, 15

Avari corvo ſimiles ſunt, & ramum olivæ pacis ad arcam Purgatorii non deferunt, ſed admoniti de miſericordiæ opere præſtando clamant: Cras, cras. xcvj, 15. Illis timendum ne demergantur in profundum, & æternùm pereant. *Ibid.* Suſtinebunt Judicium ſine miſericordia. *Ibid.*

Auxilium defunctis præſtare Deo gratiſſimum eſt. lxxvj, 8. & xcviij, 17. Id viventes facere multipliciter poſſunt animabus in Purgatorio, & hoc poſtulant ipſæ à nobis. x, 13. Illud præſtantes earum Salvatores dici poſſunt. xcv, 14. Econtra illud negantes Pilato aſſimilantur. x, 14. Nec mitiores ſunt quàm Rex Babyloniæ. xj, 15. Imò pejus agunt, quàm plerique alii cum terrennis mancipiis. *Ibid.* Et ſtruthioni comparantur. xj 16. Ac plus habent pro aſino in foveam cadente. xij, 16. Ideòque velut interfectores animarum reputandi ſunt. xiij, 19. Earum crudelitas adhuc magis oſtenditur. xlj, 15 & 16. & lxviij, 17. ac cxxv, 16. Diviti Epuloni comparari poſſunt. *Ibid.* 17. Et eis ſimilis dici, qui malum Jeruſalem audierunt eamque conſolari noluerunt. cxxx, 3. Ipſiſque Juſtiſſimo Dei Judicio nil melius fiet poſtea, quàm ipſi animabus præſtiterint. cxcviij, 16. Et ſi quæ ſuffragia pro illis à viventibus offerantur, non proderunt. cxciv, 12. & cxcv. 13. & ſeqq.

B.

Babylonis flumina Purgatorium figurant. xlvj, 7

Balthaſar Rex Gentilis magìs erga Danielem miſericors fuit, quàm plerique Chriſtiani erga purgantes animas. xiij, 20. Eum terrentes digiti terrorem ſignificant, qui ſuper purgantes animas irruit, dum

dum ab integra Dei manu tanguntur. xxxviij, 12
S. Bertrandus monetur orare magìs pro animabus Purgatòrio quàm pro viventibus. vij, 9
Bethania, domus afflictionis, Purgatorium ſignificat. liv, 18
Bona mortuorum ad pias cauſas diſpoſita retinentes, maledicti ſunt. clj, 13

C.

CAlix poſt conſecrationem in miſſa elevatus oſtendit æterno Patri jus, quod per Sanguinem Salvatoris acquirimus ad gloriam cœleſtem. cxviij, 5
Captivi alii Dei, alii diaboli ſunt. xv, 2
Captivi Sion ſunt electi in terra, & animæ in Purgatorio. lxxvij, 9. Conſolantur, quandò in libertatem filiorum Dei tranſmittuntur. *Ibid.*
Captivitas animarum purgantium doloroſiſſima. j, 1
Carcer eſt duplex, criminalis & civilis. xv, 2. Prior infernus, poſterior Purgatorium eſt. *Ibid.* & xxix, 1
Carceris pœna duriſſima. iij, 3
Carentia Divinæ viſionis, quàm gravis accidat fidelibus defunctis. xxv, 15. & xliij, 2. & ſeqq. ac lx, 7. & ſeqq. Quare plus mortuos, quàm viventes cruciet. xlviij, 10. & lxiij, 11
Catenæ duæ, quibus animæ in Purgatorio vinciuntur, ſunt pœna ſensûs & damni. xxx, 2
Centuplum in cœlo promiſſum ſignificat ex omni parte infinities meliora. xvj, 3. Sed in Purgatorio luendum deteriora. *Ibid.*
Charitas erga Deum defunctorum in Purgatorio pœnam non impedit. v, 6
Charitas primitivæ Eccleſiæ, quanta fuerit erga proximos, & quantum imminuta ſit. lxxxiij, 17. & cvj, 11. Illa quæ pauperibus exhibetur, quanti fiat apud Deum, illuſtri exemplo commendatur. lxviij, 17. S. Paulinus Nolanus eam inſigniter docuit. cvij, 12. Potiſſimum erga purgantes animas exhibenda eſt. vij, 9. & ſeqq. & lj, 13. ac lxviij, 17. Hoc Euſebius Sardiniæ Dux, erogatis ad earum liberationem omnibus reditibus unius civitatis, oſtendit. cvij, 12. Eam ut ſibi factam Deus æſtimat. lxxvj, 7. & 8. Antiquitùs ſolebat maximè exerceri in commemoratione defuncti. cvj, 11
Chriſtianum ſe probat, qui mortuis ſubvenit. xxvij, 18. Chriſtiani pro defunctis Deum orantes, exaudiuntur. lxxiij, 4
Chriſtus Sanguinis ſui pretium mortuis potiùs ad ſepulturam, quàm viventibus ad luxum impendi voluit. lj, 14. Chriſti exemplo docemur animas è Purgatorio liberare. xxvj. 16. Ejus abſentia etiam modica diſcipulos crucians docet cruciatum, quem patietur anima ab elongatione Dei. xlvij, 7
Chriſtus ſibi latus poſt mortem aperiri voluit, ut ſanguis & aqua vivis ad gratiam & defunctis ad gloriam difflueret. cxxj, 9. Propter eumdem finem in cœna panem fregit. cxxvij, 19. Ejus exemplo magìs docemur curare mortuos

mortuos quàm viventes. lj, 14. & ſeqq. In ſacramento Eucha- riſtiæ non dividitur, ad ſpecierum diviſionem. cxxvij, 19. Ejus ſanguis illuminat utrumque oculum, corporalem & ſpiritualem, & maximè prodeſt animabus defunctis. lv, 21. Sitis ipſius in paſſione fuit tormentum tormentorum. lix, 4. Turbatus eſt ſpiritu, quia ab amico ſuo Juda tradebatur. cxxxij, 6. Benedixit diſcipulis ante ſuum aſcenſum in cœlum, ne ipſo abſente deficerent. lxj, 9. In cruce fuit ſimul viator & comprehenſor. lxiv, 12. Beatitudo tamen illius pœnas non minuit, ſed potiùs auxit. *Ibid.* Exauditus, fuit pro ſua reverentia. cxix, 6. Manſuetudo ejus in paſſione oſtenditur. lxvj, 15. Tres mortuos tantùm ſuſcitâſſe legitur, quia pro pluribus rogatus non fuit. lxxviij, 10. Salvator omnium fuit quoad ſufficientiam, non tamen quoad efficaciam. xcv, 14. Voluit æſtimari & redimi vili pretio, ut ab omnibus comparari poſſet. cv, 8. Hinc inexcuſabiles ſunt, qui illum non lucrifaciunt. *Ibid.* Ejus actiones & paſſiones fuerunt meritij infiniti. cix, 14. Illius ſanguis in miſſa oblatus animas è Purgatorio liberat. cxviij, 5. & ſeq.

Chriſtus vitam Lazaro ſuis lacrymis obtinens, per Ejus ſanguinem in ſacrificio oblatum multò magis docet animabus vitam æternam conferendam. cxix, 7

Coadjutores Dei ſunt, qui hominem è ſtatu peccati extrahunt; conglorificatores autem, qui liberant animam de Purgatorio. xcv, 14

Cogitatio pro defunctis exorare quare ſancta ſit & ſalubris. lxxxij, 17

Collectores Eleëmoſynarum non minùs ad captivorum liberationem contribuunt quàm dantes; imò ſæpè magis. lxxxix, 6

Columba præ reliquis volatilibus homines amat, alienos pullos nutrit, gemitumque habet pro cantu. xcvij, 15. Emiſſa ex arca Noë, figura Purgatorii, ramum olivæ attulit. *Ibid.* Ipſi aſſimilantur devoti erga purgantes animas. *Ibid.*

Comedere ſacrificia mortuorum quis dicatur, & quàm id grave ſit clij, 14. Hoc fecerunt filii Iſraël, & ideò puniti ſunt. *Ibid.*

Communicare Sanctorum neceſſitatibus, eſt pœnas purgantium animarum velut noſtras & communes æſtimare. cvj, 11. Vel certè eſt noſtra ipſis facere communia. *Ibid.* Id Paulus Romanis ſignificatum voluit. *Ibid.* Et Spiritus ſanctus nobis. xcvij, 16

S. Communio ex charitate erga defunctos frequentanda eſt. cxxiv, 13. & cxxvj, 17. Solvit eorum vincula. cxxiv, 4. Et confert illis remedium efficaciſſimum. cxvj, 2 & ſeqq. Illâ privari quanta ſit pœna, tam pro viventibus, quàm pro defunctis. cxxj, 9

Conjuges ſe mutuò in hac vita, etiam ad peccatum uſque diligentes, poſt mortem facillimè obliviſcuntur invicem. cxxxvj, 12

Conſanguineorum incuria erga defunctos parentes, filios, fratres, &c. à Davide exprobratur. cviij, 13

Eſt

Eſt crudelitas maxima. xlj, 15. & 16

Conſcientia in quadruplici ſtatu reperitur. xxj, 9. Bona & tranquilla beatorum eſt, nec bona nec tranquilla damnatorum, non bona ſed tranquilla excæcatorum, bona verò non tranquilla timoratorum in hac vita & animarum purgantium. *Ibid.*

Contractus extorti ſuper juſto debito, ut minùs ſolvatur, non ſalvant conſcientiam. cxlvij, 7

Cooperari ad ſalutem animarum, opus eſt diviniſſimum. ix, 12

Cordis dolor acutiſſimus eſt. lviij, 3

Corporis afflictio afflictioni animæ comparanda non eſt. ij. 2

Corpus, à quo anima receſſit, moderatè tantùm lugendum eſt; anima verò in Purgatorio ſine modo. xcvij, 16

Corvus odit prolem ſuam, & natam non educat. xcvj, 15. Emiſſus ex arca cadaveribus inſidens ſubmerſus eſt. *Ibid.* Illi per omnia avaro ſimiles ſunt. *Ibid.* Corvi ſunt qui ſua quærunt, & hi ramum olivæ animabus non afferent in arca Purgatorio. xcvj, 15

Creationem, conſervationem, & omne bonum ſuum homo Deo debet. xxxvj, 9. & 10

Crudelitas erga mortuos maxima eſt. xj, 16. & ſeqq. Eorum verò qui animas purgantes in flammis relinquunt, major eſt quàm fratrum Joſeph. xl, 14. Expenditur in Medico potente, nec tamen volente ſanare ſuum infirmum. xlj, 16. Et probatur ex relinquente aliquem in igne, ubi extrahere poſſet. lxviij, 17

D.

DAniel in lacu leonum ſymbolum eſt purgantis animæ. viij, 10. Prece ſuâ abbreviavit tempus, & populum liberavit de ſervitute Babylonica, figura Purgatorii. lxxv, 6

David Abſalonem privans aſpectu ſuo, non obſtante remiſſo crimine, modum agendi Dei demonſtrat cum animabus in Purgatorio. xliv, 3. Aquam nolens bibere, quam cum periculo vitæ tres viri conquiſierant, docet pia legata ex bonis à parentibus cum vitæ periculo ſæpè partis, à filiis non poſſe conſumi. cxlvij, 8

Davidis dolor ob modicam irreverentiam erga Saulem commiſſam, magìs dolendum docet obvenialia. xx, 10. Ejus precibus peſtis ceſſavit, ut Deus orationis probaret efficaciam. lxxiv, 5

Debitum ſuum non adæquatè ſolvens, à Spiritu ſancto reprehenditur. cxlvij, 7

Decimæ ut minùs de adepta hæreditate expendi deberent, in refrigerium defunctorum. cxliv, 4

Defuncti in Purgatorio juvare ſe nequeunt. iv, 5. Eorum memoriam in orationibus noſtris Spiritus ſanctus commendavit. xcvij, 16. Illis major debetur miſericordia, quàm viventibus. vij, 9. & ſeqq. rurſus lj. 13. & ſeqq. Petunt à nobis, quod cæcus à Chriſto, ut videant. liv, 20. Figurantur per debiles & claudos vocatos ad nuptias. lxviij, 16. Precibus noſtris illos juvari poſſe, docuerunt

docuerunt Apoſtoli & SS. PP. lxxx, 12. Gaudent, dum preces pro ſe à viventibus offerri audiunt per Angelos. lxxxvj, 2. Itemque dum certiores redduntur de vicina ſua liberatione. xcij, 10. & ſeqq. Ipſis fontem vitæ præſtamus, dum per preces noſtras aquam accipiunt Salientem in vitam æternam. xciv, 13. Illorum memoriam quotidie tenentur facere ſacerdotes in miſſa. cxviij, 6

Deſertum aridum ad terram promiſſionis ducens, Purgatorii typus eſt. cx, 16

Deſiderium ſupernorum quævis ardua vincit. xlvj, 6. Quò majus eſt, eò magìs rei abſentia affligit animam. lviij, 3. Hinc animæ purgantes in immenſum torquentur, quia Deum videre in immenſum deſiderant. *Ibid.* & ſeqq.

Devoti erga animas in Purgatorio, columbæ Noë ſimiles ſunt. xcvij, 15. A Deo benedicentur benedictionibus cœleſtibus, & terreſtribus. clxxxj. 14. Tales ex nunc beati dicendi ſunt. clxxxiv, 18

Deum furere in animas non quoad affectum ſed quoad effectum intelligitur. xxxiij, 5. Omnem iram ſuam in altera vita ſuper peccatores effundit, hìc ſtillat tantùm. xxxiv, 6. Punit animas in Purgatorio per ſe, & inde cruciatus earum incomparabiliter fit major. xxxv, 8. & ſeqq. Illius manus hìc omnem benedictionem, ibi omne tormentum ſuper eas effundit. xxxvj, 9. Illum videre beatitudo ſumma. xliv, 3. Illius verò viſione privari ſumma pœna. *Ibid.* & xlv, 4. & ſeqq. Quærit magìs interceſſores pro peccatoribus, ut parcat, quàm ut puniat. lxxv, 7. Et pro iis rogari vult. lxxviij, 10. Dolet ipſe quaſi, quod pro animabus purgantibus tam pauci ſolliciti ſint. lxxvj, 7. Et ſibi factum reputat, quod animabus impenditur. *Ibid.* & ſeqq. In flamma ignis apparuit ut Moyſen ad commiſerationem commoveret habendam cum populo. lxxvj, 8. Et ſicut afflictionis populi ſui in captivitate Babylonica miſertus eſt; ita miſeretur animarum, doletque, quod non ſit qui liberet eas. cxiij, 18. Et è contra ſolatur in ſolatio illarum. lxxvij, 8. Imò magnificatur inde, & quare, hoc. *Ibid.* 9

Dilectionis fraternæ inſigne exemplum dedit Moyſes, peccatum reputans, quod ipſe in aula conſiſteret, populo ſuo in miſeriis exiſtente. cxxxv, 11. Illius defectus erga defunctos quàm deteſtabilis ſit. cviij, 13. Quantumq; animas in Purgatorio cruciet. cxxxj, 4. & cxxxiij, 7. ac cxxxv, 10.

Diligentis eſt, rem dilectam ſæpè quærere. xlv, 4

Diſpenſatores infideles ſunt filii & hæredes, qui pia legata non ſolvunt. cxlvj, 6

Diviti Epuloni aſſimilantur, qui panem eſurienti in Purgatorio animæ non frangunt. cxxv, 17

Divitiæ pauperibus datæ, tam alienam quàm propriam redimunt animam à peccatis, Itemque à Purgatorii flammis. cij, 5

Diuturnitas pœnarum in Purgatorio in annos, ſecula, & mundi finem protrahenda eſt reſpectu multorum.

multorum. xx, 6. & 7. Inde malum augetur. xxx, 1

Dolor cordis præ cæteris acutior eſt. lviij, 3. Deo metaphoricè tantùm attribuitur. lxxvj, 7

Dormire animas in ſomno pacis quare dicantur. lvj, 2

S. Dorotheus omnia potiùs amittenda, quàm vel leviſſimè peccandum ajebat. xvij, 3

E.

Eccleſiæ preces pro defunctis oblatæ iis proſunt. lxx, 2. & ſeqq. Ipſius ſolicitudo ut pro illis oretur, oſtenditur. lxxx, 13. Figuratur per Thecuitem. *Ibid.* Complectitur animas in Purgatorio velut ſua membra. cxxvj, 18

S. Edmundus Cantuarienſis rogum ardentem potius ſubire, quàm leviſſimè peccare volebat. xvij, 3

Egentes ſe multi dicunt, ne dent egenis, qui tamen abundè inveniunt ut conſumant cum mulieribus, & in delitiis. cviij, 13. Tales triſtantur ad charitatis præceptum. *Ibid.*

Eleëmoſynas inſpirant angeli pro fidelibus defunctis offerendas. xcj, 8. Per eas lumen gloriæ ipſis manè erumpit, ut Deus placetur. c, 2. Liberant à morte, purgant peccata, faciunt invenire miſericordiam, & vitam æternam. c, 3. Majorem habent vim ſatisfaciendi quàm orationes & jejunia, idque quia plus de bonitate participant, licèt minùs habeant de pœnalitate. cj, 4. Solvunt Divinæ Juſtitiæ pretium redemptionis animarum in Purgatorio. cij, 5. Idque propter acceptationem Dei. cv, 8. Flammas extinguunt. ciij, 6. Et Deum ipſum promerentur. *Ibid.* 7. Suntque verum ſacrificium. civ, 7. Ac virtutem quaſi infinitam continent. cv, 9. A Chriſto ad defunctos transfunduntur, dum nos illas largimur viventibus. cvj, 10. Non ſunt inanes, etiamſi pro quibus offeruntur jam incœlo ſint. cviij, 13. Ob incertitudinem an in Purgatorio detineantur amici, non poſſunt omitti. *Ibid.* Proſunt ſemper offerenti, licèt illi non prodeſſent pro quo offeruntur. *Ibid.* Ab iis faciendis ſe multi vanè excuſant, paupertatem allegantes contra Eleëmoſynam, ubi non tam pecuniâ quàm charitate carent. *Ibid.* Etiam de pane uno fieri illas Deus voluit. *Ibid.* Rapinam in domo ſervat dives, ſi illas ſuo tempore egentibus non largiatur. *Ibid.* Corporales ſi verè à quibuſdam fieri non poſſent, adhuc tales à ſpiritualibus non abſolverentur. cix, 14

Eleëmoſynarius redemptor animarum purgantium dici poteſt. cij, 5. & civ, 7. Eleëmoſynis ſuis promeretur ſibi veniam in Purgatorio. cxciij, 10

Elias quando maximè paſſus ſit. iij, 4. Dictus eſt filii Sareptanæ interfector: quia cùm precibus in vita ſervare illum potuiſſet, id non fecit. xij, 19. Per deſiderium ſupernorum quævis ardua vicit. xlvj, 6. Oſtendit Eleëmoſynæ virtutem, dum farina non defecit. cv, 9

Epitaphia non tam proſunt defunctis quam ſuffragia. lxvij, 15

Eſſentia divina ſine perſonalitatibus non videtur in patria. xlix, 11
Eucharistia tam defunctis quàm vivis medetur. xlj, 16. Eucharistia eſt panis de cœlo deſcendens. cxxij, 10. Figuratur per Agnum paſchalem. *Ibid.* 11. Communicari debet defunctis. *Ibid.* Et illis oculos aperiet ſicut diſcipulis in Emaus. cxxvij, 20. Efficaciſſimum remedium ipſis præbet. cxvj, 2. Ligno vitæ comparatur. *Ibid.* 3. Eſtque munus abſconditum quod iram Dei placat in Purgatorio. cxx; 8. Et flammas extinguit. cxxj, 9. Ac majorem efficaciam continet ad ſaturandam multitudinem animarum, quàm quinque panes in Evangelio ad ſaturandam turbam 5. millium hominum. cxxj, 10. Habet rationem Sacramenti & ſacrificii & utriuſque effectus exponuntur. cxxij, 10. Similis eſt prandio, in quo peſtis ſedata eſt. cxxiij, 13. Et per eam catenæ ceciderunt de manibus S. Georgii martyris. *Ibid.* 14. Numiſma triticeum vocatur, & denarius triticeus, quia ad redemptionem animarum valet. cxxiv, 15. Ejus fructus omnes non ſemper percipiunt communicantes defectu diſpoſitionis, & ſic pars illorum reſidua applicari poteſt defunctis. cxxv, 17. Eſt abſolutè Sacramentum vivorum in quantùm in ſuſcipientibus primam gratiam prærequirit, mortuorum tamen dici poteſt in quantùm defunctis ſpecialiter opitulatur. cxxvj; 18
Euſebii Sardiniæ Ducis pietas erga defunctorum animas in exemplū adducitur. cvij, 12. & clxxxiij, 16
Exquirere eſt diligenter quærere. xlv, 4

F.

FAciem Dei non videre in hac vita confuſionem non parit, ſecùs in altera. xlviij, 10
Cum feſtinatione mortuis ſuccurrendum eſt clxxxvj, & clxxxvij, 3. Hanc feſtinationem Chriſtus nos docuit. *Ibid.* 4. Hanc Deus jam dudum figuraliter exegit. clxxxviij, 5
Fidei defectus eſt quod animabus purgantibus non intendamus. xj, 15. Et in vanitates lubentiùs pecunias impendamus. xviij, 18. Ac manus potiùs extendamus ad patientem beſtiam. xxxix, 13
Fideles defunctos in Purgatorio juvare opus eſt majoris charitatis, quàm quod exhibetur viventibus. viij, 10. & 11. Non à dæmonibus ſed ab ipſo Deo plectuntur, & inde pœna eorum certo ſenſu intenſivè eſt gravior, quàm damnatorum. xxxv, 7. & ſeqq. Eorum quotidie reminiſci debent ſacerdotes in ſacrificio, & in die animarum ſpecialiter pro iis miſſam celebrare ex ordinatione Eccleſiæ. cxviij, 6
Fiducia de adjutorio poſt mortem in filiis aliiſque amicis caducè reponitur. cxxxiv, 8. & 9. In falſo amico poſita, ſupra modum animas in Purgatorio cruciat, dum ſe ab eo relinqui conſpiciunt in tormentis. cxxxix, 4. & ſeqq.
Filius prodigus animam figurat, gratiâ Dei nudatam. lxvj, 14. Ejuſque

ejuſque deploratio ſtatûs ſui miſerrimi extra domum paternam, reliquis in illa abundantibus, aptiſſimè quadrat animabus in Purgatorio. cxxv, 17

Filii viventes à parentibus magìs curantur quàm defuncti. lj, 13. Illi qui parentum ſubſtantiam exſugunt, & ipſis ſuo tempore vices non rependunt maledictæ ficui ſimiles ſunt. cxl 18. Ac velut alieni & impii reputari poſſunt, dum illis in neceſſitate & Purgatorio non ſuccurrunt. cxxxviij, 15 & clviij, 3. *Item* clxiv, & clxv, 11. Abſaloneſque dici debent dolorem cauſantes iis, à quibus ſunt geniti. cxxxviij, 16. Etiam non rogati deberent parentibus ſuccurrere, ſed multi in hac parte deficiunt. cxxxvij, 13. Et perſequi illos potiùs dici debent ſicut Deus: dum quo tempore hîc parentes in Purgatorio punire decrevit, eodem illi ipſos. *Ibid.* Per non ſuccurſum relinquere ſtatuerunt. cxxxix, 17. Illis fidendum non eſt in negotio propriæ ſalutis. cxlv, 5. Qui patrem liberare valentes in terreno relinquerent carcere, exhæredari poſſent ſecundùm Canones, quantò magìs qui relinquerent in carcere Purgatorii, privari merentur hæreditate cœleſti. cviij, 13. & cxxv, 17. Hi ultimi diabolum lætificant. cxlj, 20. Multa promittunt morientibus & pauca præſtant defunctis. cxliij, 3. & cxlv, 5. Alieni ſunt à pietate filiorum Jacob. *Ibid* Veſperi illos ſepulturæ mandant ſine cruce, ſine luce, & manè eorum obliviſcuntur. cxliv, 3. & cxlv, 5. Legata pia fraudantes vel differentes, injuſtè illos in Purgatorio detinent. *Ibid.* 4. & 5. Et infideles diſpenſatores ſunt, ac vulpibus aſſimilantur cxlvj, 6. Imò necatores animarum dici poſſunt. cxlix, 9. & 10. Oſculantur manus donec accipiant, & in tempore redditionis excuſant ſe & malè loquuntur. cxlvij, 7. Bibunt ſudorem & ſanguinem parentum ſuorum, & animæ illorum non recordantur. cxlviij, 8. Eorum furtum, dum legata pia defraudant, augetur ex magnitudine beneficiorum acceptorum. cxlix, 9. Bona à Patre vel Matre ſubtrahentes homicidæ ſunt. cxlix, 10. Tenentur ad pietatem erga parentes defunctos, etiamſi nihil ab ipſis hæreditâſſent. cl, 11. & 12. Maledicentes ipſis rei ſunt mortis. cliv, 16

Flumen Babylonis typus eſt Purgatorii. xlvj. 7

Fluvius igneus à facie Dei egrediens Purgatorium figurat. xxxiij 16

Fons vitæ eſt apud Deum eſſentialiter, participativè apud homines, in quantùm per preces ſuas animabus defunctis procurare poſſunt aquam ſalientem in vitam æternam. xciv, 13 Fontem divinæ miſericordiæ nemo exhaurire poteſt. cix, 14

Fornax Babylonis oratione extincta, flammas Purgatorii precibus extinguendas demonſtrat. lxxiij, 4

Fortitudo Judith quia à Deo erat, truncatio Holofernis Deum magnificat. lxxviij, 9

S. Franciſcus ab ignito cauterio horreſcens multò magìs à Purgatorii igne docet abhorrendum. xxxix, 12

Fratres citò obliviſcuntur fratrum ſuorum poſt mortem. cxxxv, 10. Eorum aliorumque amicorum oblivio, ſic ut nequidem pro proximis defunctis conſanguineis eleëmoſynam darent, quàm deteſtanda ſit. cviij, 13. Quantùmque affligat animas. cxxx, 3. & 4. ac cxxxv, 10. Se invicem ſupplantant. cxlvj, 6

Furor quoad affectum in Deo non datur, ſed quoad effectum. xxxiij, 5. Hic ſtillat tantùm ſuper peccatores, ſed in Purgatorio conſummatus eſt. xlij, 1. Major eſt irâ. xxxiij, 6

Fur eſt qui ultimam voluntatem pro defunctis defraudat. xij, 17

Furti gravitas etiam ex circumſtantiis penſitari debet, & inde patet gravitas fraudantium pia legata defunctorum. cxlviij, 8. & ſeqq. Committitur tripliciter nempe: alienum auferendo, debita non ſolvendo, & in neceſſitate non ſuccurrendo. cxlix, 10

G.

GAzophylacium, ubi Chriſtus adulteræ crimen dimiſit, Indulgentiarum theſaurum figurabat. cxij, 17

S. Gertrudis omnia bona opera totius vitæ ſuæ applicavit defunctis. cxcj, 9

Gloria animam Deo unit perfectiùs quàm gratia. ix, 12. & lxvj, 14. Quid utraque ſit, & faciat. *Ibid.* Gloriâ privari longè majus eſt quàm privari gratiâ. *Ibid.*

Glorificator animarum quodammodo homo dici poteſt, qui illas de Purgatorio liberat, non tamen abſolutè ut Deus. xcv, 14. Talis eſt, qui peccatorem è ſtatu peccati extrahit, & quare. *Ibid.*

Gratiæ tempus eſt vita præſens. vj, 7. Illa amitti hîc poteſt, ſed non in cœlo. ix, 12. Prærogativæ illius enarrantur, & quid præſtet in anima. lxvj, 14. Dat valorem operibus noſtris. lxxij, 3

Gravitas peccati commiſſi magìs cruciat purgantes animas quàm pœna ſensûs. xxv, 14. Propter illam libenter patientur. *Ibid.*

S. Gregorius Magnus animam per 30. ſacrorum applicationem de Purgatorio liberatam fuiſſe teſtatur. lxxiv, 5

H.

HAbacuc prandium ad Danielem portans in lacu leonum, repræſentat fideles animabus per ſacrificia preceſque ſuccurrentes. xc, 8

Hæredes ſubſtantiam defunctorum inter ſe dividentes, & illorum immemores, indicibilem iis afflictionem in Purgatorio cauſant. lxvij, 15. Corvo ſimiles ſunt, & ramum olivæ pacis ad arcam Purgatorii non deferunt. xcvj, 15. Ad pietatis opera præſtanda clamant ſemper cras, cras. *Ibid.* Pia legata fraudantes maximi fures ſunt. cxlviij, 8. Et necatores animarum dici debent. cxlix, 9. & ſeqq. Ac

in

in multis Conciliis excommunicantur. cl, 10. Timendum eſt, ne ſic agentes, priventur hæreditate ſuâ. cxcvij, 15. Poſt mortem idem patientur ab hæredibus, quod & ipſi in vita fecerunt, ab iiſdem debitis ſuffragiis privandi. *Ibid.* Defunctis ſepultis, unà eorum ſepelitur erga illos affectus. clx, 6

Holofernis truncatio quare magnificet Deum. lxxviij, 9

Homo animalis non præcipit ea, quæ Spiritûs Dei ſunt, & inde non dolet de carentia ſupernorum. lxiij, 11

Homicidii particeps eſt, qui aliquid à parentibus ſubtrahit, ſignanter pia legata fraudando. cxlix, 10

Hoſtia, poſt conſecrationem elevata monſtrat Jus ad gloriam cœleſtem, quod per illam fideles tam vivi, quàm defuncti acquirunt. cxviij, 5. Cogit Patrem miſereri. *Ibid.* 6. Eſtque velut pignus accipiendæ hæreditatis. cxix. 6. In ea maximam fiduciam S. Ambroſius poſuit in obitu fratris. *Ibid.* Dividitur in tres partes in Miſſa, ut Sancti honorem, viventes gratiam, & animæ purgantes gloriam inde recipiant. cxxij, 11. & cxxvij, 19. Rotunda eſt, ut velut monetam ad redemptionem pœnarum valere ſciremus. cxxiv, 15

Humilitas, deſcenſuſque ad charitatis opera attollit hominem, & Angelum. lxxxvj, 3

I.

Jacobus Apoſtolus pro defunctis orandum monuit. lxxx, 12

Jejunia pro defunctis ſæpè hominibus inſpirantur ab Angelis. xcj, 8. Mitigant divinam ſententiam & ad libertatem revocant. c, 3. Ab Eccleſia maximè commendantur in quavis neceſſitate. *Ibid.* Etiam in antiquo teſtamento ſervabantur: in morte Saulis & aliorum; idque non in ſolam doloris demonſtrationem, ſed ob animarum potiſſimùm ſublevamen. *Ibid.* Flammas fornacis Babylonicæ converterunt in rorem flantem. cj. 4. Idemque præſtare poſſunt intuitu Purgatorii. *Ibid.*

Jeroſolymæ delicta propter intercedentium preces dimittere potiùs Deus voluit, quàm punire. lxxv, 7. In ſua deſolatione ab aulicis derelicta multarum animarum purgantium ſtatum exhibet. cxxx, 3

Ignis idem damnatos in inferno, & fidelium animas in Purgatorio cruciat, xxx, 3. Æternus eſt in ſe, licèt animas purgantes tantùm uret pro tempore. *Ibid.* Eſt verus & realis, non metaphoricus. xxxj, 3. Agit modo ſpirituali non minùs, quàm aqua baptiſmalis, licèt corporeus ſit. *Ibid.* Punit pro qualitate delicti. xxxj, 3. Et omni tormento hujus mundi incomparabiliter major eſt. xxxij, 4. Eſtque totius ardoris veluti ſpiritus & quinta eſſentia. *Ibid.* 5. Imò fluvius igneus eſt reſpectu ſtillarum ignis terreſtris. xxxiij, 6. Deberet maximè movere ad compaſſionem cum animabus habendam. xxxix, 13

Imagines copiaſque defunctorum auratis marginibus circumdare in terris, & ipſum originale interea in-

intérea relinquere in flammis, crudeliſſimum eſt. lxvij, 15

Immiſericordes erga animas defunctorum, juſto Dei judicio in Purgatorio relinquentur, donec plenè juſtitiæ Divinæ ſatisfecerint. cxciv, 12. Suffragia à viventibus facta, illis non proderunt. *Ibid.* & cxcv, 13. *& ſeqq.* Sicut fecerunt animabus, dum viverent, ſic fiet ipſis in Purgatorio detentis. cxcviij, 16

Incendium templi materialis domûſve quivis feſtinat extinguere, & flammas purgantis animæ, templi Dei vivi, pauci curant. ciij, 6

Incertitudo temporis, quo anima de Purgatorio liberabitur, ſummam in ea amaritudinem cauſat. lvij, 2. Incertitudo, an anima Parentum, fratrum, Amicorum &c. in Purgatorio detineatur, ab eleēmoſynis, aliiſque piis operibus non excuſat. cviij, 13. Illâ ſtante manet equidem certum, quod ſacrificia, preceſque utilia ſint, ſi non ad intentum effectum propitiatorium, ad minùs ad alium. *Ibid.*

Inclinatio bona debet ſuo tempore ad effectum perduci. lxviij, 17

Indulgentias animabus applicando, ſtolâ immortalitatis eas induimus. lxvij, 15. Earum occaſio citò captanda & quare, lxviij, 16. Ordinantur, ut pœna peccatis debita plenè remittatur. cx, 14. Viventibus conceduntur per modum abſolutionis; defunctis verò per modum perſolutionis pro ipſis Deo factæ: & quænam ſit inter illa diverſitas, explanatur. xc, 15. Aſſimilantur aquæ pro populo excuſſæ de petra. cxj, 16. Itemque Gazophylacio, in quo Chriſtus adulteræ crimen dimiſit. cxij 17. Non abſconduntur, ſed Roſariis, numiſmatibus, Altaribus privilegiatis, Stationibus, Confraternitatibus, certis Communionibus generalibus, &c. annectuntur. *Ibid.*

Inferi à Chriſto poſt paſſionem ſuam ſpoliati, ſunt lymbus Patrum & Purgatorium, non infernus. xxvj, 16

Infirmo corporali non ſuccurrere, minùs crudele; quàm animas in Purgatorio relinquere. xlj, 16

Ingratitudo eorum, qui bona hæreditantes, de defunctis non ampliùs cogitant, facit eos ſimiles audientibus malum Jeruſalem & non conſolantibus, probatque fictam tantùm fuiſſe amicitiam. cxxx, 3. Illa animabus in Purgatorio ſummam afflictionem cauſat. lxvij, 15. & cxxx, 3. *& ſeqq.* Hæc manet, etiamſi eos inter viventes laudent, quamdiu ad ſuffragia pro defunctis non pergunt. lxvij, 15, & cxl, 18. & 19

Innocentius Papa ad ultimum Judicii diem in Purgatorio condemnatus fuit. xx, 8

Interceſſores pro peccatoribus magis quærit Deus, quàm punire delicta. lxxv, 7

Interfectores reputandi ſunt, qui, quos poſſunt, in vita non ſervant. xiij, 19. & xlj, 16. Illis ſimiles ſunt, qui auxiliatrices manus fidelibus defunctis ſubtrahunt. *Ib.*

Joab Abſalonem ad patris viſionem perducens, docet nos quid facere debea-

debeamus pro animabus purgantibus. lj, 12
Jobi paſſiones nullæ ſunt reſpectu illarum, quas animæ tolerant. xxxiv, 7. Eum plùs Deus, quàm ſatan punire poterat. xxxvij, 11. Lymbum infernum vocavit propter viſionis Dei carentiam. liij, 17
Jonas de peccato ſuo erubeſcens, ultrò in mare optabat dejici. xxv, 15
Joſepho incarcerato purgantes animæ ſimiles ſunt. xv, 2. Et ejus fratribus crudeliores, qui his non compatiuntur. xl, 14. Citò poſt mortem ab Ægyptiis oblitus, monet etiam maximè obſtrictos defunctorum oblivisci. cxxxiv, 8.
Joſeph ob liberatum populum à fame, ſalvator dictus, oſtendit eos à fortiori ſalvatores dici poſſe, qui animabus panem vitæ procurant. xcv, 14. Joſeph ab Arimathæa Chriſti Diſcipulum ſe oſtendit, pietatem erga Salvatorem defunctum exhibens. xxvij, 18. Quare dicatur dives. clxxxj, 13
Ira quoad affectum in Deo non datur, ſed quoad effectum. xxxiij, 5. In hac vita ſtillat tantùm ſuper peccatores, ſed in altera ſe totam & integrum fluvium ignis ſuper eos effundit. xxxiv. 6
Iſmaël patrem ſuum ſepeliens, oſtendit pietatem à filiis erga defunctos exhibendam, quamvis nulla ab ipſis bona hæreditâſſent. cl, 12
Iſraëlitæ per 40. annos in deſerto puniti propter unam murmurationem, figurant animarum punitionem in Purgatorio. xix, 6. & xxix, 1
Judas quia adeò à Chriſto dilectus fuerat, dolorem ejus adauxit, illum tradendo. cxxxij, 6. Aſſimilantur ipſi, quotquot amici & proximi ſuorum amicorum animas in tormentis relinquunt, ne pecunias expendant in ſacrificia vel pauperes. cxxxij, 6
Juſtitia Dei punit etiam minima. xiij, 5. & xxix, 1. Et cum Miſericordia certat. *Ibid.* Juſtitia virtus in æqualitate conſiſtit. lxxij, 3
Juſtificatio peccatoris, Dei magnificentia eſt. lxxvij, 9
Juvare ſe non valens præ reliquis magìs juvandus eſt. vij, 9. *& ſeqq.*

L.

Lacus leonum Purgatorium figurat. xc, 8. Itemque Lacus ſine aqua, de quo vincti in ſanguine Salvatoris per Miſſæ ſacrificium educuntur. cxviij, 5
Lazari reſuſcitatio lacrymis Chriſti debetur. cxix, 7. Fidem noſtram corroborat. xxvij, 17. E tumulo facie ſudario ligatâ ſurgens, damni pœnam figurat, quam animæ in Purgatorio patiuntur. liv, 18. Eum per adſtantes ſolvi juſſit Chriſtus, ut nos doceret mortuos juvare. *Ibid.* In ſua egeſtate magìs cruciabatur videns divitem epulantem tam ſplendidè. cliij, 15
Legata pia fraudantes maledicti ſunt. clj 13. Et graviter à Deo puniuntur. clij, 13. & ſeqq. Debent quantocyus perſolvi, & quare. lxviij, 16. & cxliv. 3. & clj, 12. Ea non adimplentes, fures ſunt & tortores animarum. cxliij, 2. & ſeqq. & cxlviij, 8. & ſeqq. Ad amuſſim debent perſolvi, nec quid-

quidquam de illis poteſt detrahi ſine injuſtitia. cxlvj, 60.

Liberalitas primitivæ Eccleſiæ in pauperes quanta fuerit, & quantùm modò imminuta ſit. lxxxiij, 17. & cvj, 11. Maximè exercebatur in obitu alicujus. cvij, 11. Eam S. Paulinus Nolanus ſuo exemplo commendavit. cvij, 12

Liberare aliquem ex Purgatorio majus eſt, quàm liberare à peccato ſi ſpectetur terminus ad quem, non autem ſi ſpectetur terminus à quo. ix, 12. Illud poſſe facere hominibus datum eſt. xciv, 13. Deo id gratiſſimum accidit, & velut ſibi factum reputat. lxxvj, 8. Imò magnificat Deum, & quare hoc. lxxvij, 9

Lignum vitæ Chriſtus eſt in ſanctiſſimo Sacramento. cxvj, 3. Et fructum affert ab utraque parte fluminis id eſt in hac vita & in Purgatorio. *Ibid.*

Loth prece ſuâ Segor ab incendio liberans, animas à Purgatorii flammis per preces liberandas oſtendit. lxxiij, 4

Lumen gloriæ proximè accedit ad infinitum. xciv, 13. Illud animabus purgantibus procurare poſſunt homines, & eſt maximè meritorium. *Ibid.*

Lymbus infernus dictus fuit à Jobo propter divinæ viſionis carentiam. liij, 17

M.

Magdalena plus dolens de abſentia Chriſti, quàm de illius Paſſione, docet animam Deum amantem ex carentia divinæ viſionis omnium maximè affligi. xlvij, 7

Magnificentia Dei eſt juſtificatio peccatoris. lxxvij, 9. Itemque liberatio animarum ex Purgatorio *Ibidem* per totum.

Mala quæ ab inimicis patimur, non tantùm cruciant, quantùm illa, quæ patimur ab amicis. cxxxij, 6. & ſeqq.

S. Malachiæ apparens ſororis ſpiritus, Bernardo teſte, pro illius anima ſacrificia ab eo offerri petiit. cxxj, 8

Manſuetudo Chriſti in paſſione oſtenditur. lxvj, 15

Manus Dei in hac vita miſericordiæ, in Purgatorio juſtitiæ miniſtræ ſunt, & quantùm inde aggravetur pœna fidelium defunctorum. xxxvj, 9. & ſeqq. Potentiam puniendi ſignificant. xxxvij, 10. Ubique adſunt. *Ibidem.* Ab iis nemo poteſt erui. *Ibid.* Horrendum in illas poſt hanc vitam incidere. *Ibid.* & ſeqq.

Marcus Evangeliſta oravit pro mortuis. lxxx, 12

Mare mortuum typus Purgatorii eſt. cxvij, 3

Maria ſedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem. cxv, 1. Eſt captivorum Redemptrix. cxxix, 1. Et mater animarum purgantium. xv, 1. Itemque conſolatio. xxx, 1. Et Dominium in Purgatorio tenet. c, 1. Ejus interceſſione Innocentius Papa cordis contritionem obtinuit. xx, 8. Solvit vincula reis. xliij, 1. Et per ejus preces mitigantur pœnæ in Purgatorio. lix, 1. Maximè promerita eſt dum de congruo obtinuit, ut in ſe acceleraretur Verbi incarnatio.

tio. xciv, 13. Maternitas illius terminativè infinita eſt. *Ibid.* Eſt captivorum redemptio & omnium ſalus. c, 1. Ex illius meritis totus mundus haurire poteſt. cix, 14.
Maritus & uxor in vita ſe mutuò diligentes facilè poſt mortem invicem obliviſcuntur. cxxxvj, 12
Martyrium B. V. maximum, quia in anima patiebatur. j, 2.
Medico potenti & non volenti infirmum ſanare, ſimiles ſunt qui auxiliatrices manus ad animas in Purgatorio non extendunt. xlj, 16. In Memento poſt Conſecrationem priùs oratur pro defunctis, quàm pro viventibus, & quare. clxxix, 10
Memoriæ titulique ſolemnes in terris, nil mortuos juvant ardentes in flammis. lxvij, 15. Memoriam defunctorum in orationibus ſuis Spiritus ſanctus commendavit viventibus. xcvij. 16
Merendi tempus cum vita finitur. v, 6. & ſeqq.
Merita Chriſti, ejuſque Matris & Sanctorum Eccleſiæ theſaurum conficiunt, unde Indulgentiæ hauriuntur. cxij, 17
Minima bona præmium, & mala pœnam ſummā merentur. xvij, 4. Hæc Deus curat, licèt non curet Prætor. xxj, 8. Hoc oſtendit in Moyſe. *Ibid.* 5. Minima offenſa Dei, plus animam cruciabit in Purgatorio quàm pœna ſenſûs. xxj, 8. & ſeqq. & xxiv, 14
Mirabilia, quæ facit Deus mortuis, in hoc ſita ſunt, quòd propter applicationes Indulgentiarum oblationes ſacrificiorum, orationes paucas, innumeras eis pœnas dimittat. lxxj, 3
Miſericordia exhibenda juxta quantitatem miſeriæ. vij, 8. Major debetur animabus in Purgatorio quàm viventibus. vij, 9. & 10
Miſericordia Dei etiam minima præmiat. xviij, 5. Certatque cum juſtitia. *Ibid.* Non ſiſtit in ſolo commiſerationis affectu, ſed ad opus ipſum progreditur. lxviij, 17. Miſericordiæ humanæ illuſtre exemplum adfertur. *Ibid:* Illius opera non differenda. cxliv, 3. Poſt mortem à populo Iſraël ſine cura ulla derelictus oſtendit, quàm citò etiam illi, qui maximè obligati ſunt parentum & amicorum ſuorum obliviſcantur. cxxxiv, 9. Miſericordia Chriſtianorum erga pauperes fuit ſumma in primitiva Eccleſia, at modò imminuta eſt. lxxxiij, 17. & cvj, 11. & ſeqq. Maximè exercebatur in obitu alicujus amici. *Ibid.* Quanti fiat apud Deum illuſtri exemplo commendatur. lxviij, 17. Eam S. Paulinus Nolanus ad ſtuporem exercuit. cvij, 12. Potiſſimùm tamen æſtimanda eſt, quæ animabus purgantibus exhibetur. vij, 9. & ſeqq. & lj, 13. ac lxviij, 17 Et velut ſibi factam Deus reputat. lxxvj, 7. & 8
Miſſæ ſacrificium valet ex opere operato. cxxiij, 11. Illud per ſe non valens offerre, curare deberet ut offerretur per alium pro defunctis, aut ad minùs illi devotè intereſſe. cxxxiij, 12. Participant de fructû illius qui id faciunt. *Ibid.* Efficaciſſimum remedium

medium adfert animabus in Purgatorio. cxvj, 2. & ſeqq. Et quidem velociter. cxvij, 3. & 4. Illius miniſter principalis Chriſtus eſt & eſt idem cum eo, quod in ara Crucis obtulit. *Ibid.* Cogit Patrem miſereri propter dignitatem perſonæ oblatæ. cxix, 6. Et pignus confert ad hæreditatem cœleſtem. *Ibid.* In illo omnem fiduciam poſuit S. Ambroſius in obitu ſui fratris. *Ibid.* Nil minus virtutis ad collationem vitæ æternæ continet, quàm Chriſti lacrymæ in morte Lazari. *Ibid.* 7. Illud animæ purgantes à viventibus petunt. cxx, 8. Et oblatum per hebdomadam à ſancto Nicolao de Tolentino multarum ſalutem obtinuit. *Ibid.* Illius fructus omnis non ſemper percipitur ab eo, pro quo offertur, & ideò partem reſiduam applicat ſacerdos & Eccleſia defunctis in ſecundo Memento. cxxvj, 17

S. Monica non funebres ſumptus ſed memoriam ſui in ſacrificiis petîit. cxx, 8

Moribundi, mortuique qualiter potiſſimùm juvandi & confortandi ſunt. xcvij, 16

Morientium verba maximè commovent. cxliij, 3. Eorum deſideria compleri deberent fideliter. *Ibid.* Illis multa promittuntur & mortùis pauca præſtantur. *Ibid.*

Mortuis non prohibendam gratiam Deus monuit. lxxxj, 15 & xcvij, 16. Imò ipſis magìs ſuccurrendum eſſe quàm viventibus Salvator oſtendit. lj, 14. & ſeqq. Eoſque per nos juvari poſſe typicè in Lazari reſuſcitatione monſtravit. liv, 18. Ac Spiritus ſanctus docuit. *Ibid.* 19. & xcvij. 16. Tres tantùm ſuſcitâſſe Chriſtus legitur, pro quibus rogatus fuerat, ut ſic orationis efficacia commendetur. lxxviij, 10. Eorum curam gerendam traditum eſt ab Apoſtolis, & à Patribus cuſtoditum. lxxx, 12. Moderatè lugeri debent quoad corpus, ſed quoad animam poſſunt deplorari ſine modo & limitatione. xcvij, 16. Et illorum bona detinentes maledicti ſunt. clj, 13. Et inſtar filiorum Iſraël puniendi. ciij, 14. Erga illos devotus, quaſi de cœlo ſecurus eſt. clxxxij, 13. Mortuis cum feſtinatione ſuccurrendum. clxxxvj, & clxxxvij, 5 Etiam continuò. clxxxix, 5. & 6. *Item* cxc, & cxcj, 8. Idipſum in ſe expertus eſt S. Malachias, *Ibid.* Mortuus à corde quis fit. lxvij, 15

Moyſes propter remorſum conſcientiæ non fuit auſus aſpicere contra Deum. xxiv, 13. Viginti tria millia occidit de populo ſuo, quia mortuorum ſacrificia comederant. clij, 14 Ob unicum peccatum veniale à terra promiſſionis excluſus eſt. xxix, 1. Quantumcumque hoc illi durum fuerit, nihil tamen erat in comparatione excluſionis animæ fidelis defunctæ à cœleſti patria lxij, 10. Oratione ſuâ Deum retinuit ne furor ejus contra populum idololatrantem iraſceretur, lxxiv, 6. Aquas de petra excutiens pro populo repræſentavit ſummum Pontificem Indulgentias ex Chriſti latere haurientem pro animabus

bus in Purgatorio. cxj, 16. Fraterni amoris inſigne exemplum dedit. cxxxv, 11

N.

NAvis Redemptionis in Palæſtinam appellens Chriſtiana mancipia perfundit gaudio : propter ſpem libertatis ſimiliter Angelus ad Purgatorium cùm ſuffragiorum meritis veniens. cxxix, 2

Neceſſitatibus Sanctorum, Id eſt animarum purgantium, Paulus communicandum potiùs quàm ſubveniendum docuit. Quia illorum ſalutis accelerandę negotium nobis debet eſſe quaſi commune. cvj, 11

Nerone crudeliores ſunt, qui animas in Purgatorii flammis relinquunt. xl, 14

S. Nicolaus Tolentinas à mortuo requiſitus fuit, ut pro defunctis de Requiem Miſſam celebraret. cxx, 8. Et per hebdomadam pro iis celebrans, multorum ſalutem obtinuit. *Ibid.*

Nuditas alia eſt corporis, & alia animæ, & hæc rurſus vel privatio eſt gratiæ in hac vita vel gloriæ in altera. lxiv, 13. Nuditas corporis quantam Adamo, caſtis Virginibus, & Chriſto ipſi confuſionem pœnamque attulerit. lxv, 13. Nuditas tamen animæ incomparabiliter magis ignominioſa eſt, & damnifica. *Ibid.* 14. Eſtque defectu conſiderationis, quòd hoc non magis apprehendatur. *Ibid.*

O.

OBlivio mortuorum in conſanguineis & amicis potiſſimum deteſtanda. cviij, 13. & cxxv, 16. Ipſos divite Epulone quodammodò pejores facit. *Ibid.* 17

Oblivîſci animarum quo ſenſu Deus dicatur. xx, 7

Occidit, qui vitam alterius non ſervat, dum poteſt. xiij, 19

Oculus, qui in amaritudine moratur, eſt anima in Purgatorio Deum non videns. xlvj, 5

S. Odilonis oratio Benedicti Pontificis animam de Purgatorii carcere in cœlum tranſmiſit. lxxiv, 5

Offenſa Dei commiſſa etiam minima plus animam purgantem cruciabit, quàm pœna ſenſûs. xxj, 8

Officium defunctorum non terminatur cum veſperis, quia requies eis optata non habet veſperam. xcij, 10

Opera pro mortuis facta, ſunt quodammodò opera mortuorum. cj, 4

Opera miſericordiæ proximo, & præſertim fidelibus defunctis exhibita Deus æſtimat, ac ſi facta eſſent ſibi. lxxvij, 8. A corporalibus ſe multi vanè excuſant. cviij, 13. Spiritualia interim exercenda ſunt; ſi corporalia non poſſint. cix, 14. Opus maximæ miſericordiæ Chriſtianæ eſt, animabus in Purgatorio ſuccurrere. xxvij, 17. Eſtque Deo gratiſſimum. lxxvj, 8

Operire nudos magis in præcepto eſt erga defunctos, quàm viventes. lxviij, 17

Orationes viventium vehiculum ſunt animarum purgantium, quo in cœlum vehantur. l, 12. Liberaverunt Petrum de carcere Herodis. lxx, 2. Et animas defunctorum juvant. lxx, 2. Orationes juſtorum ligant quaſi manus Dei. lxxiv. 6. Faciunt, quod mortui ſuſcitentur ad vitam. lxxviij, 10. & ſeqq. Illæ, quas animæ in Purgatorio pro ſe funderent, non exaudirentur, eò quod non ſint in ſtatu ſatisfaciendi, ſed ſatiſpatiendi. lxxj, 3. Orationes viventium pro ipſis fuſæ, Deo gratiſſimæ ſunt. lxxxij, 16. Angelos exhilarant. xciij, 11. Et redimunt earum pœnas. *Ibid.* Sanctæ ſunt & ſalubres. lxxij, 3. & lxxxij, 17. Extinxerunt fornacem Babylonis. lxxiij, 4. Et urbem Segor ab incendio liberârunt. *Ibid.* Populumque à peſte. lxxv, 5. Efficacia earum major pro fidelibus defunctis probatur. lxxiij, 4. Erigunt quaſi ſcalam, per quam Angeli ad Deum aſcendant, & ad Purgatorium deſcendant. xciij, 12. Omnium maximè merentur, quandò accelerationem gloriæ pro animabus à Deo obtinent. xciv, 13. Non cedunt in vacuum, quæ pro defunctis offeruntur, etſi ad cœlum tranſlati ſint. cviij, 13. Ob incertitudinem, an in Purgatorio detineantur amici, non poſſunt omitti. cviij, 13. Proſunt ſemper illi, qui eas fundit; licèt ipſis non prodeſſent, pro quo funduntur. *Ibid.* Sunt medium efficaciſſimum ad nos reconciliandum Deo. clxxx, & clxxxj 11, & 12. Etiam gratæ ſunt, licèt fiant à peccatoribus. cxciij, 11

Otiantes in mundo, pœnas merentur in Purgatorio. vj, 7

Othoniel ſalvator dictus, quia populum Iſraël à ſervitute Regis Meſopotamiæ liberavit, monſtrat liberatores animarum quodammodò dici poſſe earum ſalvatores. xcv, 14

Ovis perdita charior fuit in Evangelio ſuo paſtori, quàm anima filii à cœleſti grege in Purgatorio ſeparata, ſit ſuo patri aut èconta, lj, 18

P.

Panis ſubcinericius parvus Eliæ in eleëmoſynam datus, farinæ indefectibilitatem contulit. cv, 9

Parcere propter interceſſiones juſtorum magìs quærit Deus, quàm punire. lxxvj, 7

Parentes facilè obliviſcuntur filiorum poſt mortem. cxxxiij, 7. & ſeqq. Eorumque ſimiliter filii. cxxxvij. 13, & 14. Plùs habent pro vanitate viventium quàm ſolatio defunctorum. lj, 13. & cviij; 13. Cruciantur ſæpè in Purgatorio propter nimiam temporalium curam vel diſſimulationem in filiorum correctione. cxxxviij, 15. Felices ſunt, dum filios habent eleëmoſynarios. cvj. 10. Decipiuntur ſæpiſſimè, exiſtimantes, quod ſola gratitudo debita illos impellet ad pietatis officia iis præſtanda poſt mortem. cxxxiv, 8. & cxxxvij, 13. Et quantùm inde cruciantur, oſtenditur. cxxx, 3. & 4. Et cxxxiij, 7. Ac eorum juſtiſſima exprobratio deſuper.

ſuper adfertur. cxxxviij. & cliij. 15. Merentur gratitudinem filiorum poſt ſuam mortem ob bona iis relicta. cxlv, 5. Imò etiamſi nulla bona ipſis relinquerent. cl, 11, & 12. Eorum bona ſubtrahentes, vel pia legata fraudantes, homicidæ dicendi ſunt, & quare. cxlix, 10. Ipſis maledicentes filii rei ſunt mortis. cliv, 16. Inſipientes ſunt filiis bona ſua relinquentes, nec ſibi in futurum proſpicientes. clvij. & clviij, 3. & clxvij, 14. Iſtius inſipientiæ proprio ſuo exemplo convincuntur. *Ibid.* 4. Juxta Eccleſiaſten pejores ſunt abortivo. clix. *Ibid.* Animas ſuas poſt mortem filiis committere non debent, ſed eis in vita ſua proſpiciendum. clxj. & ſeqq. 8. & ſeqq. Aliàs invenient ſe deceptos. clxvj. & ſeqq. 13. & ſeqq. Eadem lex, quæ obligat ad alimentandum uxorem & proles, obligat illos poſt mortem providere animabus ſuis de ſufficienti ſuſtentatione. clxviij, 14. Exemplum formicæ illis imitandum proponitur. clxix, 15

S. Paſchaſius ob eleëmoſynas in refrigerium animarum impenſas, ſibi promeritus eſt veniam in Purgatorio. cxciij, 10

Paſſio Chriſti omni martyrio major fuit, non tamen pœnis Purgatorii. xxxiij, 5

Paſtor in Evangelio plùs fecit pro ove perdita, quàm plerique faciant pro anima à cœleſti grege alienata in purgatorio. lj, 13.

Patres in lymbo non patiebantur pœnam ſenſûs. xxvj, 16. Eos Chriſtus liberavit per Paſſionem ſuam. *Ibid.* Confortabantur ab Angelis. liij, 17

S. Paula Romana peccatum veniale graviſſimè deflebat. xvij, 3

S. Paulinus Nolanu illuſtre exemplum dedit charitatis erga proximos. cvij, 12

Paulus Apoſtolus mortuum appellat vivum, quia noverat per preces reſuſcitandum. lxxix, 11

Pauperes non poſſunt malè tractari ſub interminatione divini judicii. cliv, 16. Ad oſtium pro ſtipe pulſantes, ſæpiùs ab Angelis occultè inſtigati ſunt, ut hanc in defunctorum ſuffragium à viventibus poſtularent, unde velut ipſi animarum Tutelares ſuſpiciendi ſunt. xcix, 1. Hæc fuit opinio primorum Chriſtianorum, ut ex Actibus Apoſtolorum patuit. lxxxix, 7. Pauperes ſe multi dicunt, non quia ſufficienti pecuniâ, ſed quia charitate & benignitate erga proximos, ac fide in Deum & ſpe retributionis orbati ſunt. cviij, 13. Hi non habent quidquam, ut dent egenis; bene autem, ut inſumant veneri, Baccho & luſibus. *Ibid.*

Peccatum duplicem malitiam continet: averſionem à Deo, & converſionem ad creaturam. xliij, 3. Mortale omni pœnâ infinitò gravius malum eſt. ix, 12. Illius exprobratio ab amicis Jobo malè facta, plùs eum cruciavit, quàm alia mala. xxiij, 12. Etiam veniale eſt malum graviſſimum, & quare. xvij 3. & xxix. 1 Hoc Sancti quàm maximè deteſtabantur. *Ibid.* Et duriſſimè à Deo etiam in Sanctis punitur. xvij, 5. & ſeqq. Peccatum

in Spiritum S. quare dicatur irremiſſibile. cxlix, 9. Toto vitæ tempore deflendum, ne in Purgatorio puniatur. cxcix, 18. Peccati ſervitus duplex, culpæ & pœnæ. cj, 5. A prima non niſi per contritionem, à ſecunda per æquivalens pretium Deo redditum, abſolvitur. cij, 5

Peſtem ad Davidis preces ceſſare fecit Deus, ut monſtraretur orationis efficacia. lxxiv, 5

Petra deſerti, Chriſtum figurabat, à quo gratiæ inceſſanter profluunt. cxj, 16

S. Petri Damiani Soror ob vanam delectationẽ in ſalutatione Purgatorii flammis adjudicata eſt. xvij, 3

S. Petrum in carcere Herodis dormire, minùs mirandum, quàm quod animæ in flammis purgantibus pacis ſomnum capiant. lvj, 2. Ille potiùs è carcere per Angelum liberatus eſt, quàm Jacobus, propter Orationem Eccleſiæ. lxx, 2. Docuit curam pro mortuis habendam. lxxx, 12

Pilato ſimiles ſunt, qui poſſunt juvare animas, & non faciunt. x, 14

Pœna animæ major eſt pœnâ corporis. ij, 2. Augetur à nobilitate patientis. iij, 3. In Purgatorio centuplicatur. xvj, 3. Illâ libenter ſuſtinent, dum gravitatem peccati perpendunt. xxv, 15. Protrahitur juxta magnitudinem delictorum. xxxiij, 6. Et remittitur propter orationes & ſuffragia viventium. lxxj, 3

Pœnæ multitudo enarratur, quam in Purgatorio ſentiunt animæ. xxxiv, 7. Certo aliquo ſenſu eſt intenſivè major quàm pœna damnatorum. xxxv, 7. & 8. Alia ſensûs eſt, & alia damni. xxx, 2. Pœna ſensûs eſt ab igne corporeo, & quare hoc. xxxj, 3 Magnitudo illius exponitur. xxxiij, 5. & ſeqq. Eſt major omnibus ſimul tormentis Martyrum. xlij. 1. & civ, 8. Inordinatæ converſioni ad creaturas debetur. xliij, 3. Pœna damni eſt retardatio à viſione Divina. xliij, 2. Quantum in animabus purgantibus dolorem cauſet xxv, 15. Creſcit à magnitudine boni, quo animam privat. xliij, 2. Et ideò infinita & inexplicabilis eſt, ubi privat Deo. *Ibid.* Major eſt omni pœnâ ſenſûs, nec ſtat cum beatitudine. *Ibid.* & ſeqq. Correſpondet peccato in quantùm eſt averſio à Deo. xliij, 3. Unde plùs mortuos quàm viventes cruciet. xlviij, 9. & ſeqq. & lxiij, 11

Pœnitentia in terris neglecta ſolvi debet in Purgatorio. lxxxv, 2. Pœnitentiæ, quas ipſi facimus, efficaciores ſunt, quàm quæ ab aliis fiunt pro nobis, & quare. clx, 6

Pompa funebris plùs viventibus prodeſt ad oſtentationem & vanam gloriam, quàm defunctis ad requiem. lxvij, 15

Populus Iſraëliticus ſitiens in deſerto, figurat animas ſitientes in Purgatorio. cxj, 16

Privatio gloriæ eſt longè major, quàm gratiæ. lvj, 14

Prodigus filius confuſionem nuditatis animarum oſtendit. lxvj, 14

Propinquitas Patriæ dolorem adauget in animabus purgantibus. xlviij, 10 & lix, 5

Purgantes animæ ſimul cum Chriſto

poſt ſuam reſurrectionem cœlum petierunt. xxvj, 16. Intelliguntur per vinctos in pœnis, & contritos corde. *Ibid.* Per parvulos panem petentes. cxxvj, 17. Uno ſaltu in regnum tranſiliunt. xv, 2. Cur in Purgatorio detineantur. *Ibid.* Ipſis remorſus conſcientiæ omni pœnâ ſensûs gravior eſt. xxj, 9. & ſeqq. Lubenter pœnas ſuſtinent propter commiſſa peccata. xxv, 14 & ſeqq. Non torquentur à dæmonibus, ſed à Deo, & quare. xxxv. 8. Spectant tanquàm membra ad Eccleſiam Chriſti. cxxvj, 18. Gaudent ad deſcenſum Angeli, ſicut mancipia ſub Turca ad Adventum navis redemptionis. cxxix, 2. Econtrà triſtantur dum ſe ab amicis relinqui conſpiciunt, in quibus ſuam ſpem collocant. cxxx, 3. & ſeqq. Earum mendicitas eſt ſumma ac incomparabiliter major paupertate viventium. cxlviij 8. Illas piis legatis, ſignanter Miſſis privare, eſt furtum maximum. *Ibid.* Dumque nos vident cum pecuniis ſimilibus comeſſantes, maximè cruciantur. cliij, 15

Purgatorium carcer eſt. j, 1. Figuratur per mare mortuum cxvij, 3. Ceſſabit in judicio univerſali. xxxj, 3. Itemque per lacum leonum. xc, 8. Et per lacum ſine aqua. cx, 5. In inferioribus conſiſtit. iij, 3. Terræ ſitienti comparatur. vj, 7. Claves ipſius Eccleſiæ ſuæ Chriſtus tradidit. xiv, 1. Illius pœnæ omnem mundanam infinities excedunt. xvj, 3. A diuturnitate horribiles redduntur. xix, 6. Non habet niſi lectum doloris igneum, & potionem amaram bibentibus illam, xlj, 15. Purgatorium multi ſciunt, ſed non intelligunt. cxcviij, 7. Peccata toto tempore vitæ deflenda, ne in Purgatorio puniantur. cxcix, 18. Sic deflere peccata, eſt credere dari Purgatorium. *Ibid.* Difficile valde eſt, ut hinc aliquis tam purus diſcedat, ut in altera vita non indigeat aliquâ purgatione. cc, *Ibid.* Omnes indigent Purgatorio, aut hic aut poſtea. *Ibid.* In vita faciendum eſt Purgatorium, exemplo Job. *Ibid.* 19

R.

Recordatio amiſſæ patriæ ad lacrymas excitat. xlvj, 7

Refrigerium animarum debet eſſe feſtinum. clxxxvj, & clxxxvij, 3. Etiam continuum. clxxxix, 5. & 6. Item cxc & cxcj. 8. Idipſum in ſe expertus eſt S. Malachias. *Ibid.*

Remorſus conſcientiæ manet in animabus purgantibus. xxj, 9. Et quantus inde dolor. xxj, 8

Requiem & lucem defunctis quare potiùs optet Eccleſia quàm quævis alia xcj, 9. Utraque occaſum neſcit aut veſperam, & ideò Officium defunctorum non terminatur cum veſperis. xcij, 10

Reſphæ pietas erga crucifixos filios Saülis major, quàm viventium erga purgantes animas. x, 13. & cxiij, 19

Reſuſcitatio Lazari fidem noſtram confirmat. xxvij 17

Rigor Juſtitiæ exigit, ut detur æquale pro æquali. lxxij, 3. Illi quodammodò ſatisfit per preces

& ſuffragia viventium pro pœnis debitis defunctorum. *Ibid.*

S.

SAcerdotes in ſua ordinatione poteſtatem accipiunt, celebrandi Miſſas pro vivis & defunctis. cxxj, 9. In antiqua lege indies alia ſacrificia, ſed quot-annis ſemel in ſanguine offerebant pro peccato: Sic in nova præter quotidianam memoriam defunctorum, debent in die animarum conſecrare pro illarum delictis. cxviij, 6

Sacri auditio & oblatio cum ſacerdote, quantùm juvet defunctos. cxix, 6. Etiam ipſis audientibus partem fructûs ejus confert. cxxiv, 12

Sacrificia mortuorum comedunt, qui legata ad Miſſas aliaſque cauſas pias non ſolvunt. clij, 14. Id facientes filii Iſraël à Moyſe occiſi ſunt ad viginti tria millia. *Ibid.* Sacrificia oblata etiam ab exiſtentibus in peccato mortali, proſunt defunctis. cxciij, 11

Sacrificium Miſſæ valet ex opere operato, jejunia & Eleëmoſynæ non item. cxxiij, 12. Satisfacit pro debitis animarum pœnis in Purgatorio. lxxj, 3. Et tempus alioquin ſtatutum abbreviat. lxxiv, 5. Mortuis debere applicari, Apoſtoli Patreſque tradiderunt. lxxx, 12. Habet effectum propitiatorium, eumque infallibilem. xcv, 14. Et eſt remedium efficaciſſimum pro defunctis. cxvj, 2. & ſeqq. Illis velociter ſuccurrit. cxvij, 3. Sacrificii Offerens principalis eſt Chriſtus; nec ab eo diſtinguitur, quod in monte Calvariæ obtulit, niſi penes modum. *Ibid.* 4. Ad illius oblationem Angeli nuntiant animabus promeritis, quod hodie erunt in paradiſo. *Ibid.* Pignoris rationem continet, pro quo à Patre cœleſti cum fiducia ſalutem requiramus. cxix, 6. Neque eſt minoris valoris ad collationem vitæ æternæ, quàm lacrymæ Chriſti ad reſuſcitationem Lazari. *Ibid.* 7. Illius excellentia præ reliquis ſuffragiis adhuc magis commendatur. *Ibid.* Munus eſt abſconditum, quod extinguit iram in Purgatorio. cxx, 8. Et ad hoc à Deo nobis datum eſt, ut in ſanguine ſuo animas defunctorum expiet ſuper altare. cxxiij, 11. Ejus fructum non ex integro participant viventes, pro quibus offertur; idque ſæpiſſimè defectu diſpoſitionis: Idcirco partem reſiduam Eccleſia defunctis applicat in ſecundo Memento. cxxvj, 17

Sævire in mortuos crudelitas maxima eſt. xij, 17

Salvatoris abſentia etiam modica, Diſcipulos & Magdalenam ſupra modum crucians, docet pœnam, quam anima divinâ viſione privata poſt hanc vitam ſentiet. xlvij, 7. Illud nomen participativè hominibus competit, qui animas ex Purgatorio liberant. xcv, 14

Sancti cur ſoli ſtelliſque comparentur. xcij, 10. Sanctorum neceſſitatibus dum Paulus communicandum dicit, animas purgantes intelligit.

intelligit. cvj, 11

Sanctos ſuos Deus aut in hac, aut in altera vita per flammas purificat. xiv, 1

Sanguis Chriſti datus eſt in expiationem animarum. cxxiij, 11. Id ſuper altare in Miſſa fieri debet. *Ibid.* Defunctis maximè prodeſt. lv, 21. Ejuſque fructus per Indulgentias applicatus, confert illis requiem æternam. cxiv, 19. Et oblatus in Miſſa, educit vinctos de lacu Purgatorii, cxviij, 5. Virtus illius comparatur virtuti lacrymarum, quas Salvator effudit in morte Lazari. cxix, 7

Satisfacere pro ſe eſt neceſſitatis, at pro proximo, charitatis; & ideò hoc ultimum eſt magìs acceptum. lxxij, 3

Satisfactio in præſenti vita neglecta, centuplicatur in Purgatorio. xvj, 3. Animabus in Purgatorio non competit, ſed tantùm ſatiſpaſſio. lxxj, 3. Viventes illam præſtare poſſunt pro ſe, & pro defunctis. lxxij, 3. Valor ejus magìs deſumitur à bonitate operis, quàm à pœnalitate. cj, 4.

Saul flens delicta ſua contra David, magìs deflenda eſſe docet peccata contra Deum ab animabus in Purgatorio. xxij, 11

Scalam Jacob erigit, qui ſupplicat Deo pro defunctis. xciij, 12

Securitas Deum videndi facit, quod purgantes animæ dormire dicantur in ſomno pacis. lvj, 2

Sententiæ non in ſenſu metaphorico, ſed proprio feruntur xxxj, 3

Sepelire mortuos cum orationibus pro illorum anima, quàm gratum ſit Deo, Deiparæ, & Angelis. xcviij, 17

Sepem interponere Deum inter & peccatorem, eſt efficacem orationem pro eo effundere. lxxvj, 7

Sepultura eligenda eſt, ubi Deus majori cultu adoratur, & mortui majora ſuffragia recipiunt. clxij, & clxiij, 9

Servitus Ægyptiaca nulla eſt intuitu illius, quàm animæ purgantes ſuſtinent. lxxvij, 8

Simeon juſtus conſolationem in viſione Salvatoris promiſſi ponens, ex illius dilatione afflictus, afflictiones Purgatorii demonſtrat. lx, 7

Sion patriam cœleſtem figurat. xlvj, 7. & lxxvij, 9

Sitis ardentiſſima maximè cruciat animas in Purgatorio. lviij, 4. Conſiſtit in maximo deſiderio videndi Deum. lix, 4

Solatium animarum conſolatur Deum. lxxvij, 8

Spectaculum terribile animæ in flammis apparentis exhibetur, ad commiſerationis effectum. xlj, 15

Spes dilata affligit animam. lvij, 2. & 3

Spiritus ſanctus conſolator eſt, & una ſtilla gratiæ ejus majorem adfert in anima dulcedinem, quàm totus mundus. lx, 7. Ipſe eſt, qui Eccleſiæ devotionem erga defunctos inſpiravit. lxxxj 14. Et memoriam defunctorum in orationibus commendavit. xcvij, 16

Status animæ purgantis, quàm horribilis. xlj, 15. Non valet ſatisfacere, ſed tantùm ſatiſpati. lxxj, 3

Stola

Stola prima cœleſtem gloriam; & etiam opus bonum, quod ad manum eſt, ut fiat, ſignificat. lxviij, 16

Struthioni ſimiles ſunt, qui mortuos ita condunt in terra; ut de anima ſoliciti non ſint. xj, 16

Subvenire animabus in Purgatorio viventes poſſunt. x, 13. Et quàm id facile. *Ibid.* Citò faciendum eſt, & quare. lxviij, 16. & clxxxvj, 3. & ſeqq.

Suffragia, quæ pro defunctis fiunt, proderunt poſt mortem ea facientibus. clxxvij, & clxxviij, 7. & 8. Etiam in hac vita. clxxix, 10. & clxxxij, & clxxxiij, 14. Grata ſunt, licèt fiant à peccatoribus. cxciij, 11. Juſtis procurant augmentum gratiæ, peccatoribus veniam. *Ibid.*

Sunamitis per orationem Eliſei filium ſuum ad vitam revocandum ſperans, oſtendit, quàm efficax remedium ſit, oratio pro defunctis. lxxix, 11

Superbia ſatanæ aſcendit, ſed dejicitur ſemper. lxxxvij, 3

T.

TAntali pœnæ ſimilis eſt pœna purgantis animæ. lxij, 10

Tempus gratiæ negligens, meretur puniri in Purgatorio. vj, 7. & xvj, 3. Tempus pœnæ abbreviatur propter orationes & ſacrificia. lxxiv, 5. & ſeqq.

Teſtamentum Salvatoris in cruce factum, pyſſima legata continet. cxviij, 5. Matri Joannem, Joanni Matrem, Latroni Paradiſum, & nobis defunctiſque fidelibus Sanguinis ſui theſaurum conſtituit. *Ibid.* Teſtamentum ad pias cauſas non requirit omnes ſolemnitates juris. clj, 12

Thecuitis interceſſione ſuâ Abſalonem ad Davidis aſpectum perducens, animas purgantium precibus noſtris perducendas docet ad aſpectum Dei. lxxx, 13

Theſaurus Eccleſiæ eſt infinitus. cix, 14. Peccata exhaurit, ſed exhauriri ipſe non valet. *Ibid.* Ex meritis Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum conſtat. *Ibid.* Ex illo cuilibet datur, ſpirituales Eleëmoſynas viventibus & defunctis præſtare. *Ibid.* Claves ejus ſummus Pontifex ſervat. cx, 15. Ex eo viventibus indulgentiæ conceduntur per modum liberationis & abſolutionis; defunctis verò per modum ſuffragii, & factæ pro illis ſolutionis. *Ibid.*

S. Thomas Aquinas ab anima ſancta apparente edoctus eſt, quod tota radicalis gloria in viſione Dei conſiſtat. xlix, 12

Tobiæ ſenioris pietas erga defunctorum corpora major, quàm viventium erga animas in Purgatorio. x, 13. Non tantùm pro cadaveribus, ſed maximè pro animabus erat ſolicitus, & hinc Angelus ejus orationes offerebat Deo. xcviij, 17. Eleëmoſynam filio commendans, oſtendit, quid nos pro defunctis facere debeamus. c, 3. Anxietas illius pro filio ſtatuto tempore non revertente, in paternæ ſolicitudinis exemplum adducitur. cxxxvij, 14. Tobiæ junioris affectus erga parentes, oſtendit, quid filii illis facere deberent. *Ibid.*

Tormenta

Tormenta Purgatorii, omnium Matyrum tormentis majora ſunt. xvj, 3
Traditio eſt Apoſtolica, quod debeamus orare pro mortuis. lxxx, 12. Illa debet abſolutè teneri. *Ibid.* 14.
Tumbæ marmoreæ &c. faſtui magis viventium, quàm fructui defunctorum deſerviunt. lxvij, 15

V.

VAllis lacrymarum Purgatorii typus eſt. xciij. 12
Veniale peccatum quàm graviter Deus etiam in Sanctis puniat. xvj, 3. & ſeqq. Meretur caſtigari in annos & ſecula. xix, 6. Plus animas purgantes affligit, quàm pœna ſensûs. xxj, 8. & ſeqq. Beatitudinem impediret ſi permaneret in anima vidente Deum. xxiij, 13
Veſtimentum aliud corporis, aliud animæ, & hoc rurſus vel gratiæ in via, vel gloriæ in patria. lxiv, 13. Veſtimentorum corporalium diviſio, quàm gravis Salvatori acciderit. lxvij, 15
Ugo Victorinus ob neglectam Regulæ diſciplinam Purgatorio addictus. xvij, 3
Via animarum in Purgatorio, quàm luctuoſa reſpectu noſtræ, quamque diverſa ſit. l, 12
Vicinitas objecti amati, dum ejus fruitio impeditur, dolorem auget. lx, 6. & lxij, 10
Vincentius Belluacenſis teſtatur Benedicti Pontificis animam per preces Odilonis de Purgatorii carcere liberatam. lxxiv, 5
Vincti Regis ſunt qui in Purgatorio detinentur: Vincti ſatanæ qui in inferno. xv, 2
Vindictam clamare, dupliciter dicitur. clj, 13. Id faciunt animæ purgantes adversùs ingratos & fraudantes pia legata. *Ibid.*
Vir Dei eſſe cognoſcitur, qui mortuis vitam procurat æternam. xiij, 19
Viri tabernaculi petentes carnem ut ſaturentur, animas figurant Euchariſtiam petentes ut liberentur. cxxj, 9
Viſio Dei in patria eſt tota merces, & quàm amabilis. xliv, 3. & xlix, 12. Eâ privari quare plus mortuos quàm viventes cruciet. xlviij, 10. & lxiij, 11. Hujus retardatio eſt pœna damni in Purgatorio. xliij, 2. Et hæc eſt major omni alterâ pœnâ ſenſûs. *Ibid.* & 3. & xlv, 4. & 5. & ſeqq.
Vita hominis flumini comparatur. cxvj, 3. Vitâ glorioſâ animas privare pejus eſt quàm hominem privare vitâ temporali. clij, 13
S. Vitalina Romana ad Purgatorii flammas ob lotionem capitis curioſam damnata. xvij, 3
Viventes juvare ſeipſos poſſunt, non ita mortui. vij, 9. Poſſunt etiam juvare animas purgantes, & quidem facillimè. x, 13. & xv, 1. Peregrinantur à Domino. l, 12. Satisfacere poſſunt Divinæ Juſtitiæ pro defunctis. lxxj, 3
Unio hypoſtatica eſt terminativè infinita. xciv, 13
Vulnera Chriſti ſecuritatem præ-

ſtant ad ea confugientibus. cxj, 16

Uxor mariti, maritus uxoris quantumcumque ſe in hac vita dilexerint, facilè invicem obliviſcuntur poſt mortem, cxxxvj, 12

Z.

ZEpherinus Martyr ob anticipatum officium Purgatorii catenis vinctus. xvij, 3

F I N I S.

Errata de Purgatorio.

Fol. xxv. num. 15. Si audiatis *illos*. lege *illas*.
Fol. lxxxj. col. 2. lin 1 *oppoſitum reſponſum*. lege *Appoſitum*.
Fol. lxxxiv. col. 2. In fine *Infideli* lege *Infideli*.

IN ROMA